B. ÆGIDIJ
COLVMN. ROMANI,

ARCHIEPISCOPI BITURICENSIS ECCLESIÆ,
ET AQVITANIÆ PRIMATIS,
ORDINIS FRATRUM EREMITARUM

SANCTI AUGUSTINI

GENERALIS MAGISTRI, ET
DOCTORIS FVNDATISSIMI
TRACTATUS

DE RENVNCIATIONE PAPÆ VBI VNIVERSI qui in Eccleſia ſũt Ordinis ac Dignitatis gradus patefiunt.

Ejuſdem de Divina influentia in Beatos.

Ejuſdem de Laudibus Divinæ ſapientiæ ſuper Pſalmum Eructavit cor meum.

Ejuſdem de Prædeſtinatione, & Præſcientia.

Ejuſdem de Paradiſo.

Ejuſdem de Inferno.

Ejuſdem de defectu, & deviatione malorum culpæ, & peccatorum à verbo.

Ejuſdem de Peccato originali.

Ejuſdem de Characte re.

Ejuſdem de Donatione Principum Eccleſijs.

Ejuſdem contra Exemptos, Antiſtitibus, & Religioſis omnibus maximè neceſſarius.

IN LUCEM EDITI
A RR.P.M. FR. ANTONIO DE AGUILAR.

Cordubæ ex Typ. Auguſtin. apud Lazarum de Riſquez & Vizcayno.

ERRATA SIC CORRIGE.

IN DE RENVNCIATIONE PAPÆ.

FOL. 6. col. 2. lin. 5. veriatis, *lege* veritatis. ibidem no *lege* non.
Fol. 19. col. 1. lin. 22. aliud *lege* alium.
Fol. 39. col. 1. lin. 32. Epiſcops *lege* Epiſcopi.
& lin. 33. intelligimui *lege* intelligimus.
Fol. 42. col. 1. lin. 5. primam *lege* prima.
Fol. 45. col. 1. lin. 31. obligatiocem *lege* obligationem
& lin. 43. Agopolo, *lege* Apoſtolo.
Fol. 49. col. 2. lin. 36. Divinino *lege* Divino.
Fol. 65. col. 2. lin. 8. pſa *lege* ipſa & l. 15. offerabatur *lege* offerebatur.
Fol. 66. col. 2. lin. 25. ſummi *lege* ſummus.
Fol. 69. col. 1. lin. 2. poprie *lege* proprie.
Fol. 72. col. 2. lin. 14. ille *lege* illi.
Fol. 80. col. 2. lin. 6. coutine *lege* continere.

IN SEQVENTIBVS

Fol. 3. col. 1. lin. 24. recipi *lege* recipit. Ibid. col. 2. lin. 30. dice *lege* dici & ſeq. dicimus *lege* dicemus.
Fol. 4. col. 2. lin. 51. me videt *lege* me, videt.
Fol. 29. col. 1. lin. 24. dedemus *lege* debemus & col. 2. lin. antepenul. timrte *lege* timete.
Fol. 57. *lege* 49. & ſic uſque ad 80.
Fol. 55. col. 2. lin. 14. factum, del. ,
Fol. 59. col. 2. lin. 13. formalite *lege* formaliter.
Fol. 64. col. 1. lin. 9. dolore *lege* dolere.
Fol. 68. col. 2. lin. 5. ali *lege* alicu.
Fol. 85. col. 1. lin. ult. ad quid *lege* ad quod.
Fol. 86. col. 1. lin. 51. cuſtodite *lege* cuſtodire.
Fol. 87. col. 2. lin. 3. primst *lege* per primum.
Fol. 88. col. 1. lin. 5. ſine *lege* line.
Ibid. col. 1. lin. 46. in adverſitate ſunt *lege* in adverſitate, ſunt.
Fol. 94. col. 1. lin. 27. quodam *lege* quoddam.
Fol. 115. col. 2. lin. 42. reventiam *lege* reverentiam.
Fol. 121. col. 1. lin. 52. pollunt *lege* polluunt.
Fol. 125. col. 1. lin. 40. ſocilialis *lege* ſocialis.

Vidi hunc librum B. Ægidij Rom. Ordinis Eremitarum S. Auguſt. demptis his mendis cvo exemplari correſpondet, datum Matriti die 22. Octobris. Anno 1712.

D. Benedictus del Rio, & Cordido
Corrector Gen. pro ſua Majeſtate.

REGIS SENATUS LICENTIA, ET TAXATIO.

DOminus Michaël Rubin de Noriega, Domini noſtri Regis Cellæ Secretarius, reſidentiumque in ſuo Senatu antiquior; notum facio, quòd reviſſo à Dominis Conciliarijs libro, cui titulus eſt: *Varia Opuſcula B. Ægidij Romani*: ad cujus impreſsionem fuit obtenta licentia à Rmo. P. M. Fr. ANTONIO DE AGVILAR Ordinis S. Auguſtini. Sancitum fuit, ex decreto præſente die expedito, unamquamque hujus libri philuram venditari poſſe octo diſpondijs, & cùm nonaginta novem ſemiphiluras habeat abſque tabulis, & principijs, totum intereſt trecenta nonaginta & ſex diſpondia, & non plura, ſic, ac, & non aliter, juſum fuit vendiri; & hoc ita ponatur cujusliber libri principio. In cujus rei teſtimonium præſentem certificationē exhibeo, datam Matriti die 25. Octobris. Anno 1712.

D. Michael Rubin de Noriega.

INDEX

LOCORUM SACRÆ SCRIPTURÆ A B. ÆGIDIO ROMANO PASSIM HIS TRACTATIBUS EXPOSITORUM, SECUNDUM ORDINEM LIBRORUM VETERIS AC NOVI TESTAMENTI.

Primus numerus Paginam, ſecundus columnam indicat.

Gen. 1. d. VIDIT Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona. 59. 1.c.
Gen. 15. a. Noli timere Abraham, ego protector tuus, & merces tua magna nimis. 1. 2.a.
Exod. 7. a. Ecce conſtitutui te Deum Pharaonis. 57. 2. a.
Iob. 13. b. Etiam ſi occiderit me, in ipſo ſperabo. 13. 2. d.
Iob. 12. e. Adducit conſiliarios in ſtultum finem, & judices in ſtuporem. de R.P. 9.2.d.
Iob. 36. a. Deus potentes non abjicit, cùm & ipſe ſit potens. de Ren. Pap. 7. 1. c.
Iob. 38. d. Quis enarrabit cœlorum rationem, & concentum cœli quis dormire faciet? 87. 1.c.
Pſal. 72. c. Imaginem ipſorum ad nihilum rediges. 17.1.b.
Prov. 3. a. Honora Dominum de tua ſubſtantia, &c. 30. 1. a.
Prov. 1. a. Intelligens, gubernacula poſsidebit. de Ren. Pap. 52. 1.b.
Cant. cāt. 1. c. Dilectus meus mihi, inter ubera mea commorabitur. 42.2.a.
Sap. 6. b. Diligite ſapientiam, quoniam inextinguibile eſt nomen illius. 9. 1. d.
Sap. 7. c. Omnium eſt enim artifex, omnem habens virtutem. 25.2. a.
Sap. 11. a. Per quæ quis peccat, per hæc, & punietur. 50. 2. c.
Sap. 14. a. Tua autem, pater, providentia ab initio cuncta gubernat: quoniam dediſti, & in mari viam, &c. 82. 2. b.
Sap. 14. a. Benedictum eſt lignum per quod fit juſtitia. 84. 1. d.
Iſa. 5. c. Captivus ductus eſt populus meus, quia non habuit ſcientiam. 82. 1. a.
Iſa. 6. a. Duo Seraphim clamabant alter ad alterum. 108.2.b.& 5.1.b. & 6.1.d.
Iſa. 26. b. Omnia enim opera noſtra operatus eſt nobis. & de Ren. Pap. 13. 2. d. 28.1.b.
Ierem. 17. a. Maledictus homo qui confidit in homine. 13. 2.a.
Ierem. 24. b. Ficus bonas, bonas valde, & malas, malas valde. 121. 2.b.
Ezech. 17. a. Aquila grandis magnarum alarum, magno membrorum ductu, plena plumis, &c. 98. 2. a.
Ezech. 18. a. Omnes animæ, meæ ſunt. de Ren. Pap. 14. 1.b.
Ezech. 18. e. Omnes juſtitiæ ejus quæ fecerat non recordabuntur. 48. 2. a.
Amos. 3. b. Si erit malum in civitate, quod Dominus non fecerit? 61. 2.d.
Habacuc. 3. b. Sol, & Luna ſteterunt in habitaculo ſuo. 110. 1. a.
Zachar. 11. d. O paſtor, & idolum, derelinquens gregem. 84. 2. b.
Matth. 5. b. Sic luceat lux veſtra coram hominibus, &c. 60. 2.d.
Matth. 10. b. Eſtote ergo prudentes, ſicut ſerpentes. de Ren. Pap. 80. 2. b.
Matth. 16. c. Tibi dabo claves regni cœlorum. de Ren. Pap. 42. 1.b.
Matth. 16. c. Ego dico tibi quòd tu es Petrus, & ſuper hanc petram, &c. 124. 2. a.
Matth. 22. d. Diliges proximum tuum ſicut te ipſum. de Ren. Pap. 23. 1. c.
Matth. 22. Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde, &c. 20. 2. b. & 22. 1. b.
Marc. 16. b. Ite dicite Diſcipulis ejus, & Petro. 124. 2. c.
Luc. 17. c. Cùm feceritis omnia quæ præcepta ſunt vobis, dicite, Servi inutiles, &c. 21. 1. c.
Luc. 22. d. Ego autem rogavit pro te ut non deficiat fides tua: & tu aliquando converſus confirma fratres tuos. 123. 2. d.
Luc. 23. f. Hodie mecum eris in Paradiſo. & de Ren. Pap. 59. 1. a. 38. 1. b.

INDEX.

Ioa. 1. a.	In principio erat verbum, &c.	55. 1.c. & inde.
Ioa. 1. a.	Omnia per ipſum facta ſunt.	105. 1. c.
Ioa. 1. a.	Et ſine ipſo factum eſt nihil. de Ren. P.	9. 1. b. & 15. 1. d.
Ioa. 1. b.	Verbum caro factum eſt.	93. 1. d.
Ioa. 5. f.	Opera quæ ego facio teſtimonium perhibent de me.	61. 1. b.
Ioa. 10. a.	Ego ſum oſtium, per me ſiquis introjerit ſalvabitur.	5. 1. a.
Ioa. 10. b.	Ingredietur, & egredietur, & Paſcua inveniet.	42. 2. b.
Ioa. 14. a.	In domo Patris mei manſiones multæ ſunt.	109. 2. a.
Ioa. 14. a.	Oſtende nobis Patrem, & ſufficit nobis	4. 1. d.
Ioa. 15. a.	Sine me nihil poteſtis facere.	28. 1. b.
	& de Ren. Pap.	9. 1. b.
Ioa. 17. a.	Hæc eſt vita æterna, ut cognoſcant te ſolùm verum Deum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum.	4. 1. c.
Ioa. 20. e.	Accipite Spiritum Sanctum, & quorum remiſeritis peccata, &c.	124. 2. a.
Rom. 5. c.	Sicut per unum hominem in hunc mundum peccatum introivit, & per peccatum mors: ita, &c.	66. 1. a.
Rom. 7. d.	Video aliam legem in membris meis repugnamtem legi mentis meæ.	63. 2. b.
Rom. 9. d.	Deus quem vult indurat.	31. 2. d.
Rom. 11. d.	Concluſit Deus omnia infidelitate.	47. 2. b.
Rom. 13. a.	Non eſt poteſtas niſi à Deo. de Ren. Pap.	9. 1. a.
Rom. 13. b.	Ideò enim, & tributa præſtatis: miniſtri enim Dei ſunt, in hoc ipſum ſervientes.	77. 1. a.
Rom. 14. d.	Omne quod non eſt ex fide peccatum eſt.	98. 1. d.
1. Cor. 4. b.	Quid enim habes quod non accepiſti?	21. 1. b.
1. Cor. 6. d.	Qui adhæret Deo, unus ſpiritus eſt cum illo.	24. 1. c.
1. Cor. 7. g.	Qui matrimonio jungit virginem ſuam, benè facit: & qui non jungit melius facit. de Ren. P.	8. 2. a.
1. Cor. 9. b.	Numquid de bobus cura eſt Deo? de Ren. Pap.	9. 2. c.
1. Cor. 12. b.	Et quoſdam poſuit Deus in Eccleſia, primum Apoſtolos, ſecundo Prophetas, &c. de Ren. Pap.	42. 1. a.
1. Cor. 13. b.	Charitas non quærit quæ ſua ſunt. de Ren. P.	23. 2. a.
1. Cor. 14. c.	Orabo ſpiritu, orabo, & mente: pſallam, &c.	29. 2. a.
1. Cor. 14. g.	Omnia autem honeſtè, & cum ordine fiant in vobis.	122. 1. d.
1. Cor. 15. b.	Gratia Dei ſum id quod ſum.	61. 1. c.
1. Cor. 15. c.	Sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Chriſto omnes vivificabuntur.	69. 2. d.
2. Cor. 12. b.	Quoniam raptus eſt in Paradiſum.	41. 1. d.
Epheſ. 5. g.	Sacramentum hoc magnum eſt, ego autem dico in Chriſto, & Eccleſia.	121. 1. a.
Epheſ. 5. a.	Eſtote ergo imitatotes Dei ſicut filij chariſſimi. de Ren. P.	3. 1. b.
Epheſ. 5. e.	Viri diligite uxores veſtras, ſicut Chriſtus dilexit Eccleſiã. de R.P.	23. 1. c.
Philip. 3. d.	Noſtra converſatio, in cœlis eſt. de Ren. Pap.	35. 1. c.
1. Theſſ. 5. c.	In omnibus gratias agite.	28. 2. d.
1. Timot. 1. c.	Miſericordiam conſecutus ſum, quia ignorans feci.	81. 2. c.
Heb. 1. d.	Omnes ſunt adminiſtratorij ſpiritus, in miniſterium miſſi.	112. 2. c. & 5. 2. d
Heb. 4. c.	Vivus eſt enim ſermo Dei, & efficax, &c.	14. 2. a.
Heb. 7.	Totum ferè exponitur, à cap. 17. uſque ad cap. 23. de Ren. P.	
1. Ioan. 2. c.	Quoniam omne quod eſt in mundo, concupiſcentia carnis eſt, &c.	117. 1. a.
Apoc. 10. c.	Quia tempus non erit amplius.	47. 1. d.
Apoc. 14. b.	Timete Dominum, & date illi honorem.	29. 2. d.

BEATI ÆGIDII

COLUMNÆ ROMANI,

ARCHIEPISCOPI BITURICENSIS, ET AQUITANIÆ PRIMATIS, ORDINIS FRATRVM EREMITARVM SANCTI AVGVSTINI, DOCTORIS CLARISSIMI.

LIBER DE RENUNCIATIONE PAPÆ.

VBI VNIVERSI, QVI IN ECCLESIA SVNT, ORDINIS AC DIGNITATIS GRADVS PATEFIUNT, ET ILLUSTRANTUR.

EJUSDEM DE CHARACTERE TRACTATUS.

EJUSDEM, QUOMODO REGES, ET PRINCIPES CIRCA BONA AD CORONAN PERTINENTIA, POSSVNT LIBERALITATIS OPERA EXERCERE, DETERMINATIO.

NUNC SECVNDO IN LVCEM EDITI.

CUR ET QUANDO SCRIPTUM SIT HOC OPUS.

PHILIPVS Pulcher Gallorum Rex in tantam discordiam cum Bonifacio VIII. Pontifice maximo pervenerat, ut suos proficiscì Romam, atque illuc mittere pecuniam prohibuerit: & convocatis sacerdotibus, & patritijs, injurias quasdam à Bonifacio acceptas, ipsumquè dolis, & artibus occupaviſſe Pontificatū commemoraverit, denuncians se ad futuram sedem Apostolicam (tunc enim sua opinione sedes vacaverat) appellare. Vnde gravisimæ ex hoc non sine fidei, & Christianæ religionis incommodo factiones nascebantur. Aliqui enim Bonifacium tamquam verum Dei Vicarium amplectabantur. Nonnulli verò eum negligebant, dicentes ab eo deceptum Cœlestinum voce tamquam cœlitus missa per cannam ad eum facta, ut desereret Pontificatum, & Bonifacium substitueret. Quidam etiam libris publicè editis persuadere conabantur, Papatum minimè renunciare posse. Ægidius itaque volens animis labefactatis remedium aliquod afferre, præsentem composuit de renunciatione Papæ tractatum. In quo omni studio contra eos contendit, qui verſutis quibusdam argutijs, homines simplices seducentes, conabantur omnem à subditis amovere obedientiam. Et postquam ostendit nihil suas valere ratiocinationes, & argutias, efficacibus rationibus, & exemplis concludit, & docet Cœlestinum renunciare potuisse: cùm statutum divinum sit, quòd Papa, videns se ineptum ad vigilantiam dominici gregis, possit onus deponere, & ab hac absolvi jurisdictione, ne Ecclesia catholica, cujus caput ipse est, sua langueret imprudentia. Obiterque monstrat Bonifacium non illis dolis, & artibus, sed instinctu Divino atque opere fuisse Ordinis, & dignitatis gradus assecutum. Cujus rei fidem nobis etiam præstare possunt, quę in Christiana Religione pro salute omnium peperit. Hic enim Pontifex è quibusdam sanctionibus ab eo, & nonnullis alijs suis prædecessoribus Romanis Pontificibus editis, opera Gulielmi, Berengarij, & Richardi usus, sextum Decretalium librum confecit, & quinque libris, à Gregorio jam ordinatis, conjunxit. Ludovicum Gallici Regis sanguine natum, in divorum numerum retulit. Centesimo quoque anno Iubileum, quo plenam omnium delictorum remissionem visitantes limina Apostolorum consequerentur post Moysem primus observari mandavit.

B. ÆGIDIJ COLUMNÆ ROMANI, ARCHIEPISCOPI BITVRICENSIS, ET PRIMATIS AQVITANIÆ, ORDINIS FRATRUM EREMITARVM S. AUGUSTINI, LIBER DE RENUNCIATIONE PAPÆ.

CAP. I.

In quo est prologus hujus libri, ubi ostenditur, quæ fuit necessitas componendi hunc librum in quo agitur, Quòd Papa renunciare potest.

NON ei placebit vecordia sua, & sicut tela aranearum fiducia ejus. Quidam moderni temporis, de suo sensu nimium præsumentes, quasdam rationes sophisticas ad includendum mentes fidelium ediderunt: exinde confidentes de sua vecordia in summum nostrum Pontificem Sanctissimum patrem dominum Bonifacium Papam viij. Divina providentia verum Dei Vicarium, ac Sacrosanctæ Romanæ, & universalis Ecclesiæ sponsum legitimum impugnare sunt conati; contra quos in persona Dei dici potest verbum propositum, quod legitur Job. 8. *Non placebit ei* (ideſt Deo) *vecordia sua* (ideſt insipientia sua) *& sicut tela aranearum fiducia ejus.* (ideſt cujuslibet eorum.) Dicitur enim esse vecordia, vel dicitur habere vecordiam, qui habet ve in corde, ideſt qui habet malum in corde. Itaque sicut in istis sensibilibus, qui habent malum in oculis suis non benè vident quæ sunt sensibilia, sic qui habet vecordiam, & qui habet malum in corde, non benè percipit quæ sunt intelligibilia. Et quia ex hoc dicitur quis insipiens, quia habet obscuratum cor, & non benè percipit hujusmodi intelligibilia, ipsa vecordia de qua tractatur in auctoritate proposita, insipientia dici potest. Verè ergo prædicti homines de sua vecordia sunt confisi, quando credentes rationes facere efficaces, tela aranearum est eorum fiducia: quia aranearum telas texere convincuntur. De quibus dici potest quod dicitur Isaiæ: *Telas aranеæ texuerunt.* Omnis enim verborum ordinatio, (quia si ordinatè proferuntur verba sibi invicem sunt connexa) textura quædam meritò nuncupatur. Et exinde inolevit, quòd liber aliquis ubi ordinata, & connexa sunt verba, textus esse dicitur. Sed textura hujusmodi aliquando est ferrea, & quasi adamantina, secundùm quem modum Proclus in de Divina providentia volens commendare Platonem, dicit; *Plato adamantinis* (ut est dicere) *sermonibus nos cogit.* Ille quidem cogit aliquos adamantinis sermonibus, qui rationibus irrefragabilibus auditores cogit suis sermonibus consentire. Sed licèt aliquando ita sit ut textura verborum possit dici ferrea, vel adamantina, multoties tamen, vel ex malitia affectus intellectum excæcante, vel ex ignorantia rationis mentem obscurante, verba prolata, & rationes confectæ sunt, sicut telæ aranearum: quæ sic rumpantur de facili, quòd inefficaces esse liquidò decernantur. Verùm quia quamvis aranearum tela sic scindatur faciliter, aliqua tamen animalia, debilia quantumcumque sint alis dotata, quibus super terram sunt apta nata efferri, aranearum etiam telis, ut visibiliter percipimus, capiuntur. Sic & multi hominum licèt alas habeant rationis, quibus hæc terrena debent volatu transcendere, illas tamen alas habent tantum debiles, ut texturis verborum invalidis, & rationibus debilibus capiantur: quæ telis aranearū similes esse cernuntur.

Hinc ergo apparere potest, quæ fuit necessitas quæ nos movit ad componendum Tractatum hujusmodi, ut solveremus rationes quasdam, quòd summus Pontifex renunciare non potest, factas per præfatos viros de sua vecordia confidentes: in quo etiam Tractatu obviamus quibusdam alijs additamentis, quæ etiá super vecordia sunt fundata: nam omnia talia sunt telæ aranearum. Tamen quia debilia volatilia aliquando telis talibus involvuntur, bonum est telas disrumpere antedictas, ut ceteri Christiani tamquam vera membra summū præsulem Dominum Bonifacium suum caput legitimum recognoscant. Hæc ergo vecordia, super qua quæque hujusmodi sunt fundata, minimè placet Deo: & qui tales telas ordiri, vel texere sunt conati, non Divino Consilio, nec Divino spiritu movebantur, Ipsi ergo sunt desertores filij, quia deserunt summum Patrē, & vias aliorum tenere fidelium contempserunt. Istis ergo sic habentibus *Ve* in corde, & non facientibus secundùm Divinum consilium, nec ordinantibus telam secundùm Divinum spiritū, dici potest quod dicitur Isaiæ 30. *Væ filij desertores:*

Iob. 8. c.

Proclus.

Isa. 59. a.

Isa. 30. a.

desertores, dicit Dominus; ut faceretis Consilium, & non ex me: & ordiremini telam, & non per Spiritum meum.

Isa. 30. a.

CAP. II.

Vbi agitur de ordine dicendorum.

Sapientis munus.

DIxerunt Philosophi, Duplex esse opus sapientis in unaquaque re, Non mentiri de quibus novit, veritatem asserendo: & mentiêtem manifestare posse, falsitatem destruendo: hæc enim duo, veritatem asserere, & falsitatem destruere, sunt duo opera sapientis in omni negotio. Hæc autem dicimus, non quòd simus illius dementiæ, quòd inter sapientes nos connumerare velimus: dicimus tamen nos sapientiam diligere, & quantum humana fragilitas sinit, sapientes imitari velle. Nec est arrogantiæ verbum quòd quis dicat se velle imitari sapientes, cùm & Apostolus Paulus ad Eph. 5. ad imitandum Deum, qui est ipsa sapientia, viriliter nos inducat, dicens: *Estote ergo imitatores Dei, sicut charissimi.* Et quia debemus in omni negotio sapientes pro viribus imitari, ideò in hoc tractatu, quem habemus præ manibus, in quo declarare intendimus, quòd summus Pontifex potest suo officio, sive suæ jurisdictioni cedere, ut post cessionem desinat esse Papa. Nam volumus illud duplex opus sapientis prætactum pro viribus exercere: videlicet non mentiri de quibus novimus, veritatem asserendo: & mentientes manifestare, falsitatem destruendo. Sed his dictis, ut habeamus ordinem dictorum, de quo agitur in hoc capitulo, oritur nobis rationalis quæstio, Quid prædictorum prius est faciendum: ut utrùm prius sit extirpanda falsitas, quàm veritas declaretur: an potius è contra? Huic autem quæstioni videtur satisfacere verba Philosophi. Nam prius ait, quòd opus sapientis est non mentiri de qua novit veritatem: quod pertinet ad declarationem veritatis. Et posteà subdit, quòd opus sapientis est mentientes manifestare; quod pertinet ad extirpationem falsitatis. Igitur prius erit declaratio veritatis, quàm extirpatio falsitatis.

Eph. 5. a.

3. Eth. c. 4.

Sed ille modus prioritatis non satisfacit quæstioni nostræ, de qua agitur in hoc capitulo. Certum est enim quòd declarare veritatem est prius, quàm extirpare falsitatem: sed non oportet quòd sit prius tempore, vel prius in executione, sed est prius in intentione: nam extirpatio falsitatis est propter seminare, & inserere veritatem. Et quia declaratio veritatis in hoc negotio se habet ut finis, oportet quòd hoc sit primum in nostra intentione, quia priùs debet esse intentus finis, quàm ea quæ sunt ad finem. Vel si volumus loqui de prioritate sicut loquitur Augustinus. 12. Confess. ubi distinguit modos prioritatis, dicemus, quòd declarare veritatem est prius electione, non tamen oportet quòd sit prius tempore, vel prius in executione. Nam & flos præcedit fructum, & fructus florem, ut idem ibidem August. tangit, quia flos præcedit fructum tempore, & secundum executionem, natura quidem priùs exequitur, & priùs facit flores, & posteà fructus; sed fructus præcedit florem electione, quia eligibilior est fructus flore. Vel possumus tertio dicere, quòd declaratio veritatis est priùs extirpatione falsitatis perfectione, quia hoc est perfectius quàm illud. Igitur si Philosophus enumerando præfata sapientis opera, priùs locutus est de assertione veritatis quàm de destructione falsitatis, non propter hoc soluta est quæstio nostra, ut sciamus, quo ordine procedendum est in hoc Tractatu, utrùm debeamus ipsum incipere à declaratione veritatis, & consùmare ipsum in destructione falsitatis: vel potius è converso. Nam si Philosophus priùs locutus est de declaratione veritatis, quàm de destructione falsitatis, dicere possumus, quòd illa prioritas referenda est ad prioritatem secundùm intentionem, vel secundùm electionem, vel secundùm perfectionem: nam hoc est eligibilius, & debet esse quid magis intentum.

S. P. N. Aug. 12. Conf.

Sciendum ergo, quòd hæc duo secundùm unum modum accipiendi sunt simul tempore, & secundùm alium modum accipiendi possunt esse non simul tempore. Sunt enim simul tempore, quia insertio veritatis, & amotio falsitatis se videntur habere ad intellectum, sicut inductio formæ propositæ, & expulsio formæ oppositæ habent se ad materiam: expellendo enim formam oppositam à materia, inducimus in eam formam propositam, & è converso. Sic & in proposito, destruendo falsitatem, aliquomodo affirmamus veritatem, & è converso. Propter quod sic loquendo de his duobus operibus, erunt simul tempore. Sed si quæratur, accipiendo hæc duo opera, ut sunt simul tempore. Vtrùm sit inter ea aliquis prioritatis modus? Dici potest, quòd, ut tetigimus, idem est de veritate inserendi in animo, & falsitate expellenda ab eo, & de forma proposita

introducenda in materia, & de oppoſita expellenda: quia licèt illa ſint ſimul tempore: tamen ordine, generatione, & natura ſe præcedunt. Dicimus enim quòd unum præcedit alium natura, ideſt naturali intelligentia, & naturali origine ſive naturali generatione. Simul enim tempore facta fuerunt ſol & ſplendor, quia ſtatim cùm fuit ſol, incepit ſplendere: tamen natura, ideſt naturali intelligentia ſol præceſsit ſuum ſplendorem. Naturale eſt enim quòd priùs intelligamus ſolem eſſe factum, & poſteà intelligamus ipſum ſplendere. Sic etiam naturali origine, vel naturali generatione ſol præcedit ſplendorem: quia cùm natura ſplendoris derivatur à natura ſolis, naturale eſt quòd priùs fuerit factio, & generatio ſolis, & poſteà fuerit ſplendor ortus ab eo. Secundùm hunc autem modum loquitur Auguſt. 12. de Confeſſ. quòd ſonus, & cantus ſunt ſimul tempore, ſed ſonus eſt prior cantu origine; cantores enim priùs emittunt ſonum, & cantant. Sed cùm cantus ſit modulatio toni, quia hoc eſt cantus ſonus modulatus, cùm modulatio ſonus ſit quædam proprietas ejus, quia ſubjectum naturali origine, & naturali intelligentia eſt prius ſua proprietate, ideò dictum eſt quòd origine, & generatione, & etiam natura ſonus præcedit cantum, licèt ſint ſimul tempore.

Quæ ſi velimus ad propoſitum aptare, dicemus, quòd naturali origine, & naturali intelligentia expulſio formæ oppoſitæ uno modo præcedit introductionem formæ propoſitæ, & alio modo èconverſo. Sic & expulſio falſitatis ab animo ſecundùm unum modum præcedit introductionem veritatis, & ſecundùm alium modum èconverſo. Nam hæc expulſio, & introductio formarum, vel comparantur ad materiam, quæ expoliata una forma introducitur alia: vel comparantur ad agens, qui introducendo unam formam, expellit aliam. Si ergo hæc duo comparantur ad materiam, quia forma propoſita non poteſt eſſe in materia, nec poteſt habere locum in ea, niſi expellatur inde forma oppoſita, ideò quantum ad materiam primum eſt expulſio formæ oppoſitæ, quàm introductio propoſitæ. Sed ſi hæc comparantur ad agens, quia cùm agentis ſit imprimere, ſic materiæ eſt recipere, quia materia non poteſt recipere, niſi prius evacuatur: ideò ſecundùm naturalem noſtram intelligentiam primò evacuatur materia, & expoliatur, quàm introducatur, & perficiatur. Sic cùm agentis ſit imprimere, ſic materia recipiendo perficitur, ſicut agens imprimendo perficit. Agens ergo, imprimendo formam propoſitam, expellit oppoſitam: materia autem quia evacuatur à forma oppoſita, ideo induitur propoſita: propter quod reſpectu materiæ, prius eſt expoliari, quàm indui: reſpectu autem agentis, prius eſt induere, quàm expoliare. Sic & de veritate, & falſitate, ut ſi ſit falſitas ſive error in animo, & aliquis velit inde expellere falſitatem, quantum eſt ex parte animi prius eſt expellere falſitatem, quàm inducatur veritas: ſed quantum eſt ex parte agentis, cùm agens, ſive doctor expellat falſitatem, inducendo veritatem, prius intelliget, quòd agens veritatem inducat, quàm quòd falſitatem expellat.

His itaque prælibatis, patet quomodo loquendum eſt de prioritate, & poſterioritate, prout hæc duo ſunt ſimul tempore. Sed poſſumus loqui de his duobus etiam, prout tempore ſe præcedunt. Dicimus enim quòd declarando aliquid, duo ſunt ibi fienda, videlicet, argumenta ad oppoſitum deſtruere, & argumenta ad propoſitum conſtruere. Et licèt utrúque faciendo deſtruatur falſitas, & aſſeretur veritas, quia, & qui ſolvit argumenta oppoſita, falſitatem deſtruit, & veritatem aſſerit, & etiam qui conſtruit argumenta propoſita, quodammodo utrumque facit: attamen in deſtruendo argumenta oppoſita, magis videmur extirpare falſitatem, in conſtruendo autem argumenta propoſita, magis videmur aſſerere veritatem. Hoc modo ergo veritatem aſſerere, & falſitatem deſtruere poſſunt ſe invicem tempore præcedere, quia poteſt quis primùm argumenta oppoſita deſtruere, & poſteà propoſita conſtruere, & poteſt etiam èconverſo. In hoc ergo ſtat quæſtio noſtra principaliter, an ſint argumenta oppoſita per adverſarios facta priùs ſolvenda, ut deſtruatur falſitas, & poſteà ſint argumenta propoſita conſtruenda, ut aſſeratur veritas, vel fiendum ſit èconverſo.

interpretis munus.

Advertendum itaque, quòd ſi inſtruendi per doctrinam aliquam non eſſent ipſi infecti, nec infeciſſent alios, rationabiliter poſſet dubitari à quo eſſet inchoandum. Vtrùm ab informatione veritatis argumenta propoſita conſtruendo, vel ab expulſione falſitatis argumenta oppoſita diſſolvendo? Sed ſi inſtruendi per doctrinam aliquam, vel ſi compellendi ad confitendum aliquam veritatem ſunt infecti, vel (quod pejus eſt) ſi aliquos infecerunt, quia animus infectus non recipit doctrinam, niſi expulſa infectione, rebus ſic ſe habentibus, primùm eſt expellenda falſitas, & infectio ab anima, diſſolvendo argumenta oppoſita: & poſteà inferenda eſt veritas, conſtruendo, & firmando argumenta propoſita, quia, ſi vult Philoſophus in Rhetoricis: *Oportet facere locum* 14.

3. *Rhet. cap.*

cum futuræ orationi. Animus ergo falsitate ple A nus non potest veritate repleri, nisi priùs inde falsitas expellatur. Sicut vas amaritudine plenum, non potest repleri dulcedine, nisi priùs amaritudo inde evacuetur: in vase enim, amaritudine repleto, non est locus, ubi recipiatur dulcedo. Si ergo volumus facere locum dulcedini recipiendę, sunt inde priùs amaritudines repellendę. Sic cùm est in anima error & falsitas, non est ibi locus, ubi recipitur veritas, nisi inde falsitas expellatur: quilibet enim abominatur quodcumque contrarium. Ita priùs ostendendum est adversario, quòd sua dicta sint falsa, ut ex hoc possit acquiescere veritati. Et si dicatur, quòd sic arguentes, vel satisfacientes non credunt corde quod proferũt B ore: quod in hac materia credimus verum esse, ut & ipsi veritatis adversarij corde non credant, quod ore pronunciant. Dicimus, quòd tanto magis est cum eis priùs extirpanda falsitas, & sunt dissolvenda eorum argumenta opposita, quàm sint construenda proposita, quia tales pertinatiores esse consueverũt in eorum dictis quàm alij.

His itaque omnibus enarratis, hoc ordine procedemus in hoc tractatu, quia priùs enarrabimus argumẽta opposita huic veritati, quòd Papa renunciare potest. Secundò illa argumẽta opposita dissolvemus. Tertiò, quia adversarij præter falsitatem, quam asserunt, quòd Papa renunciare non potest, aliqua etiam alia C plura superaddiderunt, ideò illa superaddita enuntiabimus. Quartò his superadditis obuiabimus: ex quibus omnibus destruetur falsitas. Quintò, & ultimò faciemus argumenta, & rationes idoneas ad nostrum propositum, Quòd Papa renunciare possit: ex quibus declarabitur veritas. Quo facto, imponemus finem his nostris dictis, & consummabimus opus nostrũ.

CAP. III.

In quo ponuntur duodecim rationes, quas faciunt adversarij veritatis, Quòd Papa renunciare non potest.

Remisso itaque ordine dicendorum, volumus exequi hunc tractatũ secundùm prętaxatũ ordinem, secundùm quem primò ponendæ sunt rationes, quas faciunt adversarij nostri. Quarum prima sumitur ex eo quòd Papatus, ut dicunt, à solo Deo est: Sed quæ à Deo vel ab aliquo superiori committuntur, à nullo possunt inferiori removeri, & sic Papalis potestas quæ à solo Deo committitur, à nullo inferiori removeri posse videtur. Secunda ratio sumitur ex eo, quia nullus potest auctoritatem vel dignitatem aliquam auferre, quam conferre non potest: Sed auctoritatem Papalem nullus conferre potest, nisi Deus; ergo neque eam auferre: sed si teneret renunciatio, auferetur Papalis potestas: Ergo renunciatio videtur fieri non posse. Tertia ratio, etiam Decretalis inter corporalia, expræsse innuit, quòd depositio Episcoporum, translatio eorum, & absolutio eorum per cessionem soli Papæ est reservata: nec etiam ipsi Papæ concederetur, nisi inquantum Papa quodammodo Deus est, ideſt Dei Vicarius, ut patet ex textu; ergo remotio ipsius Papæ, quia Papatus omnes dignitates excellit, per nullum superiorem potest fieri. Nulla enim ratio capit, quòd Deus voluerit inferiores dignitates per ipsum Deum tantum, aut per eorum superiorum dignitatem tolli posse, nec per ipsum superiorem, nisi inquantum ipse superior scilicet Papa est Dei Vicarius, & tamen voluit ipsum Papatum, quæ est summa dignitas, quæ propriè Christi est, nedum per inferiorem Deo, sed etiam per inferiorem seipsa dignitate tolli posse. Et sic solus Deus videtur tollere posse Papatum, & nullus alter, sicut multipliciter videtur colligi ex C textu prædictæ Decretalis. Quarta ratio sumitur ex eo quòd summa virtus increata per nullam virtutem creatam videtur posse tolli; sed Papatus est summa potestas increata: ergo per nullam virtutẽ creatam tolli posse videtur. Quinta ratio sumitur ex eo, quòd nec Papa, nec tota creaturarum universitas potest facere quòd aliquis Pontifex non sit Pontifex; ergo multò magis non videtur posse facere, quòd summus Pontifex non sit summus Pontifex: nam minus est tollere simpliciter Pontificem, quàm summum Pontificem: ergo cùm simplicem Pontificem nullus possit tollere nisi Deus, D nec summũ Pontificẽ videtur aliquis posse tollere nisi Deus. Quod fieret, si renunciare posset, ita quòd valeret ejus renunciatio. Sexta ratio ex eo, quòd Papa non est Papa, nisi per legem Divinam, & non per legem alicujus creaturæ, nec omnium creaturarum simul: Ergo nullo modo videtur quòd Papa possit eximi, quòd non sit Papa. Non enim Papa ex quo consentit, & subjicit se legi sponsæ, potest esse non Papa per aliquam creaturam, neque per omnes simul, ut videtur. Septima ratio, ex eo quòd nullus potest tollere votum alicujus, seu ab ipso absolvere, nisi ille qui est

Prima *Secunda* *Tertia* *Quarta* *Quinta* *Sexta* *Septima*

supra votum : sed Papatus est quoddam votum maximum super omnia vota: nam vovet Papa de facto ipsi Deo, quòd curam habebit universaliter gregis sui, totius scilicet vniversalis Ecclesiæ: & quòd de ipsis reddet rationem. Ergo ab isto, solus eum Deus absolvere posse videtur. Ergo de Papa nullo modo videtur fieri posse non Papa, nisi tantummodo à solo Deo aliqua ratione. Nullus enim alieno obligatus potest ab obligatione seipsum absolvere, qua tenetur obnoxius, maximè superiori obligatus: sed Papa nullum habet superiorem nisi Deum, & per Papatum se Deo obligavit. Ergo à nullo videtur posse absolvi nisi à Deo. *Octava* Octava ratio, ex eo quòd nullus videtur seipsum posse absolvere; sed si valeret renunciatio, videretur B quòd seipsum posset absolvere. *Nona* Nona ratio, ex eo quòd papalis obligatio non videtur posse tolli nisi per majorem potestatem, quàm papalis sit, sed nulla potentia creata est major quàm papalis: ergo fieri non potest quòd per Papam, nec per aliquod aliud, nisi per Deum, ut qui semel est Papa, non sit semper Papa, dum vivit, ut videtur. *Decima* Decima ratio, ex eo quòd nulla dignitas Ecclesiastica post legitimam confirmationem potest tolli, nisi per ejus superiorem; sed Papa solus Deus est major, ergo à solo Deo tolli posse videtur. *Vndecima* Vndecima ratio, ex eo quòd Apostolus vult, & probat sacerdotium Christi esse in æternum: si adjungit n æternum in *Heb. 7.* sacerdotem, sequitur ipsum esse sacerdotem in C æternum: ergo nullo modo potest esse vita summi Pontificis, & summi sacerdotis sine summo sacerdotio, ergo renunciare non potest, ut videtur: & minus extraneum, & ratione remotum apparet quòd summus pontifex, qui est verus successor, & Vicarius Jesu-Christi, qui est sacerdos in æternum, possit absolvi ab aliquo, quàm ab ipso Deo, & quandiu vixerit non maneat summus Pontifex, & quòd aliquo modo potest esse vita summi sacerdotis sine summo sacerdotio, ut videtur. *Duodecima.* Duodecima ratio, ex eo quòd si diceretur, quòd vita summi sacerdotis esset sine summo sacerdotio, argumentum Apostoli, ubi dicit, Secundùm legem Mosaycã plures facti sunt sacerdotes &c. penitus nullum videretur esse, sed falsitatem contineret. Nam posset argui contra ipsum, Quare Christus sempiternum habet sacerdotiũ? Respondet Apostolus, eo quòd manet in eternũ. Dico tibi beate Apostole, Non est verum, quia potest in vita sua renunciare, & sic non erit sacerdos ampliùs. Ex hac ergo positione, quòd Papa renunciare potest, totius Sacræ scripturæ, & verbi Apostoli falsitas sequi videretur; & ex multis alijs rationabilibus, & evidentibus cau- A sis, hoc ipsum, Vtrùm Papa renunciare possit, videtur verisimiliter, & justissimè in dubitationem deduci. Hæc igitur sunt illæ duodecim rationes, quas faciunt præfati adversarij veritatis, Quòd Papa renunciare no potest.

CAP. IV.

Vbi declaratur quomodo, omnis potestas, & specialiter potestas Ecclesiastica est à Deo.



Ræmissis rationibus adversariorum secundùm ordinem ante factum, consequens est, quòd omnes rationes dictas per singula persolvamus. Habent autem rationes illę pro magna parte hoc fundamentum. Quòd quia potestas papalis est à Deo; ideo per solum Deum tolli potest. Et quia secundùm Philosophum. *Vero verum consonat, falso autem citò dissonat verum*: Ratio, quæ verum dicit in aliqua materia, quanto magis pertractat illam materiam, tanto magis apparet dictum suum esse verum. Si autem falsum dicat, pertractando veritatem, in materia illa citò veritas dissonabit falsitati, & citò apparere poterit dictum illud esse falsum. Ea propter de potestate, quomodo est à CDeo volumus speciale capitulum facere, ut veritate hujus pertractata, clarè apparere possit, quòd licèt potestas papalis sit à Deo, hoc tamen non obstante, Papa renunciare potest.

Continet ergo hoc capitulum (ut patet) ex sua rubrica duo. Primum quidem est, quòd omnis potestas est à Deo. Secundum quidem est quòd potestas Ecclesiastica quodam speciali modo dicitur esse à Deo. Propter primum sciẽdum, quòd quantum ad præsens spectat, quinque vijs probare possumus, quòd omnis potestas est à Deo, ut ex his vijs habeamus materiam investigandi, quòd multa sunt à Deo, quæ D possunt tolli operatione humana. Prima quidẽ via sumitur ex ipsa potestate. Secunda verò ex ipsis rebus, quibus innititur potestas. Tertia quidem ex ordine, quem videmus in potestatibus. Quarta autem ex causalitate, quæ competit potestati. Quinta, & ultima ex actibus vel ex operibus ex quibus habet esse potestas.

Prima autem via sic patet. Possumus enim *Prima via.* dare quamdam maximam generalem, quòd quando aliquid reperitur in superioribus, & in inferioribus, illud repertum in superioribus, est causa repertorum in inferioribus ut putà si motus reperitur in cœlestibus,

tam-

tamquam in ſuperioribus, & in iſtis alijs, tamquam in inferioribus, conſequens eſt, quòd motus cœli ſit cauſa omnium aliorum motuum. Propter quod dicitur 8. Phyſ. *Motus cœli eſt vita in entibus.* Quia ſicut vivum differt à non vivo, ex eo quòd vivum movetur, non vivum non movetur, cùm omnia moveantur propter motum cœli, ideò motus cœli, per quem moventur omnia, erit quaſi vita omniũ. Et ſi hoc dictum, eſt dubium in creaturis prout comparantur ad creaturas, nullo autem modo dubium eſt prout creaturę comparantur ad Deum, quia ſi quid reperitur in Deo, & in creaturis, oportet quòd id repertum in Deo ſit cauſa repertorum in creaturis; ut ſi ſapientia reperitur in Deo, & in creaturis, oportet quòd ſapientia reperta in Deo, ſit cauſa cujuſque ſapientiæ repertæ in creaturis. Secundùm quem modum habetur Eccleſiaſtici primo, *Omnis ſapientia à Domino Deo eſt.* Et ibidem ſubditur, *Fons ſapientiæ Verbum Dei in excelſis.* Igitur ſi ſapientia eſt in Deo, ſive in excelſis, oportet quòd illa ſapientia ſe habeat ut fons, à quo omnis alia ſapientia derivatur. Secundùm hunc etiam modum loquitur Apoſtolus ad Eph. 3. cùm ait. *Hujus rei gratia flecto genua mea ad Patrem Domini noſtri Jeſu-Chriſti, ex quo omnis paternitas in cœlo, & in terra nominatur.* Videtur enim eſſe ratio Apoſtoli, quia eſt paternitas in divinis, oportet quòd ex illa paternitate eſſe habeat quæcumque alia paternitas, ſive paternitas illa ſit in cœlis quãtum ad Angelos, qui ſunt patres noſtri in quantum intendunt ſaluti noſtræ: ſive ſit in terris quantum ad homines, qui ut alios generant, vel ut alios regunt, ſunt eorum patres. Si ergo potentia eſt in divinis, quia Deus eſt ſumme Omnipotens, oportet quòd ab illa potentia omnis alia potentia derivetur. Secundùm hũc itaque modum poteſt exponi illud quod habetur Job, 36. *Deus potentes non abijcit: cùm & ipſe ſit potens.* Spectat enim ad quemlibet agẽtem diligere opera ſua, juxta illud Sapientiæ undecimo. *Diligis enim omnia quæ ſunt, & nihil odiſti eorum quæ feciſti.* Quia ergo omnia ſunt opera Dei, omnia diliguntur à Deo inquantum ſunt opera ejus. Si ergo potentia reperitur in Deo, & in creaturis, oportet quòd potentia creaturarum derivata ſit à potentia Dei. Exponatur ergo ſic verbum, quod habetur in Job, quòd cùm Deus potens ſit, oportet quòd à potentia ejus ſint omnes alij potentes; & quia nullus abjicit opera ſua, conſequẽs eſt, quòd Deus potentes non abjicit, cùm & ipſe ſit potens, à qua potentia omnis alia potentia derivatur.

Eccleſ. 1. a.

Eph. 3. c.

Iob. 36. a.

Sap. 2. d.

A Secunda via ad hoc idem ſumitur ex ipſis rebus, quibus innititur ipſa potentia: hujuſmodi autem res, quibus potentia innititur, ſunt bona interiora, & etiam bona exteriora. Nam per utraque bona ſumus potentes ad aliqua, ad quæ non eſſemus, ſi careremus illis bonis. Vocamus enim bona interiora, quæcumque ſunt in nobis, ſive ſint bona corporalia, cujuſmodi ſunt membra noſtra: ſive ſint virtutes fundatæ in corporalibus, ſicut ſunt potentiæ motivæ, & ſenſitivę, tam exteriores ſicut ſunt quinque ſenſus, quàm etiam interiores ſicut ſunt ſenſus communis, imaginatio, æſtimativa, memoria, & hujuſmodi: ſive ſint potentiæ non organicæ, ſicut ſunt intelB lectus, & voluntas. Per omnia enim illa bona, quę ſunt in nobis, ſumus potentes ad aliqua facienda, ut per membra multa facimus, quæ ſine membris facere non poſſemus. Et per potentias motivas, & per ſenſitivas exteriores, ut per viſum, auditum, & hujuſmodi multa poſſumus, quæ ſine illis non poſſemus: ſic per potentias ſenſitivas interiores, ut per ſenſum communem, & æſtimativam, & memoriam multa operari poſſumus, quæ nõ poſſemus ſine illis. Per potentias enim non organicas, ut per intellectum, & rationem, multa poſſumus, quæ non poſſemus ſine illis: immo Philoſophus in 1. Politicorum vocat intellectum, & rationem eſſe ſæviſſima arma. C Propter quod hominem perfectum virtute dicit eſſe animalium optimum, ſeparatum autem à lege & juſtitia dicit eſſe animalium peſſimum, quia, ut ait, habet ſæviſſima arma: habet enim intellectum, & rationem, quæ ſi vult convertere ad bonum, erit optimus animaliũ, ſi ad malum erit peſſimus. Fundatur ergo potentia noſtra in bonis, quæ ſunt in nobis. Fundatur etiam & in bonis, quæ ſunt extra nos utputà in divitijs, & in facultatibus. Multa enim poſſumus per facultates, & per divitias, quæ ſine illis non poſſemus. In his ergo duobus generibus bonorum, ut in bonis exterioribus, & interioribus, conſiſtit omnis potentia noſtra, vel etiam cujuſcũque creaturæ. Quòd ſi dicatur, quòd etiam potentia noſtra conſiſtit in habendo amicos, in habendo ſubjectos. Conſtat, quòd & hęc reducuntur ad illa, quia ſi ſubditi vel amici non haberent bona exteriora, vel interiora, in nullo eſſemus potentiores propter eos.

Secunda via.

1. Polit. c. 2.

Si ergo omnis potentia noſtra, vel cujuſcumque creaturæ fundatur in bonis exterioribus, vel interioribus, dubitare an omnis potentia ſit à Deo, eſt dubitare an omnia bona ſint à Deo. Cùm ergo certum ſit omnia bona

eſſe

esse à Deo, certum est omnem potentiam esse ab ipso. Et ex hoc illa consideratio Topica dicit: *Potentiam esse de genere bonorum, quia semper fundatur in aliquibus bonis.* Omnis ergo potentia, ut diximus, est à Deo, quia omnia bona sunt à Deo. Et exinde sequitur, quòd potentia semper sit bona, quia res in quibus fundatur semper bonæ sunt: usus tamen potentiæ potest esse bonus, & non bonus. Nam & membris proprijs uti possumus benè, & non benè. Et potentijs tam subjectivis, quàm motivis, quibus etiam potentes sumus, uti possumus benè, & non benè. Ipso enim intellectu, & ipsa ratione, & ipsis actibus, & scientijs, quæ sunt sævissima arma quando eis malè utimur, & optima arma quando benè utimur ipsis, possumus uti benè, & non benè. Divitijs etiam, & facultatibus potest quis benè, & non benè uti. Ideo dicitur in primo Rhetoricorum quòd hoc est commune cum omnibus bonis (exceptis virtutibus) putà robore, sanitate, divitijs, amicitia: talibus enim quis proderit utens justè, & nocebit, supple, utens injustè. Omnium enim talium bonorum, per quæ potentes sumus, usus potest esse bonus, & non bonus. Ipsis etiam virtutibus non formaliter, sed materialiter contingit aliquando malè uti, utputà quando de virtutibus superbimus. Formaliter enim virtutibus semper benè utimur, quia virtutes de se semper inclinant ad bonum: sed materialiter accipiendo virtutes, non prout per eas perfecti, & informati agimus, sed prout sunt materia, & objectum nostræ considerationis, & prout de eis possumus superbire, sic virtutibus possumus malè uti. Ipsis etiam bonis exterioribus, per quæ multoties potentes sumus, benè & malè uti possumus. Et quia loquendum est de potestate, sicut loquimur de rebus, super quibus fundatur potestas: sicut res semper sunt bonæ, sed earum usus potest esse non bonus: sic potestas semper est bona; sed ejus usus potest esse non bonus. Non enim vitiatur aurum, nec dicitur aurum esse non bonum, propter hoc quòd aliquis eo malè utatur. Ideo dicitur in 5 Ethicorum: *Debemus orare quòd divitiæ, quæ sunt bonæ in se, sint bonæ nobis.* Bonæ enim sunt divitiæ; sed sunt malè ei qui eis malè utitur. Sic cùm omnes res bonę sint, sunt tamen malæ, malè utenti. Ita & potestas quælibet bona est, sed potest esse mala malè utenti.

3. *Top.c.3.*

Potentia semper est bona, ejus autem usus anceps est.

Cap.1.circa finem.

Æg.in c. 1. lib.2.Rhet.

Cap.1.

Advertendum tamen, quòd licèt res quælibet bonæ sint, multoties bonum est abstinere à multis bonis, ut vacemus majoribus bonis. Et quamvis conjugium bonum sit, bonum est à connubio abstinere, vt virgines existentes magis possimus vacare divinis. Ideo dicit Apostolus prima Corinth. 7. *Qui matrimonio jungit virginem suam, benè facit, & qui non jungit, melius facit.* Sic & de rebus temporalibus, licèt ipsæ bonæ sint, abrenuntiare tamen eis, ut possit quis liberiùs vacare divinis, potest esse perfectioris meriti. Sic & potestates quantumcumque bonæ sint, à multis tamen potestatibus abstinendo, potest nobis esse ad meritum. Attamen propter commune bonum potest multoties esse majoris meriti se potestatibus implicare, quàm à potestatibus abstinere. Sed de hac materia non oportet hìc loqui diffusiùs. Sufficit enim scire, quantum ad præsens spectat, quòd potestas semper bona est & à Deo est, usus tamen potestatis potest esse non bonus. Advertendum etiam, quòd illud quod dictum est de usu potestatis, veritatem habere potest de acquisitione potestatis. Nam licèt res istæ exteriores bonæ sint, eas tamen possumus alijs usurpare, & injustè eas possidere: tamen propter injustitiam nostram res non vitiantur, nec fiunt malę. Et quod dictum est de rebus, verũ est de potestate, quòd ipsa semper bona est, usus tamen, & acquisitio ejus potest esse non bonus.

1. Cor. 7. 8.

Conjugium

Tertia via.

Tertia via sumitur ex ordine quem videmus in potestatibus. Vult enim Deus quodam ordine gubernare universum, ut inferiora regantur per superiora, & sint subdita superioribus: secundùm quem modum loquitur Aug. tertio de Trinitate, ubi ait: *Voluntas Dei est prima, & summa causa omnium.* Et ibidem vult, quòd per voluntatem Dei quodam ordine regatur universa creatura, ut corpora graviora, vel grossiora per subtiliora, & omnia corpora per spiritũ. Si ergo sic est in regimine naturali, quòd quodam ordine regatur vniversa creatura, ita quòd creatura inferior regatur per superiorem, oportet sic esse in regimine hominum, & in regimine morali, ut subditi regantur per potestates sibi præsidentes, & potestas inferior per superiorem: in quo ordine maximè refulget Divina sapientia, & Divina bonitas. Nam ordinare potissimè attribuitur sapienti: nam ex hoc omnia in sapientia facta sunt, quia omnia per Divinam sapientiam sunt congruè ordinata. Et inde est, quòd sapientes Philosophi dixerunt, duplex bonum scilicet bonum ducis, & bonum ordinis, ut patet ex 12. Metaph. Dixerunt etiã quòd post bonũ ducis non est tantùm bonũ, sicut est bonũ ordinis. Nam quòd omnia ordinata sint sub duce, hoc est magis bonum post bonum ducis: sic quòd omnia ordinata sint sub Deo, hoc est majus bonum post Divinum bonum. Quòd ergo

Cap. 4.

Cap. 10. seu Com. 52.

hoc

hoc bonum ordinis ; quod est tantùm bonum, non sit à Deo, est inconveniens dicere. Et quia ex hujusmodi ordine quòd unum sit sub alio sumitur ratio potestatis, ideò dicitur omnis potestas esse à Deo. Propter quod & Apostolus ad Rom. 13. cùm priùs dixisset, quòd non est potestas nisi sit à Deo, statim subdit, *Quæ autem* Rom. 13. a. *à Deo sunt, ordinata sunt.* Vult ergo ex ipso ordine potestatum probare Apostolus, quòd non sit potestas nisi à Deo.

Quarta via. Quarta via ad hoc idem sumitur ex causalitate, quæ competit potestati. Nam potestas, ut potestas est, est causa efficiens : si autem sit causa deficiens, hoc non est potestas, ut potestas est, & ut potentia, sed ut est impotentia : secundùm quem modum loquitur August. 12. de Civitate Dei, cùm ait : *Nemo igitur quærat efficientem causam malæ voluntatis. Non enim est efficiens, sed deficiens.* Vnde, & ibidem vult, quòd malum non habeat causam efficientem, sed deficientem. Exinde etiam est, quòd tam Aug. quàm Origenes exponentes illud Ioannis : *Et* Ioan. 1. a. *sine ipso factum est nihil.* Dicunt hoc intelligendum esse de peccato, quod secundùm se nihil est, quia secundùm se non habet causam efficientem, sed deficientem. Ex nobis enim est, quòd deficiamus, sed ex ipso Deo est quòd aliquid faciamus, juxta illud : *Sine me nihil pote-* Ioan. 15. a. *stis facere.* Omnes ergo causæ efficientes reducuntur in primum efficiens, & sunt à primo efficiente, ut à Deo. Et quia potestas ut diximus secundùm quod hujusmodi est causa efficiens, consequens est, quòd non est potestas nisi à Deo.

Quinta via. Quinta, & ultima via sumitur ex actibus vel ex operibus, ex quibus habet esse potestas. Et hæc via potissimè respicit ordinem potestatum in actibus humanis, vel in moralibus. Primæ enim quatuor viæ, & ad naturalia, & ad moralia adaptari possunt. Nam ubicumque cõtingat potestas ex actibus hominum, sive contingat ex actu generationis, ut in his quę succedunt jure hereditario, ideſt qui jure hereditario habent aliquam potestatem, sive sit ex consensu, ut in his quæ fiunt per electionem, vel etiam dato, quòd non sit potestas legitima, sed usurpata, ipsa potestas semper de genere bonorum est, licèt fortè possessor esset malus, vel malè uteretur ea, vel non legitimo modo acquisivisset illam. Et quia, ut diximus, loquendum est de potestate, sicut loquimur de rebus, super quibus fundatur hujusmodi potestas (Nam qui habet potestatem, vel habet eam, quia habet suis se castra, civitates, & homines : vel quia habet divitias artificiales, sicut sunt numismata vel quia habet divitias naturales, sicut sunt ea, quæ sunt in substentamentũ corporis) Qualitercumque sumatur hujusmodi potestas, ipsa quidem bona erit, sicut & res bonæ sunt, licèt usus, sive acquisitio rerum, vel potestas possit esse non bona. Quantumcumque non furtivè habeatur aurum, ipsum quidem aurum bonum erit : licèt modus habendi, vel modus utendi, possit esse non bonus. Dicemus quidem quòd totus mundus regitur Divina providentia : & quòd homo unus assumatur ad potestatem, vel assumatur alter, hoc est ex Divino opere, vel ex Divina permissione, ut ex hoc omnis potestas dicatur esse à Deo.

Ex hoc autem patere potest, secundùm quod proponebatur in rubrica hujus capituli, videlicet quòd ōnis potestas est à Deo, & specialiter potestas Ecclesiastica. Nam sicut dicimus de rebus prout sunt à Deo, sic dicimus de modis essendi, prout Deus est in rebus. Dicimus enim quòd per præsentiam, essentiam, & potentiam est Deus in rebus omnibus generaliter : sed in his, quæ spectant ad salutem nostram, dicitur Deus esse specialiter. Nam licèt illis tribus modis sit Deus in omnibus rebus generaliter, speciali tamen modo est in omnibus Justis per gratiam, in Beatis per gloriam. Vnde dicitur Deus ad nos venire, cùm nobis suam dat gratiam : & à nobis recedere, cùm suam gratiam perdimus. Igitur, quia Deus speciali modo dicitur esse in nobis quantum ad ea quæ spectant ad salutem nostram, ideò licèt quadam providentia totũ mundũ regat generaliter, & de toto universo sit sibi cura generaliter : quodam tamen speciali modo curam gerit de Ecclesia sua, & de hominibus salvandis, juxta illud Pauli ad Corinth. *Nunquid de bobus cura est Deo ?* 1. Cor. 9. b. Certum est quidem, quòd Deus, & de bobus, & de omnibus suis creaturis habet curam, & providentiam : quia *Et si duo passeres asse vænũt :* Matth. 10. c. *& unus ex illis non cadet super terram sine Patre nostro*, ideſt sine providentia Patris nostri. De omnibus ergo habet providentiam sed illam curam, & illam providentiam, quam habet de sua Ecclesia, & de nobis, non habet de alijs animalibus. Et quia quamdam specialem curam habet de nobis, & de Ecclesia sua, ideò omninò est fatendum, quòd nullus ad potestatem ecclesiasticam assumitur, sine speciali Divino opere, vel sine speciali ejus permissione. Et si aliquando, ut inquit Iob, *Adducit consiliarios in* Iob 12. c. *stultum finem, & judices in stuporem.* Hoc fit, quia illi, qui debent consulere de persona Ecclesiastica eligenda, & qui debent judicare quæ persona sit assumenda ad ecclesiasticum regimen, ducuntur in stultum finem, quia præficiunt hominem non idoneum, & non habentem suffi-

cientem ſcientiam ad regendum. Omnis ergo poteſtas eſt à Deo ſecundùm quemdam modum generalem, & totus mundus regitur Divina providentia, ut ſine Dei providentia nullus aſſumatur ad aliquod regimen, & ſine ea nulli cõpetat habere aliquam poteſtatem. Quodam tamen ſpeciali modo poteſtas Eccleſiaſtica eſt à Deo, quia quodam ſpeciali modo Deus habet curam, & providentiam de Eccleſia ſua, & de nobis. Diu itaque locuti ſumus, quomodo omnis poteſtas eſt à Deo, ut ex hoc habeamus viã ad ſolvendum multa argumenta ad oppoſitum, quæ fundata ſunt ſuper hujuſmodi fundamento.

CAP. V.

Vbi declaratur, quòd omnes illæ quinque viæ, quibus oſtendebatur à Deo eſſe quamlibet poteſtatem, poſſunt ad noſtrum propoſitum adaptari, videlicet quòd Papa renunciare poteſt.

LICET non ſit noſtra intentio principalis declarare in hoc capitulo, quòd Papa renunciare poteſt, quia de hoc in ſequentibus ſpecialiter proſequetur: tamen cùm intẽdamus ſolvere rationes oppoſitas volentes probare, quòd Papa renunciare non poſsit, ideò volumus declarare, quòd omnes illæ quinque viæ, per quas oſtendimus in præcedenti capitulo omnem poteſtatem eſſe à Deo, ſunt ad noſtrum propoſitum, & non ad oppoſitum. Ex illis quidem quinque viis erant quatuor generales, oſtendentes quòd omnis poteſtas tam in regimine naturali, quàm in morali eſt à Deo. Quinta verò via ſpecialiter videbatur reſpicere morale negotium. Et quia rationes adverſariorum ex hoc fundamẽto, quòd papalis poteſtas eſt à Deo, nos impugnare conantur, ideò oſtendere volumus, quòd tam primæ quatuor viæ generales, quàm etiam quinta, & ultima ſpecialiter noſtrum propoſitum, quòd Papa renunciare poteſt, arguunt, & affirmant.

Erat quidem prima via ſumpta ex parte ipſius potentiæ. Nam quidquid reperitur in Deo, & in creaturis, oportet, quòd illud repertum in Deo ſit cauſa omnium repertorum in creaturis: & quia potentia reperitur in Deo, & in creaturis, ideò à potentia reperta in Deo, erit omnis alia potentia. Arguit enim illa ratio, quòd non eſt poteſtas, quæ non ſit à Deo: ſed non arguit, quòd opere creaturarum non poſsit poteſtas tolli, vel amoveri, vel deſinere eſſe. Iſta ergo propoſitio generalis, quòd omnis poteſtas eſt à Deo, vel omnis ſapientia eſt à Deo propter prætaxatam regulam, quia à potentia in Deo eſt omnis alia potentia, & à ſapientia in Deo eſt omnis alia ſapientia, & à perfectionibus in Deo, ſunt omnes aliæ perfectiones: iſta quidem univerſalis regula non tollit operationem creaturarum, quando ipſæ creaturæ cooperantur ad hujuſmodi perfectiones: non ſunt enim ſupervacua opera Divinæ ſapientiæ, nec ſunt creaturæ otioſæ, ut poteſt haberi Sapientiæ. 14. Et quia in his, quæ ſunt à Deo, cooperantur ipſæ creaturæ, ideò ſicut creaturæ cooperantur, ut illud fiat, ſic operatione creaturarum fieri poteſt ut illud non fiat. Prima ergo via, qua concludebatur in præcedenti capitulo, quòd omnis poteſtas eſt à Deo, & quòd Papatus eſt à Deo, ſicut & alia bona ſunt à Deo, non obviat dicto noſtro, quòd Papa renunciare poteſt: ſed potiùs quantum ad præſens ſpectat, aſſerit dictum noſtrum, quòd renunciare poteſt: quia illud quod ſic eſt à Deo, quòd ad illud poſſunt cooperari creaturę, creaturarum opere tolli poteſt, ut patet per præhabita, quia quãvis Papatus ſit à Deo, tamen quia ex eiſdem contrario factis ut ex conſenſu eligentium, & ex aſſenſu electi quòd iſte ſit Papa, fiet de non Papa, Papa: & ex eiſdem contrario modo factis ut quòd eligentes conſentiant, quòd Papa renũciet, & ſit non Papa, & ipſe aſſentiat, ceſſabit in eo papalis poteſtas, & fiet de Papa non Papa. Via ergo prima quòd omnis potentia eſt à Deo ſumpta ex ipſa potentia, eſt pro nobis quòd Papa renunciare poteſt.

Erat autem ſecunda via ſumpta ex ipſis rebus. Nam quia omnis poteſtas fundatur in aliquibus rebus: ſicut omnes res bonæ ſunt, & omnes res ſunt à Deo, ſic omnis poteſtas eſt de genere bonorum, & non eſt poteſtas niſi à Deo. Ex illa igitur ſecunda via non arguitur, quòd non poſsint opere creaturarum amoveri poteſtates: nam etſi poteſtates ſunt à Deo ſicut & res, tamen ad productionem rerum aliquid cooperantur creaturæ. Illæ ergo res, ad quarum productionem aliquid cooperantur creaturæ, nullum videtur inconveniens, ſi opere creaturarum tolli poſſunt; ut ſi ad productionem pluvię operatur Sol, vapores humidos elevans, eadem occaſione ſolis in contrarium facta, vapores ſcilicet humidos deſiccante, tollitur pluvia. Sic quia ad hoc quòd aliqua perſona ſit Papa cooperantur homines ipſum eligendo, & cooperatur ipſemet electioni de ſe factæ aſſentiendo: ideò ſicut opera humana ad hoc cooperantur, ita operibus humanis poterit hoc tolli. Iſta ergo ſecundâ via eſt pro nobis, quòd Papa renunciare

tiare poteſt. Sed dices, nunquid omnia, ad quę operantur creaturæ, poſſunt opere creaturarum tolli? Dicemus, quòd ſi illa operatio non excedit facultatem creaturæ, ſi poteſt opere creaturarum fieri, poterit opere creaturarum tolli. Nam licèt deſtructa non poſsint ſemper refici, quia non ſemper à privatione ad habitum fit regreſſus: conſtructa tamen poſſunt deſtrui. Et ſi inſtantiam videtur habere in ſpiritualibus, apparebit in ſequentibus quòd non eſt inſtantia, ubi creditur eſſe inſtantia: quia ſpiritualia, quæ ſic poſſunt conſtrui quæ non poſſunt deſtrui, hoc eſt, quia aliis corporalibus, quæ ad illa ſpiritualia cooperantur aliquid, eſt collatum ſupra facultatem naturæ: ſed de hoc in ſequentibus clariùs proſequemur. Nunc autem ſcire ſufficit, quòd ſi ex ipſis rebus volumus arguere omnem poteſtatem eſſe à Deo, non propter hoc obviatur dicto noſtro, nec propter hoc concludit, quòd Papa renunciare non poſsit: ſed potiùs, quòd renunciare poteſt.

Erat tertia via, per quam venabamur omnem poteſtatem eſſe à Deo, ſumpta ex ipſo ordine, quem videmus in poteſtatibus. Vult enim Deus, ut dicebatur, quodam ordine gubernare univerſum, ut inferiora regantur per ſuperiora. Iſte etiam modus, quem videmus in regimine univerſi, voluit Deus quòd eſſet in regimine hominum, ut quòd aliqui eſſent ſuperiores, aliqui inferiores, aliqui eſſent ſubditi, aliqui prælati: ex quo ordine ſumitur ratio poteſtatis. Et quia ille ordo eſt à Deo inſtitutus, & ordinatus tam in regimine rerum, quàm in regimine hominum, ideò, ut dicebatur, Apoſtolus ſignanter cùm priùs dixiſſet, *Non eſt poteſtas niſi à Deo*: ſtatim poſteà ſubdit, *Quæ autem à Deo ſunt, ordinata ſunt*: ut ex ipſo ordine, unde ſumitur ratio poteſtatis, ſufficienter appareat, quòd non eſt poteſtas niſi à Deo. Sed ex illa via non obviatur propoſito noſtro: immò magis concluditur propoſitum noſtrum, quòd Papa renunciare poteſt. Nam ſi ex ordine quem videmus in rebus, arguimus omnem poteſtatem eſſe à Deo: ad iſtum tamen ordinem ipſæ res cooperantur: ut ſi aer eſt ſupra aquam ordine naturali, tamen ad hoc, quòd hæc materia, in qua eſt forma aeris, ſit ſupra materiam in qua eſt forma aquæ, cooperantur corpora cœleſtia, & etiam iſta inferiora: quia poteſt ſubtiliari aqua, & fieri inde aer, & ex hoc habebit ſuperius: ſic etiam poteſt aer ingroſſari opere creaturarum, & fiet inde aqua, & habebit inferius. Et quod dictum eſt de ordine rerum naturaliũ quòd opere naturę ſit hæc res ſuperior, & hæc inferior: ſic eodem opere in contrarium facto quod eſt ſuperius fiet inferius, ut ſi actione naturali aqua ſubtilietur, & fiat aer, quòd erat inferius fiet ſuperius: ſic eadem actione naturali in contrarium facta, utputà, ſi aer ingroſſetur, fiet aqua, & quod erat ſuperius fiet inferius. Hoc etiam in regimine hominum veritatem habet. Nam & homines, ſi ſit regimen ſeculare ſive eccleſiaſticum, poſſunt ſibi præficere alios ſupra ſe, ita quòd ad hujuſmodi regimen, & ad hujuſmodi poteſtatem cooperentur ipſi homines, ſibi aliquem præficiendo: & cooperetur ipſe, qui eſt præfectus, hujusmodi regimini aſſentiendo. Et ut deſcendamus ad poteſtatem papalem, licèt hujuſmodi poteſtas fundetur in quodam ordine, prout omnes alij ſunt inferiores, & ipſe eſt ſuperior: ad hunc tamen ordinem cooperati ſunt ipſi homines, videlicet ipſi electores conſentiendo, ut hic Papa ſit ſuperior: cooperatus eſt etiam ipſe electus, huic ſuperioritati de ſe factæ aſſentiendo. Sic ergo in naturalibus, opere naturæ fit inferius ſuperius: & opere naturæ in contrarium facto, ſuperius fit inferius. Ideò dictum eſt, nihil eſſe tam naturale, quàm morale, quod per eadem, per quę ſunt condita, in contrarium facta non deſtruatur: ſecundùm quem modum Philoſophus ait in 2. Eth. *Quòd ex eiſdem virtus generatur, & corrumpitur: ex eiſdem enim ut ex operibus noſtris in contrarium tamen factis, generantur virtutes, & corrumpuntur.* Sic ex eiſdem ut ex conſenſu eligentium, & aſſenſu electi in contrarium tamen factis, fiet, & tolletur poteſtas papalis. Vt ſi eligentes conſentiant, & electus aſſentiat quòd ſit Papa, erit in eo poteſtas papalis: ſic ex eiſdem in contrarium factis, ut ſi & eligentes renunciationi conſentiant, & qui fuerat electus renunciat, & aſſentiat quòd non ſit Papa, non erit ampliùs Papa, & deſinet eſſe in eo poteſtas papalis. Immò plus credimus, quòd ſi prefícientes aliquem in Papam, nullo modo aſſentirent, quòd confectus renuntiaret, ipſe tamen ſic præfectus liberè, & ſponte renunciaret coram eis, qui eum præfecerint, non ulteriùs eſſet Papa. Quia non oportet quòd tot requirantur ad deſtruendum, quot ad conſtruẽdum. Nam ſi ad conſtruendum, & ad hoc quòd aliquis ſit Papa, requiritur utrumque, & conſenſus præficientium, & aſſenſus præfecti: non tamen oportet, quòd ambo concurrant ad deſtruendum, & ad hoc quòd præfectus non ulterius ſit Papa, ſed ex ſuperabundanti eſt, quòd ibi utrumque occurrat.

NOTA.

Quinta verò via ad oſtendendum omnem poteſtatem eſſe à Deo ſumebatur ex cauſalitate, quæ competit poteſtati. Dicebatur enim, quòd poteſtas ſecundùm quod hujuſmodi eſt cauſa efficiens, non deficiens. Nam ſi ſit po-

Quinta.

testa deficiens, hoc non competit ei, ut est potestas, vel ut est potentia, sed ut est impotentia. Posse enim deficere non est posse, sed est non posse. Et quia omnes causæ efficientes reducuntur in causam efficientem primam: & quòd sint causæ, hoc habent ex causa prima, consequens est, quòd omnes potestates reducantur in potestatem primam; & quòd sint potestates, hoc habent per potestatem primam, videlicet per potestatem Divinam: ideo concludere possumus, quòd non est potestas nisi à Deo. Sed ex hac via generali, quæ arguit de omni potestate quòd sit à Deo, non concluditur quòd Papa renunciare non potest, sed potius quòd renunciare potest. Nam quòd hoc sit causa, & hoc causatum ex opere naturæ contingere potest: quia loquendo de causis agentibus, ut hìc loquimur, ad causam spectat agere, ad causatum verò pertinet suscipere actionem agentis. Sed quodlibet agens agit ut est in actu, & agit per suam formam; & illud quod recipitur in passo ab agente, est forma vel perfectio aliqua, per quam passum assimilatur agenti. Sed cùm formam inducere in materia, & removere formam à materia, sit opus naturæ, quia naturale est ipsi materiæ ut est subjecta contrarijs formis, quòd possit expoliari una forma, & indui alia: ad opus naturæ reducere possumus, quòd hæc sit causa, & hoc sit causatum: vel quòd hoc sit activum, & hoc passivum. Et quia, quæ opere naturæ fiunt, per opus naturæ tolli possunt: ergo à simili potestas Ecclesiastica, ad quam cooperatur opus humanum, opere humano tolli potest. Immo si volumus descendere ad summè activum in istis naturalibus, & ad summam potestatem in Ecclesiasticis, dicemus quòd ut hoc sit multum, & summè activum, hoc autem multum passivum, per opus naturæ fit contrario modo factum. Nam si materia, quæ est sub forma aeris, multum rarefiat, & intendatur in calore, fiet inde ignis, qui est maximè activus: si verò contrario modo fiat, utputà si materia, quæ est sub forma ignis condensetur, & remittatur in ea calor, fiet inde aer, qui est multùm passivus: ita quòd opere naturæ contrario modo factæ, activum fiet passivum, & è converso. Ex illa itaque via generali per quam arguitur omnem potestatem esse à Deo ex causalitate, & actione rerum, patet quòd per idem contrario modo factum, aliquid generatur, & corrumpitur: ut si opere naturæ per rarefactionem generatur ignis, opere naturæ per condensationem, quæ opponitur rarefactioni, corrumpetur ignis. Et quia ignis est summè activus, & summè habet potentiam agendi inter hæc inferiora; consequens est, quòd summa potentia agendi in istis inferioribus per idem contrario modo factum, generabitur, & destruetur. Quapropter si hoc volumus adaptare ad summam potestatem de regimine hominum, quæ dicitur potestas papalis, dicemus quòd sicut potestates, quas videmus in rebus naturalibus, sunt à Deo, tamen quia ad potestates illas cooperatur natura, ideo tales potestates sicut possunt per naturam fieri, sic opere naturæ contrario modo factę possunt corrumpi, & tolli, ita quòd etiam summa potestas in hac sphera activorum, & passivorum per opus naturæ generatur, & tollitur: sic & potestas Ecclesiastica licèt sit à Deo, tamen quia ad hujusmodi potestatem Ecclesiasticam cooperantur homines, consequens est, quòd per opus humanum contrario modo factum possit talis potestas esse, & desinere esse; ita quòd & summa potestas Ecclesiastica, cujusmodi est potestas papalis, tolli poterit, si ex istis naturalibus volumus sumere exemplum, cùm si ea, quæ videmur in naturalibus, volumus adaptare ad regimen hominum, & ad potestatem Ecclesiasticam. Dicemus ergo, quòd potestas Ecclesiastica, & etiam summa potestas, sicut est potestas papalis, quoniam ad hujusmodi cooperantur homines, (ut sæpius dictum est) quia cooperatur ibi consensus præficientium, & assensus præfecti, ideo si hoc in contrarium fiat, tolletur à præfecto in Papam potestas illa, & ex tunc præfectus hujusmodi non ulterius habebit jurisdictionem papalem: ut si postèa eligatur, & præficiatur alius, non erunt duo capita, nec erit propter hoc Ecclesia monstruosa, quia primus, qui renunciavit, desinit esse caput. Sed diceret aliquis nos involvere sciétias sermonibus imperatis, quia dicet nos accipere fundamentum invalidum, contra quod multæ instantiæ possunt assignari, quoniam non quidquid fit opere humano potest per opus humanum tolli. Est enim instantia in matrimonio. Nam solus consensus facit matrimonium: si post consensum conjuges dissentiant, matrimonij vinculum non tolletur. Est etiam instantia in impressione characteris, quia si in ordinibus sacris character imprimitur, & etiam in Baptismo, & in Confirmatione, per nullum opus humanum poterit hujusmodi character removeri. Possunt etiam multæ aliæ instantiæ assignari quantum ad spiritualia, quæ facilius fiunt, quàm destruantur. Sed rationes seqnétes aliqualiter ista tangunt, ideo in prosequêdo omnia ista solventur. Ad præsens autem in tantum sit dictum, quòd per se est hæc propositio vera, videlicet, quidquid opere humano

mano

mano fit, humano opere tolli potest. Si autem in aliquibus habet instantiam, hoc est quia aliquid aliud obviat. Ideo, ut in prosequendo patebit, omnes hujusmodi instantiæ non sunt contra nostrum propositum, quia in nostro proposito nihil obviat, ut in sequentibus capitulis clariùs ostendetur. Ea propter si ex consensu præficientium, & assensu præfecti, præficitur quis in Papam, his in contrarium factis, non ampliùs erit Papa, idest non ampliùs habebit jurisdictionem papalem.

Viso, quomodo illæ viæ quatuor generales, per quas arguitur quòd non est potestas nisi à Deo, non sunt contra nos, sed potiùs sunt pro nobis, quia ex qualibet earum concludere possumus, quòd Papa renunciare potest: volumus exequi de via quinta, prout specialiter adaptatur ad hanc materiam, prout Deus habet specialem providentiam de sua Ecclesia, & specialiter de capite Ecclesiæ, ut nullus præficiatur ut sit caput Ecclesiæ sine speciali Dei opere, vel sine speciali ejus permissione, ut ex hoc potestas papalis specialiter dicatur esse à Deo. Nam si Deus habet specialem curam de sua Ecclesia; si assumptus ad talem regimen sit insufficiens nec sciat Ecclesiam gubernare, nonne quilibet existimare debet, quòd sit specialis Divinus instinctus, quòd sic assumptus cedat, & alius expertus, & scientia præditus præficiatur in Papam? Sed diceret aliquis, si Deus habet specialè curã de sua Ecclesia, & de capite Ecclesiæ, quomodo fieri potest quòd sic simplex præficeretur in caput. Sed, ut diximus, potestas papalis specialiter est à Deo, sed quòd sit in hoc, vel in illo, non est semper ex speciali Divino opere, sed esse potest ex speciali Divina permissione: ita quòd semper est hæc potestas specialiter à Deo in hac persona, vel in illa, vel ex speciali ejus opere; vel ex ipsius permissione speciali. Et si volumus assumptionem, & cessionem Cœlestini adaptare ad hæc duo, assumptionem ejus adaptabimus ad specialem Dei permissionem, & cessionem ad specialè ejus operationem. In assumptione quidem refulgebat Divina permissio, in cessione, Divina operatio. Quod si tamen de his nesciremus reddere causam, vel rationem, diceremus cum Augustin. 22. de Civitate Dei, qui ait: *Fixam tamen rationem apud nos esse, non sine ratione omnipotentem facere, unde animus humanus infirmus rationem non potest reddere.* Ergo si animus nostrer nesciret reddere rationem, nullo tamen modo concedere debemus omnipotentem Dominum aliquid sine ratione facere, vel sine ratione aliquid permittere. Nam & si permittit mala, hoc tamen facit, ut inde eliciat bona, juxta illud Augustin. in Enchiridion. *Omnipotens non sineret mala fieri, nisi adeò omnipotens esset, quòd posset de malis bona elicere.* Immo si nulla esset alia ratio, quare Deus illud permisit, hoc esset satis sufficiens, quia tunc adimpletum est quod dicitur. 1. Corinth. *Perdam sapientiam sapientium, & prudentiam prudentium reprobabo.* Quia enim tanto tempore vacaverat Ecclesia, quam vacationem, qui habebant caput eligere, fecerant, quia fortè nimis de sua prudentia confidebant, congruum fuit, ut eorum reprobaretur prudentia, & talem eligerent, de quo evidenter appareret, quòd nesciret Dei Ecclesiam gubernare. Sed volens Christus compati Ecclesiæ sponsæ suæ, nolens suam Ecclesiam sub imperito gubernatore diu consistere, piè debemus credere, quòd fuit ejus speciale opus, & specialis instinctus quòd sic assumptus renunciaret, & cederet.

Cœlestinus.

Cap. 5. *Multa sunt quæ non rectè agnosci queunt.*

Isa. 33. e

CAP. VI.

In quo solvitur ratio prima arguens quòd non potest Papa renunciare, vel cedere, quia papatus est à solo Deo.

ARguebatur superiùs contra renunciationem Papæ, quòd cùm Papatus sit à solo Deo, & quæ à Deo, vel ab alio superiori cõmittuntur, à nullo possunt inferiori renunciari: Papatus qui à solo Deo est, à nullo inferiori removeri potest. Sed hæc ratio falsa quidem recipit, quia peccat in materia: & non syllogizat, quia peccat in forma. Distinguendum est ergo, quomodo potestas papalis est à Deo solo, & quomodo non est à solo Deo. Nam si loquimur de hujusmodi potestate in se, dicemus omnia esse à solo Deo, quia quis posset illam potestatem dare hominibus, quòd ligatus in terra, sit ligatus in cœlo: & solutus in terra, sit solutus in cœlo, nisi solus Deus: nam illa est tanta potestas quòd solus Deus eam conferre potest. Sed si consideratur hujusmodi potestas prout est in hoc, vel in illo, sic pro tanto est à solo Deo, quia omnia opera nostra attribuenda sunt Deo, juxta illud Isaiæ: *Omnia enim opera nostra operatus es nobis.* Ipse est enim qui operatur omnia in omnibus, & qui operatur in nobis velle & perficere. Sed quæ sunt sic à solo Deo, quia ei soli debet attribui omne opus nostrum, quia ab ipso est si operamur, à nobis

Isa. 26. b.

Dei nos sumus cooperatores.

bis

bis est si in opere deficimus, non excludit co-
operationem nostram, quia coadjutores Dei
sumus. Ipsi enim soli hæc omnia sunt attribuē-
da, quia ipse solus in bonis nostris operibus est
laudandus: nos tamen sumus cooperatores ejus.
Igitur si à solo Deo est Papatus, est tamen in
hac persona, vel in illa per cooperationem hu-
manam. Et quia ad talem potestatem habendā
intervenit opus humanum, ideo opere humano
desinere potest, quia cooperatione humana
esse habuit. Exemplum autem habemus in na-
turalibus, & in gratuitis. In naturalibus quidē
de anima humana: in gratuitis verò de gratia.
Nam quis dubitare potest quòd anima humana
est à solo Deo? Nam anima humana immate-
rialis est, quia, ut dicit ille Boetius: *Nulla*
spiritualis substantia alicujus materiæ innititur
fundamento. Dato tamen quòd anima humana
haberet materiam partem sui, non tamen fit ex
materia præjacente, ita quòd oporteat non per
creationem producatur in esse: quæ autem
non nisi per creationem producuntur, à solo
Deo produci possunt, juxta illud Ezechielis:
Ezech. 18. a *Omnes animæ, meæ sunt*: quia per creationem à
solo Deo anima in esse producitur. Sed licèt
anima humana fit à solo Deo, est tamen in
hoc corpore per operationem naturæ, ut per
operationem virtutis, quæ est in semine, for-
mantis membra, & depurantis humidum radi-
cale in membris: quod faciendo disponitur
corpus ad susceptionem animæ, ita quòd hu-
midum radicale depuratum, est dispositio cor-
poris, ut sit in eo anima: idem humidum fa-
ctum impurum disponit corpus, ut separetur
ab eo anima: hoc enim modo moritur homo,
quia calor naturalis depascit humidum radica-
le, & consumit carnem nostram. Istud tamen
consumptum restauratur per cibum sive per
alimentum, sed istud quod restauratur non est
ita purum, sicut est illud quod consumitur. Si-
cut si aliquis extraheret vinum ab aliquo do-
lio, & poneret ibi aqua: toties enim posset hoc
facere, quòd esset vinum ita aquosum, quòd
non posset facere vini opus: Sic etiam in pro-
posito semper consumitur illud quod est magis
purum, & restauratur quod est minus: tantum
ergo potest homo vivere, & toties posset sic
fieri, quòd erit caro ita impura, quòd non
posset facere carnis opus: propter quod opor-
tet animam recedere à corpore.

Per idem ergo contrario modo se habens
infunditur anima corpori, & desinit esse in cor-
pore: nam per humidum radicale purum in
membris formatis disponitur corpus ut infun-
datur illi anima, & Deus infundit illi animam:
& per idem humidum factum impurum dispo-

A nitur corpus, ut separetur inde anima. Exem-
plum etiam habemus in gratuitis de gratia; nam
nullus dubitare potest quin gratia sit à solo Deo,
tamen quòd sit in hoc homine, vel in illo co-
operatur ibi voluntas humana ut voluntas est,
quæ suscipit gratiam. Nam nullus adultus po-
test suscipere gratiam nisi per voluntatem con-
vertat se ad Deum, à quo est gratia: *Nam si* *Aug. de ver.*
Deus creavit te sine te (loquendo de adultis) *Ap. Ser. 15.*
non justificabit te sine te: oportet enim quòd per
voluntatem te convertas ad Deum, à quo est
gratia, si vis suscipere gratiam. Nam sicut si
vis illuminari, oportet quòd te convertas ad
lumen: sic si vis habere gratiam, oportet quòd
te convertas ad fontem gratiæ. Arguitur ergo
B sic, à solo Deo est anima humana, & à solo
Deo infunditur in hoc corpore, ergo non nisi
per solam virtutem Divinam potest separari
ab hoc corpore. Constat quòd istud argumen-
tum est falsum: peccat enim in materia, quia
falsa recipit; & peccat in forma, quia non cō-
cludit, vel non syllogizat. Falsum quidem re-
cipit, quia cùm dicis quòd anima humana est à
solo Deo, si intelligas quòd ita sit à solo Deo,
& in se, & in hoc corpore, quòd nihil co-
operatur ibi natura, falsum est: & quia ali-
ter non concludit ratio præfata nisi sub hoc
sensu quòd anima humana ita sit à Deo, & in
se, & in hoc corpore, quòd ad hoc nihil ope-
ratur natura, ideo benè dictum est quòd præ-
C dicta ratio falsa recipit, & peccat in materia.
Rursus, ratio præfata non syllogizat, vel non
concludit, quia peccat in forma: nam cùm di
cit: Anima humana à solo Deo infunditur in
hoc corpore, ergo non potest ab hoc corpore
tolli opere naturę, nec alio opere quàm Divi-
no, ita quòd nec calor naturalis potest per
suam naturam tantùm depascere humidum ra-
dicale, quòd corrumpat hominem, nec ad
aliud poterit hominem permutare, sed solùm
opere Divino poterit hoc fieri, patet falsum
esse. Peccat enim hæc ratio per accidens: accidit
humanæ animæ, ut infūdatur huic corpori à solo
D Deo, quòd tollatur ab hoc corpore opere na-
turæ vel opere alio quàm Divino, quia non tol-
litur anima ab hoc corpore opere naturæ prout
infunditur illi corpori à solo Deo, sed prout
illi infusioni cooperatur natura: nam si potest
natura disponere corpus, ut infundatur ei ani-
ma, potest sic natura transmutare corpus, &
reddere ipsum sic indispositum, quòd ab eo se-
parabitur anima. Accidit ergo animæ quod
dictum est, quia hoc non competit ei prout à
solo Deo est infusa, sed prout illi infusioni
alia sunt cooperata: nam si alia possunt coope-
rari ut huic corpori infundatur anima, pote-

runt

sunt etiam alia cooperari ut ab illo corpore etiam separetur anima: & quia accidens, ut hic de accidente loquimur, est una de 13. fallacijs, cùm ergo omnes illæ 13. fallaciæ, de quibus agitur in Elenchis, non syllogizant nec concludunt, & peccant in forma, consequẽs est quòd præfata ratio, quæ peccat per fallaciam accidentis, non syllogizat, nec concludit & peccat in forma: quod declarare volebamus. 2. Elench.

Ostensũ est itaque, quòd ratio arguens, quòd anima rationalis, quæ est infusa huic corpori, à solo Deo est, non potest ab illo corpore opere naturæ, vel alio opere quàm Divino tolli, vel separari, peccat in materia, quia falsa recipit: & peccat in forma, quia non arguit nec concludit, nec syllogizat. Ideo per simile manifestè patet, quòd ratio arguens, quòd quia potestas papalis est à solo Deo, ideo non potest opere humano ab homine tolli, peccat in materia, quia falsa recipit, & peccat in forma, quia non syllogizat nec concludit. Nam si dicatur, quòd potestas papalis sic est à solo Deo in hoc homine, quia ad hoc quòd ille homo sit Papa, nihil cooperati sunt homines, patet falsum esse. Et quia hujusmodi ratio non concludit universaliter nisi sub hoc sensu, ideo benè dictum est, quòd falsa recipit, & peccat in materia: peccat enim hujusmodi ratio per fallaciam accidentis: accidit enim ipsi potestati papali, quòd potest tolli per opus humanũ in quãtum est à Deo, quia prout hujusmodi potestas est à Deo non tollitur per opus humanum, sed prout talis potestas est in hoc homine, quòd cooperantur ad hoc ipsum homines, poterit per opus humanum tolli ab hoc homine, vel desinere esse in illo homine. Erat autem ad hoc idem aliud exemplum de gratia: nam si dictus modus arguendi valeret, sequeretur quòd nunquam per culpam, nec per peccatum aliqua tolleretur gratia. Arguatur ergo sic: A solo Deo gratia infunditur animæ, ergo non nisi à Deo gratia poterit removeri ab anima, sed culpa, & peccatum non sunt à Deo, quia ut suprà tetigimus, omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil: idest peccatum, vel culpa, secundùm quod plures sanctorum exponunt: culpa itaque, & peccatum, quæ non sunt à Deo, non poterunt tollere gratiam ab anima, quæ à solo Deo infunditur animæ. Constat quòd & hæc ratio, sicut & alia, falsa recipit, & non syllogizat: peccat enim in materia, & in forma: nam si sic esset gratia à Deo quòd nihil ad eam habendam cooperaretur homo, non posset opere humano tolli ad quod nihil cooperari potest opus humanum. Oportet ergo quòd illa ratio, gratia est à solo Deo, ergo non nisi opere Divino tollitur, sub hoc sensu intelligatur, quòd ita sit gratia à solo Deo, quòd ad eam habendam nihil cooperetur, vel cooperari possit homo: secundũ quem modum est propositio falsa: propter quod præfata ratio falsa recipit, & peccat in materia. Rursus, non syllogizat, & peccat in forma, quia peccat per fallaciam accidentis: accidit enim gratiæ quòd tollatur per voluntatem nostram se avertentem à Deo prout hujusmodi gratia est à solo Deo. Non enim tollitur gratia ab homine prout à solo Deo, sed prout ad eam habendam cooperari potest humana voluntas: eadem enim voluntas contrario modo se habens cooperabitur ut sit in nobis gratia, & ut perdamus gratiam. Sicut idem homo aliter, & aliter se habens cooperari potest ut illumine tur si se convertat ad lumen, & ut obtenebretur si se avertat à lumine: sic eadem voluntas cooperabitur ut sit in nobis gratia si se convertat ad Deum, qui est fons gratiæ, & qui illuminat hominem per gratiam, & cooperabitur ut perdamus gratiam, si se avertat à fonte gratiæ. Quia igitur ad habendam gratiam cooperatur homo si se convertat ad Deum, sic contrario modo se habens tolletur ab eo gratia si se avertat a Deo: sic & in proposito, quia quòd papalis potestas sit in homine, cooperantur præficientes, & etiam ipse præfectus assentiendo, si hæc in contrarium fiant, desinit esse papalis potestas in homine illo. Est ergo diligenter notandum, quòd, quantum ad præsens spectat, simile est de Papatu ut est in hoc homine, & de gratia ut est in hac anima. Nam non possumus per nos ipsos habere gratiam, quia (ut ait Apostolus) Non est volentis (vel. le) nec currentis (currere), sed miserentis est Dei. Non est enim in potestate nostra, nisi juvaremur à Deo, quòd possimus converti ad ipsum. Ideo habetur Jere. 31. Converte me, & convertar. Nisi enim Deus nos converteret, non possemus converti ad ipsum: ipsum enim velle nostrum si bonum est & perfectum, operatur in nobis Deus, juxta illud, Qui operatur in nobis velle & perficere. Possumus ergo per nos ipsos deficere, & avertere nos à Deo, sed non possumus per nos ipsos perficere, & convertere nos ad ipsum. Sic & in proposito, per se ipsum potest quis renunciare Papatum & non esse Papa, sed non sufficit quòd assentiat Papatui ad hoc quòd sit Papa: ad construendũ enim hoc quod aliquis sit Papa, duo oportet concurrere, ut suprà tetigimus, assensum præficientium, & assensum præfecti: sed ad hoc quòd non sit Papa, sufficit solus assensus præfecti, quòd assentiat renunciare, & quòd renunciet, Rom. 9.c. Ier. 31.c. Philip. 2.b. Io. 1.a.

ciet, ut non sit ulterius Papa.

Est etiam notandum diligenter, quòd in alijs prælationibus inferioribus, utputà in Episcopatibus, in Archiepiscopatibus non potest quis pro libito renunciare quòd non teneatur habere curam de grege sibi commisso, quia huic obviat statutum superioris. Nec propter hoc infringitur illa regula generalis, per eadem contrario modo facta res construitur, & destruitur, ut si aliquis eligatur in Episcopum per assensum eligentium, & assensum electi, & assensum Metropolitani cõfirmantis eum, erit ille Episcopus. Dato tamen quòd omnia ista contrario modo fiant, ut quòd eligentes, & præfectus jam in Episcopum, & Metropolitanus contrario modo se habeant, ita quòd omnibus eis placeat quòd iste cedat, non propter hoc poterit cedere, quia Episcoporum translatio, depositio, & concessio soli est Romano Pontifici reservata, ut dicitur extra de translatione Episcoporum inter corporalia. Dedit enim Romanus Pontifex in electoribus, & Metropolitano, quod possint Episcopum statuere, sed non dedit eis potestatem quòd possint ejus cessionem excipere. Propter quòd ad construendum Episcopum quatuor concurrunt, videlicet assensus eligentium, assensus electi, assensus Metropolitani confirmantis ipsum, & voluntas Papæ, de cujus voluntate est quòd Metropolitanus possit Episcopum confirmare. Ideo nisi adsit voluntas Papę, & nisi Papa sit de hoc specialiter requisitus, Episcopus confirmatus non potest cedere. Sed cùm Papa nullum habeat superiorem, totum est in potestate sua: nullo enim jure ligatur, cùm possit cedere, quando velit. Posset enim cedendo peccare, & posset cedendo mereri. Si enim viderit se utilem Ecclesiæ, & ad fugiendum laborem, & ut parceret carni suæ cederet, graviter peccaret. Sed si videret se insufficientem ad gubernandum Ecclesiam, & quia nollet quòd bonum publicum sub ipso langueret, si hoc modo cederet, multum mereretur. In potestate ergo sua est cedere cùm vult: & si cedat tenebitur ejus cessio: sed caveat quo animo illud faciat. Sed diceret aliquis, non posset etiam Papa cedere, si vellet: quia sicut Episcopus confirmatur per superiores, idest per Papam, qui vel ipsum confirmat, vel legem condidit qualiter debeat confirmari sine consensu Papæ, ita quòd non potest cedere: ita electio papalis confirmatur per Deum, ita quòd sine assensu divino non poterit cedere. Sed tales objectiones sunt modici ponderis: nam hujusmodi divina confirmatio non est aliud nisi quia, ex quo ritè ipse potest esse Papa, quia est à duabus partibus A eligentium electus, & acceptatus, si ipse assentiat electioni, Deus confirmat, idest acceptat quod factum est. Sic & in proposito, cùm nulla jura possint Papam ligare: sicut in potestate sua est assentire electioni, & assumere illud onus, sic postquam assumpsit, in potestate sua est deponere hujusmodi onus, & renunciare illi oneri. Si enim appareret aliquod divinum statutum quòd Papa renunciare non posset, sicut apparet papale statutum quòd Episcopus sine assensu Papæ non potest cedere, certum esset quòd ratione statuti superioris, Papa renunciare non posset: quia etsi Papa non habet superiorem hominem, loquendo de homine puro, habet tamen superiorem Deum, vel B habet superiorem Christum, qui non est homo purus, idest non est homo tantùm, sed est homo, & Deus, cujus statuto ligari potest. Sed numquam Christus hoc statuit, immo possumus dicere, quòd est impossibile quòd ipse Christus hoc statuisset: eo enim modo quo est impossibile quòd statuisset legem, ita quasi etiam impossibile est, quòd statuisset quòd Papa renunciare non posset: iniqua enim esset lex: quod non potest cedere, qui manifestè esset insufficiens ad Ecclesiam gubernandum. Quicumque enim Papa cederet, ex quo nullum statutum superioris eum ligat, quando potest hoc facere teneret cessio sua, & non haberet ulterius jurisdictionem Papalem. Et quia Deus C sic administrat res ut eas proprios cursus agere sinat, ut dicit August. in de Civ. Dei lib. 7. cap. 30. cùm iste sit proprius cursus rerum, quòd quilibet potest propriè officium assumptum deponere, nisi ad id faciendum superiori statuto prohibeatur, nullam causam videmus, nullam rationem conspicimus, quare Papa renunciare non possit, & quòd Deus non acceptet suam renunciationem, eo ipso quòd ipse sic vult gubernare mundum, quòd res suos proprios cursus agere sinat. Notandum etiam quòd in administratione rerũ, & in eo quòd Deus sinit res agere suos cursus, aliquando ut divina permissione, aliquando divina operatione. In Papa D quidem duo sunt, de quibus locuti sumus, assumptio, & cessio: non oportet tamen quòd semper utrumque sit divina operatione. Sed aliquando unum est divina permissione, aliud verò divina operatione; aliquando potest esse èconverso. Si ergo assumatur qui manifestè est insufficiens, hoc pertinebit ad divinam permisionem. Si autem talis cedat, videbitur pertinere ad divinum instinctum, & ad divinam operationem. Si autem esset èconverso, quòd eligeretur, qui, secundùm quod patitur humana fragilitas, esset manifestè sufficiens:

Ad creandũ Episcopum quatuor concurrunt.

& ille

& ille propter peccata noſtra cederet, aſſum- A ptio eſſet attribuenda divino inſtinctui, & divinæ operationi: ceſsio verò divinæ permiſſioni.

Ex his autem revertamur unde venit ſermo, dicentes contra adverſarios, qui fortè per confirmationem, ideſt per acceptationem Divinam vellent ſe juvare: volentes ex hoc quòd Papa non poteſt cedere, quia ex quo aſſenſit papatui, Deus hoc acceptavit, ratione cujus nullatenus renunciare poteſt. Sed quis eſſet illius dementiæ, qui diceret quòd Deus acceptaret aſſumptionem hominis manifeſtè inſufficientis, & ceſsionem non acceptaret? Quis etiam eſſet illius dementiæ, qui diceret quòd illud quod pro charitate factum eſt, contra B charitatem militare debeat? Et quod pro bono publico factum eſt, debeat contra bonum publicum militare? Cùm ergo conſtitutio capitis pro bono publico facta ſit, ea propter ſi tale ſit caput quòd non ſit ſufficiens ad habendam curam de membris, quis diceret quòd Deus aſſumptionem talis capitis acceptaret, non autem acceptaret ceſsionem ipſius? Nonne iſta ratio indicat, quòd aſſumptio eſſet attribuenda Divinæ permiſſioni, ceſsio autem divino inſtinctui, & operationi? Propter quod tantò magis acceptaret Deus ejus ceſsionem, quàm aſſumptionem, quantò ea quæ fiunt divino inſtinctu & operatione, magis videntur procedere ex divino beneplacito, quàm quæ iunt ex ejus per C miſsione. Concludamus ergo & dicamus, quòd ſive ſit Papa inſcius, ſive ſcius, cùm ad hoc nullo ſuperiori ſe obligetur mandato, renunciare, & cedere poteſt. Et ſi cedat aut renunciet, tenebitur ejus ceſsio, & renunciatio. Propter quod quantum ad poſſe cedere, vel renunciare, nulla eſt differentia: ſed differentia eſſe poteſt, & ex parte Dei, & ex parte cedentis: Ex parte quidem Dei, quia ſi fortè propter peccata noſtra cederet, qui eſſet ad regnũ utilis juxta fragilitatem humanam, fieret ex divina permiſsione; ſed ſi cederet qui non eſſe ſufficiens, fieret ex divino inſtinctu, & ex Dlenter, ſed ſolùm opere divino, & miraculoſo poteſt homo mori: quod quantæ dementiæ ſit hoc dicere, ex dictis clarius eſſe poteſt. divina operatione. Rurſus, poteſt eſſe differentia ex parte cedentis, quia ſi cedens hoc faciat, videns ſe non ſufficientem, & timens ne bonum publicum ſub ipſo langueat, merebitur. Si autem hoc faciat non amore boni publici, ſed volens laborem fugere, demerebitur.

CAP. VII.

In quo ſolvitur ſecunda ratio, quòd nullus niſi ſolus Deus poteſt auctoritatem, & papalem poteſtatem auferre, cùm nullus niſi Deus poſsit eam conferre

ARguunt adverſarij noſtri (& ut diximus, in hac parte adverſarij veritatis) quòd Papa renunciare non poteſt. Eſt enim hęc eorum ſecunda ratio, Quia nullus poteſt auctoritatem aliquam auferre, quam conferre non poteſt. Cùm ergo auctoritatem papalem nullus conferre poſsit niſi Deus, ergo (ut ajunt) neque eam auferre. Sed ſi teneret (ut dicunt) renunciatio papalis, auferretur papalis poteſtas: ea propter cõcludũt quòd papalis renunciatio non videtur fieri poſſe. Dicimus itaque quòd hęc ſecunda ratio non videtur aliud habere fundamentum quàm ratio prima. Arguebat quidem prima ratio, quòd quia papalis poteſtas eſt à ſolo Deo, ideo à nullo inferiori removeri poteſt. Et hæc ſecunda ratio hoc idem arguit, videlicet quòd quia papalem poteſtatem nullus alius à Deo poteſt conferre, ergo nullus alius poteſt auferre. Patet quidem, quòd per illa duo exempla, per quæ nos juvabamur contra rationem primam, poſſumus nos ſufficienter juvare contra hanc rationem ſecundam. Dicemus enim quòd animam rationalem ſolus Deus creare poteſt, & ſolus Deus huic corpori infundere, & ſolus Deus poteſt eam huic corpori dare: Ergo ſecundùm hunc modum arguendi, ſic ſolus Deus poteſt animam humanam huic corpori dare, ergo ſolus ipſe poteſt eam ab hoc corpore ſeparare: ſecundùm quem modum loquendi, homo non moritur naturaliter nec poteſt mori vio-

Propter quod ut priùs diximus etiam nunc dicemus, quòd licèt anima humana à ſolo Deo infunditur in hoc corpore, tamen ad hujuſmodi infuſionem, operantur natura & ars: natura quidem formando membra, & purificando humidum radicale in membris: ars quidem, quia medicus eſt miniſter naturæ, & poteſt in multis juvare naturam, ut per induſtriã artis in muliere prẹgnante magis purificetur hujuſmodi humidum radicale in membris. Ideo

sicut ad hujusmodi infusionem ad disponendum fœtum cooperatur natura, & potest cooperari humanum ingenium, ut ibi infundatur anima, quia non infunditur nisi corpori disposito: sic quia anima non separatur nisi à corpore indisposito, poterit animam à corpore separare natura, & humanum ingenium: & omne illud potest corpus sic dispositum reddere, quòd non potest ibi ulterius anima remanere. Eodem etiá modo arguemus de gratia: nam licèt gratia sit in hac anima à solo Deo, tamen quia Deus non infundit gratiam nisi animæ dispositæ ad suscipiendam gratiam, ideo quidquid potest reddere animam indispositam ad gratiam, potest ab anima gratiam tollere. Opere ergo divino infunditur gratia, & per culpam, & per peccatum, quæ non sunt opera divina, tollitur gratia. Concludit ergo ratio manifestè falsum, tam prima quàm secunda. Dicebat enim prima, quòd illud quod à solo Deo est, à nullo alio auferri potest. Dicebat autem ratio secunda, quòd id quod potest solus Deus conferre, nullus alius potest auferre. Sed manifestè patet falsum esse quod dicitur: nam anima humana à solo Deo infunditur corpori, & eam solus Deus confert corpori, tamen opere naturæ, & opere humano potest auferri à corpore. Et gratiá solus Deus infundit animæ, & solus Deus eam confert animæ, & tamen culpa & peccatum, quæ sunt opera nostra, eam tollunt ab anima: quæ omnia ideo contingunt, quia & ad infusionem animæ & ad collationem gratiæ, aliquid cooperantur, vel cooperari possunt creaturæ, ideo opere creaturarum potest hæc tolli. Sic & in proposito, quantumcumque Papatus sit à solo Deo, tamen quia ad hoc quòd Papatus sit in hoc homine vel in illo, cooperantur ipsi homines, ideo opere humano tolli potest. Idem ergo & eodé modo videtur arguere ratio secunda & prima: propter quod soluta ratione prima, solvitur & secunda.

Possumus tamen si volumus aliqualiter diversificare rationem hanc secundam à ratione prima, ut dicamus quòd hæc ratio secunda sit supplementum rationis primæ. Nam non valet, si dicatur quòd hoc est à solo Deo, & ad id nihil cooperata est creatura, ergo non potest corrumpi opere creaturæ. Nam si Deus nunc de nihilo crearet unum animal, utputà unum bovem, vel unum equm, ad productionem illius animalis nihil cooperaretur creatura: attamen ille bos, vel ille equs sic productus esset ejusdem speciei cum alijs bobus vel cum alijs equis: quapropter animal sic productum, nisi Deus miraculosè sustentaret ipsum, posset occidi, & posset mori senio, sicut & A & alij equi, vel boves: propter quod supplenda est illa ratio, & dicendum est, quòd si hoc est à solo Deo, ergo non potest tolli à creatura: supplendum est enim ibi, quòd si hæc est à solo Deo, sic ut ad illam, vel ad similem illi non potest cooperari creatura, quòd non possit illud tolli opere creaturæ. Nam & si Deus potest facere unum equm, quantumcumque ad productionem illius equi nihil fuisset cooperata creatura, attamen quia equs producitur, vel produci potest opere creaturæ, ideo ille equs, sicut, & alij equi, corrumpi potest opere creaturæ. Dicebat ergo ratio prima, quòd Papatus non potest conferri ab alio quàm à Deo, ita quòd plus dicit hæc ratio secunda, B quàm prima ratio dixit. Addit etiam hæc ratio secunda suprà primam, quòd Papatus non quocumque modo est à solo Deo, sed ita est à solo Deo, quòd solus Deus potest ipsum conferre, sed licèt aliqualiter diversificata sit ista ratio secunda à ratione prima, attamen eandem solutionem habet cum illa. Nam nec esse, nec posse competit animæ rationali, vel gratiæ nisi à solo Deo: nam sicut solus Deus infundit animam huic corpori, & solus ipse potest eam conferre, vel infundere huic corpori: sic etiam solus Deus infundit gratiam huic animæ, & solus ipse potest eam infundere huic animæ. Sed ut potest patere ex habitis, licèt in ipsam animam, & in ipsam gratiam non possit creaC tura aliqua: attamen potest creatura aliquid facere in hoc corpore, quia potest disponere ipsum ad susceptionem animæ: propter quod dicebatur quòd ad infusionem animæ aliquid cooperatur creatura, quia cooperatur ibi virtus, quæ est in semine: non quòd hujusmodi virtus ipsam animam producat, nec hujusmodi virtus animam infundat in hoc corpore: sed aliquid cooperatur talis virtus in tali corpore ut sit dispositum ad susceptionem animæ, ratione cujus dispositionis dicitur cooperari ad hoc quòd ibi anima infundatur. Sed cùm sic sit de anima, numquam simile est de gratia, quòd D opere creaturæ fit dispositio ad gratiam, non autem ipsa gratia. Dicemus ergo non esse omnino simile de anima infusa corpori, & de gratia infusa animæ, quia dispositio ad animam est per operationem creaturæ, ipsa tamen anima est à Deo. Non autem sic est de gratia, quia tam gratia quàm dispositio ad gratiam sunt à Deo. Vnde Damascenus lib. 2. cap. 30. dicit: *Quòd virtus ex Deo data est, & ipse est omnis boni principium & causa: & sine ejus cooperatione, & auxilio impossibile est bonum velle vel facere.* Constat autem quòd dispositio ad virtutem, & ad gratiam est per nostrum bonum velle. Et quia

Dispositio ad gratiam fit gratia.

Damasc. lib. 2. c. 30.

quia à Deo eſt quòd volumus bonum, oportet quòd ab eo ſit tam gratia quàm diſpoſitio ad gratiam. Sed licèt non ſit per omnia ſimile de anima infuſa corpori, & de gratia infuſa animæ, tamen quantum ad propoſitum ſpectat eſt potentia ſimile, quia ſicut ad infuſionem animæ aliquid cooperatur natura, ita ad infuſionem gratiæ aliquid cooperatur ipſe homo, cùm infunditur gratia, vel aliquid cooperari poſſunt etiam alij homines. Nam licèt Deus operetur in nobis velle, & perficere, tamen in noſtra poteſtate eſt, vel ſequi Dominum vocantem ad virtutem, vel ſequi diabolum vocantem ad maliciam, ut dicit Damaſcenus præfatis lib. & cap. Dicemus ergo cum Pſalmiſta: *Pſalm. 84.* *Audiam quid loquatur in me Dominus Deus.* Multi enim nolunt audire illud quod loquitur in eis Deus, & nolunt ſequi divinos inſtinctus. Aliquid ergo cooperamur ad infuſionem gratiæ, quia ſequimur vocationem divinam. Sic etiam aliquid cooperari poſſunt ad hoc alij homines: nam cùm unus homo inducit aliud, ut benè faciat, & ſequatur vocationem divinam, conſequens eſt quòd tam inductus prout ſequitur vocationem divinam, & etiam inducens aliquid cooperantur ad gratiæ infuſionem.

Revertamur ergo, & dicamus, quòd licèt hæc ſecunda ratio aliquid ſuperaddat primæ, quia prima dicebat quòd Papatus eſt à ſolo Deo, hæc autem ſecunda ſuperaddit, & dicit quòd non ſolùm Papatus eſt à ſolo Deo, ſed non poſsit eſſe ab alio, & non poteſt ipſum Papatum conferre alius quàm ſolus Deus: attamen eadem ſolutione, & per eadem exempla ſolvitur hæc ſecunda ratio, ut prima. Nam ut diximus, anima humana à ſolo Deo infunditur corpori, & non poteſt niſi à ſolo Deo infundi; & gratia à ſolo Deo infunditur animæ, & non poteſt niſi à ſolo Deo infundi animæ: tamen quia & ad hoc quòd anima infundatur corpori, & gratia infundatur animæ, aliquid cooperatur creatura, ideo operatione creaturę anima poteſt ſeparari à corpore, & gratia poteſt deſinere eſſe in anima. Et quia nullus negare poteſt, quando Papatus ſit in iſto, vel in illo homine operatione humana, quòd eſt in eo per aſſenſum ſcilicet præficientium, & per aſſenſum præfecti, ideo his contrario modo ſe habentibus, & ſpecialiter præfecto contrario modo ſe habente, deſinit in ipſo eſſe papalis poteſtas: quod maximè veritatem habet de poteſtate Papali, cùm nullum ſit ſtatutum ſuperioris, & cùm Chriſtus nunquam ſtatuerit oppoſitum, quòd Papa renũciare non poſsit. Sicut ergo diximus de corpore reſpectu animæ, & de anima reſpectu gratiæ, ſic dicemus de

A Papa reſpectu poteſtatis papalis: nam corpori diſpoſito infunditur etiam anima; & poſtquam infuſa eſt ei anima, ſi contrario modo ſe habeat, & fiat indiſpoſitum, ſeparabitur ab eo anima. Sic & anima ſi ſequatur Deum vocantem, & convertat ſe ad Deum, erit in ea gratia: & poſtquam habet gratiam, ſi contrario modo ſe habeat, & avertat ſe à Deo, deſinet in ea eſſe gratia. Sic etiam ſe habet de poteſtate papali, ſi ritè electus conſentiat electioni ~~de ſe~~ factæ, erit Papa, & habebit Papalem poteſtatem, & poſtquam eſt Papa, ſi contrario modo ſe habeat, & diſſentiat, & renunciet Papatui, deſinit eſſe Papa, ideſt non habebit ulterius poteſtatem papalem. Cùm enim nullum ſit ſta-
B tutum ligans Papam, quòd renunciare non poteſt, & cùm poteſtas papalis non magis ſit à Deo in hoc homine, quã anima humana in hoc corpore, vel quàm gratia in hac anima, quid poteſt movere adverſarios huic veritati, cùm clarè videant, quòd corpore, poſtquam infuſa eſt ſibi anima, contrario modo ſe habente, ſeparetur ab eo anima: & anima, poſtquam infuſa eſt gratia, contrario modo ſe habente, deſinit in ea eſſe gratia? Quare Papa poſtquam eſt Papa, contrario modo ſe habente, & eo renunciante Papatui, deſinet eſſe Papa: & poſt reſurrectionem quidem anima non poterit ſeparari à corpore, quia non poterit corpus fieri ita indiſpoſitum, quòd ſeparetur ab eo anima:
C et anima beata non poterit gratiam perdere, quia ita converſa eſt ad Deum, quòd non poteſt contrario modo ſe habere, nec poteſt peccare, nec poteſt ſe avertere à Deo quòd gratiã perdat: ſi enim anima in patria poſſet benè, & malè facere, ſicut poteſt cùm eſt in via, poſſet gratiam habere, & habitum perdere. Quid ergo obſtat, quare anima poſt operationem bonã adipiſcitur gratiam, per operationem malam deſinit habere gratiam, quòd non ſimili modo præfectus in Papam, per loquelam conſentiendo electioni de ſe factæ, ſit Papa; per loquelam etiam renunciando Papatui, deſinat eſſe Papa?
D Nullum ſanius ſtatutum in contrarium, nullam videmus rationem ad oppoſitum, quin Papa renunciante, de nat eſſe Papa. Ver m quia intellectus hominis non quieſcit, volumus dicere, quòd eſt divinum ſtatutum, & quòd Deus ſtatuit quòd renunciare poteſt, quia, ut diximus, Auguſtinus dicit, quòd ſic Deus adminiſtrat res, ut eas proprios curſus agere ſinat. *Lib 7. c. 30. de Civ. Dei.* Statutum eſt ergo divinum, quòd Deus ſic adminiſtrat res, ſecundùm quod ordo requirit, & conditio rerum. Et quia ordo & conditio Eccleſiæ hoc requirit, quòd Papa renunciare poſſit, quia talis poteſt eſſe aſſumptus, quòd lan-

gueret ſub eo bonum publicum, ideo Papa renunciare poteſt. Non ergo dicere poſſumus quòd ſit divinum ſtatutum, quòd Papa renunciare non poſsit, ſed potius quòd ſit divinum ſtatutum quòd renunciare poſsit, cùm hoc requirat ordo, & conditio rerum.

CAP. VIII.

In quo ſolvitur ratio tertia arguens, quòd Papatus nullo modo poteſt tolli ab aliquo, quia cùm ſit ſuprema poteſtas, conſequens eſſet, quòd major dignitas per minorem tolleretur.

SOlutis duabus rationibus, volumus in hoc capitulo, ſolvere rationem tertiam. Arguunt enim quòd Decretalis illa extrà de Translatione Epiſcoporum cap. Inter corporalia, expræſsè innuit, quòd depoſitio Epiſcoporum, translatio, & abſolutio eorum poſt conſummationē, ſoli Papæ eſt reſervata. Immo in eadem decretali dicitur, quòd ſpirituale vinculum eſt † fortius quàm carnale: ſed potiùs divina poteſtate conjugium ſpirituale diſſolvitur. Ex quo manifeſtè patet, quòd ſi Papa poteſt aliquem Epiſcopum abſolvere, vel ſi poteſt ceſſionem alicujus Epiſcopi recipere, quia hoc faciendo ſpirituale conjugium ſeparat, quia igitur ut dictum eſt hoc non fit niſi per poteſtatem divinam, ideo ipſe Papa hoc non poteſt facere, niſi in quantum eſt Vicarius Dei. Arguatur ergo ſic, ſpirituale conjugium non poteſt ſeparari niſi per divinam poteſtatem, ergo cùm inter Papam, & Eccleſiam ſit ſpirituale conjugium, conſequens eſt ergo quòd Papa nullo modo renunciare poterit, cùm non ſit aliquis alius Dei Vicarius, in cujus manibus poſsit cedere, ratione cujus dicatur per poteſtatem divinam, ideſt per poteſtatem Vicarij Dei, hujuſmodi conjugium ſeparari. Addunt autem iſti volentes reſpondere tacitæ quæſtioni, ut quia fortè aliquis diceret, quòd etiam alij Epiſcopi ſunt Vicarij Dei, propter quod Papa poteſt renunciare in manibus alterius Epiſcopi. Ideo iſti dicunt, quòd nulla ratio hoc capit, quòd Deus voluerit inferiores dignitates quàm Papatus, per ipſum Deum tantùm, aut per dignitatem ſuperiorem tolli poſſe: & tamen voluerit ipſum Papatum, quæ eſt ſumma dignitas, quæ propriè eſt ipſius Chriſti nedum per inferiorem Deo, ſed etiam per dignitates inferiores ſe ipſa, tolli poſſe.

† *fortius, id eſt dignius, inquit Gloſ. ibidem.*

Advertendum ergo, quòd antequam ſolvamus rationem propoſitam, eſt diligenter notandum, quòd omnes hæ tres rationes factę utūtur hoc modo loquendi, quòd Papatus non poteſt renunciari, quia non poteſt removeri, ut dicit prima ratio, nec auferri, ut dicit ſecunda, nec tolli, ut dicit hæc tertia, ab eo qui eſt Papa, niſi per ſolum Deum. Sed cùm omnia iſta verba ſonent in quamdam violentiam, ſi ipſi vellent ſic intelligire rationes factas, quòd invito ſummo Pontifice, non poteſt ab eo auferri Papatus, non eſſet ulterius cum eis diſputandum; concederemus quidem propoſitum ſuum: ſed quia rationes ulterius arguunt, videlicet quòd Papa renunciare non poteſt: volunt enim ex hoc concludere, quòd etiam voluntariè Papa non poteſt cedere, ideo omnia præfata verba, videlicet, removeri, auferri, & tolli Papatum ab eo qui eſt Papa, accepimus ſub quadam ſignificatione generali, pro quacumque renunciatione, pro quacumque ceſſione, pro quocumque modo quo ille qui eſt Papa, dum vivit, poteſt deſinere eſſe Papa. Advertendum etiam, quòd quia ratio quarta inferiùs poſita ad hoc tangit, ubi dicitur quòd ſumma virtus creata cujuſmodi eſt poteſtas papalis per nullam inferiorem virtutem creatam videtur poſſe tolli, cùm tolli ſonet quid in violentiam, ideo in ſolutione dictæ rationis intendimus hoc plenius declarare.

His itaque prælibatis, dicemus, quòd hæc ratio tertia videtur ſuper duobus fundari. Quorum primum eſt, quòd cùm ſpirituale vinculum ſit fortius quàm carnale, cùm inter Papam, & Eccleſiam ſit ſpirituale vinculum, ſive ſpirituale conjugium, *quia quod Deus conjunxit, homo non ſeparet*, nullus niſi Deus poterit hujuſmodi conjugium ſeparare. Secundū autem fundamentum hujus tertiæ rationis eſt, quòd nulla ratio capit, quòd Deus voluerit, quòd ceſsio inferiorum dignitatum fiat in manibus ſuperiorum: ceſsio verò ipſius Papatus fiat in manibus ipſorum inferiorum, quia cùm omnes aliæ dignitates ſint inferiores ipſo Papatu, conſequens eſt, quòd ſi Papa poteſt cedere, quòd cedat in manibus eorum qui ſunt inferiores eo. Diſſolvemus ergo primò hanc tertiam rationem, quantum ad hoc ſecundum fundamentum: & poſteà diſſolvemus eam, quātum ad fundamantum primum.

Sciendum ergo, quòd aliquando intelligitur prohibitum quod non invenitur expræſſum: aliquando autem ècontrario intelligitur eſſe conceſſum quod non invenitur eſſe prohibitum. Ad quam contrarietatem ſolvendam fortè

tè dicerent Juriſtæ, quòd primum tenet in jis A quæ ſunt ſtricti juris : ſecundum verò ſive ſecunda regula tenet in alijs. Sed ut loquamur ductu rationis, dicamus quòd aliquando id de quo agitur eſt ſupra naturam negotij, ſupra actionem cauſæ, ſupra conditionem, & exigentiam rerum. Et tunc valet prima regula, quòd omne illud eſt prohibitum quod non invenitur expræſſum, vel illud eſt prohibitum quod non eſt conceſsũ:vel,ut magis propriè loquamur, quidquid in talibus non eſt conceſſum, eſt prohibitum, ideſt ſuperiori potentiæ eſt reſervatum. Poſſumus autem ponere exemplum in naturalibus, & moralibus. In naturalibus quidem utputà, quia ambulare ſiccis pedibus ſuper aquam eſt ſuper actionem noſtrã B humanam, ſupra naturam negotij noſtri, ſupra conditionem, & exigentiam rerum, quia conditio, & exigentia rerum hoc non patitur, quòd quis vadat ſiccis pedibus ſuper aquam. Ideo niſi hoc alicui homini ſit ſpecialiter conceſſum à Deo, dicitur ei eſſe inhibitum. Eſt enim hoc ſuperiori potentiæ, ideſt divinæ potentiæ reſervatum : ut quando Deus voluerit, poterit hoc illi homini, vel alij concedere, ut poſsit ſuper aquam ſiccis pedibus ambulare.In moralibus quidem poſſumus de hoc exemplum ponere, quia ordinare totam Eccleſiam, & ſtatuere qui ſunt Epiſcopi, qui Archiepiſcopi, qui Primates, & Patriarchæ : & ſtatuere quomodo hi confirmentur,& quomodo poſsintC cedere, vel quomodo poſsint abſolvi, vel transferri, ſpectat ad ſummum Pontificem, quia cùm ipſe ſolus ſit caput totius univerſalis Eccleſiæ, ad ipſum ſpectat ſtatuere ea quæ reſpiciunt ordinem univerſalis Eccleſiæ. Ideo omnia iſta ſunt ſupra naturam negotij,ſupra actionem omnium aliarum dignitatum,ſupra conditionem, & exigentiam rerum. Conditio enim & exigentia rerum hoc non patitur, quòd ea quæ reſpiciunt ordinem univerſalis Eccleſiæ,ali qui infra Papam poſsint facere illa, niſi quatenus ſunt eis à Papa conceſſa. In talibus ergo quidquid non eſt conceſſum, eſt prohibitum,D vel quidquid non eſt conceſſum, eſt ſuperiori potentiæ reſervatum. Ea propter ſi Epiſcopus poteſt ab Archiepiſcopo, vel à Metropolitano confirmari, & non poteſt in manibus Metropolitani cedere, hoc eſt, quia jura concedunt confirmationem, non autem concedunt ceſsionem: immo ipſa confirmatio eſt ſuper vires cujuſcumque alterius à Papa. Propter quod omnes alij à Papa ſolùm illos Epiſcopos, & eo modo confirmare poſsunt, quo conceſſum eſt eis à jure, vel quo conceſſum eſt eis à Papa, cujus eſt jura concedere.

Dato ergo quòd jura concederent quòd Epiſcopus poſſet à ſuo Archiepiſcopo,vel à ſuo Metropolitano confirmari, & nulla jura aliquid tangerent,quòd Epiſcopus vel electus in Epiſcopum, & confirmatum non poteſt cedere in manibus ſui Metropolitani, eo ipſo eſſet hoc ſuo Metropolitano inhibitum, & etiam ſuperiori potentię, ideſt papali potentiæ reſervatũ. Sed dices, quare jura hoc dicunt, quare jura hoc inhibent, quòd non poteſt Epiſcopus cedere in manibus Metropolitani, cùm ſufficiat,non eſſe hoc conceſſumMetropolitano ad hoc,quòd non poteſt hæc facere, cùm in talibus (ſicut dictum eſt) quidquid non eſt conceſſum, intelligatur eſſe inhibitum, vel intelligatur eſſe ſuperiori potentiæ reſervatum ? Dicunt ergo, quòd ſi omnes eſſent tantæ prudentiæ quòd ſcirent talia conſpicere, non fuiſſet opus,hoc per jura exprimere : ſed ne aliqui propter ignorantiam facerent de facto,quod non poſſent de jure, benè ſe habuit de hoc jura concedere.Sed nulli dubium eſſe debet, quòd ſicut Papa ſtatuit quòd Epiſcopus poteſt per ſuum Metropolitanum confirmari, ſic ſi voluiſſet vel adhuc vellet, poteſt ſtatuere quòd poſsit in manibus ejus cedere. Vtrumque enim iſtorum tam confirmatio, quàm ceſsio reſpicit,id quod pertinet ad ordinationem univerſalis Eccleſię : propter quod quantum ad hoc, tantum poſſunt alij prælati à Papa, quantum eſt eis conceſſum per Papam. Ideò decretalis illa inter corporalia dicit, quòd Epiſcoporum translatio, depoſitio, & conceſsio, eſt ſoli Romano Pontifici reſervata : quia quidquid pertinet ad ſuperiorem potentiam, ſi non concedatur inferiori,dicitur illud ſuperiori potentiæ reſervatum. Ex his itaque patet,quòd in talibus arguere de Epiſcopo ad Papam, & velle concludere,quòd ſi Epiſcopus non poteſt cedere niſi in manibus ſuperioris, & ſpecialiter in manibus Papæ;quòd Papa non poteſt propria auctoritate cedere, ſicut nec Epiſcopus, non eſt arguere pro ſe, ſed contra ſe. Credunt enim,quòd hoc magis teneat in Papa, quàm in ſimplici Epiſcopo: & crediderunt ex hoc fundare domum ſuam ſupra petram, cùm ſit ſuper arenam : tenet enim hoc in ſimplici Epiſcopo, & non in Papa. Dicebamus quidem, quòd in his quę ſunt ſupra naturam negotij, ſupra actionem agentis, ſupra conditionem, & exigentiam rerum, quidquid non eſt conceſſum eſt prohibitum, vel eſt ſuperiori potentiæ reſervatum : ſed in his quæ contrario modo ſe habent,eſt contrario : in talibus enim quidquid non eſt prohibitum,eſt conceſsum. Illi ergo qui non habent liberam ſuſceptionem oneris, & ex ſolo aſſenſu electioni de

ſe

se factæ, non habent plenam jurisdictionem ad ministrandi, sicut per superiores confirmantur, ita, si volunt cedere, oportet quòd cedant prout superiores ordinant. Nam cùm confirmatio & concessio,& cetera talia respiciant ordinem universalis Ecclesiæ, non poterunt alii à Papa in eis aliquid facere, nisi quatenus est eis à Papa concessum. Sed cùm Papa nullum habeat superiorem, cùm ipse ex libero suo assensu electioni de se factæ, suscipiat hujusmodi onus : & ex hoc ipso habeat plenam jurisdictionem administrandi in suo officio, non est hoc ultra naturam negotij , immò hoc postulat actio agentis , hoc exigit ordo , & conditio rerum, quòd sicut sufficit suus liber assensus electioni de se factæ, ad suscipiendum onus ad hoc, quòd ipse sit Papa , & habeat plenam jurisdictionem papalem : ita etiam sufficit suus liber dissensus,vel sua libera renũciatio ad hoc,quòd ipse deponat hujusmodi onus , & quòd ipse ulterius non sit Papa , ideſt quòd non habeat ulterius jurisdictionem papalem. In cessione ergo aliorum Episcoporum, quod non est concessum est prohibitum ; sed in cessione summi Pontificis est èconverso ; ibi enim, ut potest patere per habita, quod non est prohibitũ, est concessum. Cùm ergo nullo superiori decreto , nullo statuto Divino hoc prohibeatur, consequens est, quòd ipso jure hoc sit concessum. Benè ergo suprà diximus , quòd isti texuerunt telas aranearum : arguendo enim de simplici Episcopo ad Papam , credunt arguere pro se ; sed, ut patet, arguunt contra se. Sed dicet fortè aliquis , quòd non solùm simplex Episcopus, sed etiam Papa confirmatur per superiorem, quia confirmatur per Deum. Sed, ut suprà diximus, ista Divina confirmatio nihil est aliud, quàm Divina acceptatio, quæ sic administrat res , ut eas proprios cursus agere sinat. Sed cùm hoc exigat cursus rerum, quòd si aliquis liberè assentiendo susceptioni oneris, habet ex hoc plenam jurisdictionem secundùm onus sibi impositum , quòd potest liberè illi oneri renunciare , & ex hoc illa jurisdictione carere : consequens est, & eos ipsos convincat ratio, cùm non videamus aliud ligamen Divinum, vel aliud spirituale vinculum , cùm quis assentit Papatui, quàm cùm renunciat. Si ergo ex solo libero assensu ad susceptionem dicti oneris Deus hoc acceperit, ad solam liberam renunciationem dicti oneris Deus hoc acceptabit. Immò, ut dicebamus, si non est sufficiens qui præficitur in Papam ad gubernandum Ecclesiam,cùm spiritualis cura sit Deo de Ecclesia sua, nullus debet esse tantæ dementiæ qui diceret, quòd Deus hujusmodi hominis acceptat assumptionem, & non acceptat cessionem. Immò est diligenter advertendum , quòd in hac parte, Divina acceptatio oportet quòd sumatur valde largè, videlicet non tantùm pro Divino instinctu,vel pro Divina operatione,sed & pro Divina permissione : quia, ut suprà diximus, si præficiatur insufficiens ad regendum, magis attribuendum est Divinæ permissioni , quàm ejus instinctu vel operatione. Nec propter hoc negamus Deum habere specialem curam, & providentiam de sua Ecclesia. Attribuemus enim hoc suæ permissioni , ut ideò hoc specialiter permittat, ut aliquod magnum bonum inde eliciat.

Postquam solvimus hanc rationem tertiã quantum ad unum fundamentum quòd Papa non potest cedere, quia nullum habet superiorem, in cujus manibus cedat. Ostendimus quidem hanc rationem esse pro nobis, non pro adversariis. Nam habens superiorem non potest pro libito suæ voluntatis cedere , sed oportet quòd cedat secundùm jura, & secundùm leges à superioribus conditas. Sed non habens superiorem pro libito potest cedere. Non est enim hoc, ut dicebatur, supra actionem agentis, sed est secundùm conditionem , & exigentiam rerum : ut qui liberè assentiendo oneri, ad quod est electus, ex ipso assumit supra se hujusmodi onus, & habet plenam jurisdictionis administrationem,quòd liberè dissentiẽdo dicto oneri, deponat hujusmodi onus, cedẽdo pro libito voluntatis.Ibi enim,ut probavimus,quod nõ est cõcessũ,est prohibitum:hìc autem èconverso,quod non est prohibitum , dicitur esse concessum. Restat ergo solvere rationem præfatam, quantum ad fundamentum aliud , videlicet quòd quia fortius est spirituale vinculum, quàm carnale, quòd nullo modo humana potestate solvi potest spirituale vinculum. Dicere ergo , ut communiter dicitur, quòd spirituale conjugiũ est fortius dignitate, quia est dignius, sed non est fortius duratione, quòd sit durabilius : dissolvitur enim spirituale conjugium etiam post consecrationem , & confirmationem Episcopi translatione, quia potest unus Episcopus de una Ecclesia transferri ad aliam : dissolvitur etiam renunciatione, & pluribus aliis modis. Sed nunquam dicere sic poterimus de carnali conjugio post consummationẽ carnalis copulæ, quòd potest quis auctoritate etiam papali transferri de una uxore ad aliam, ut quòd potest unam uxorem dimittere,& aliam accipere, & cum ea matrimoniũ consummare : sicut Episcopus auctoritate papali, cùm esset sponsus unius Ecclesiæ, transfertur ad aliam, & fit sponsus alterius.

Da-

Dato ergo, quòd neſciremus diſtinguere, quomodo ſpirituale vinculum eſt fortius quàm carnale, & quomodo non eſt fortius : tamen quantum ad propoſitum ſpectat, patet quòd ratio peccat in materia, & aſſumit falſa, ſupponens quòd ſit fortius ſpirituale vinculum, quàm carnale, & quòd minus poſsit ſeparari ſpirituale conjugium, quàm carnale : quod patet eſſe falſum. Vtrùm autem etiam quantum ad hunc ſenſum habeant veritatem, quòd ſpirituale vinculum eſt fortius, quàm carnale, in illo capitulo apparebit, ubi ſolvemus quintam rationem. Oſtendemus enim ibi, quòd ſi aliquo modo eſſet indiſſolubilius vinculum ſpirituale, quàm carnale, illa tamen indiſſolubilitas non obviat propoſito noſtro. Diſtinximus ergo de fortitudine vinculi ſecundùm diſtinctionem cõmunem : volumus autem nunc diſtinguere ſecundùm diſtinctionem aliam. Dicimus quidem quòd ſpirituale vinculum eſt fortius, quàm carnale, quia plus angit, & plus ſtringit, ſed non eſt fortius, quòd plus duret, vel plus permaneat. Eſt ergo hujuſmodi vinculum fortius intenſivè, quia quandiu manet, plus ſtringit : ſed non eſt fortius extenſivè, loquendo de extenſione temporis, videlicet quòd plus duret, quod non poteſt diſſolvi niſi per mortem. Magis enim conſtringit conjugium ſpirituale quàm carnale, quoniam majorem caram, & majorem diligentiam debet habere ſponſus ſpiritualis de Eccleſia ſibi commiſſa, quàm ſponſus carnalis de uxore carnaliter ſibi copulata. Et ſi dicatur quòd Apoſtolus ait ad Eph. 5. *Viri, diligite uxores veſtras, ſicut & Chriſtus dilexit Eccleſiam.* Propter quòd videtur ſecundùm ſententiam Apoſtoli, quòd æqualem diligentiam debet habere vir de uxore, ſicut Prælatus de Eccleſia. Dici poteſt, quòd ly ſicut, dicit ſimilitudinem, non æqualitatem : ſicut eſt mandatum Divinum, *Diliges proximum tuum, ſicut te ipſum* : ſufficit enim quòd diligas eum eo modo, ſicut debes diligere te ipſum, quia ſicut debes diligere te ipſum ad vitam æternam, ſic ad illum eundem finem, videlicet ad vitam æternam debes diligere proximum. Sic & in propoſito vir debet diligere uxorem, ſicut Prælatus Eccleſiam : ſed non oportet, quòd tantam diligentiam habeat vir de uxore, quantam debet habere Prælatus de Eccleſia : ſed ſufficit, quòd ad illum finem diligat vir uxorem, ad quem Chriſtus ſive Prælatus diligit Eccleſiam. Hic autem finis, eſt ſanctificatio. Nam ut dicitur Eph. 5. *Chriſtus dilexit Eccleſiam, & tradidit ſe ipſum pro ea, ut illam ſanctificaret.* Sed viri debent diligentiam apponere, ut ſuæ uxores benè vivant, & ſint ſpirituales, & ſanctæ. Quòd autem majorem diligentiam teneatur habere ſponſus de Eccleſia, quàm vir de uxore, patet per Apoſtolum dicentem. 1. Cor. 13: *Charitas non quærit quæ ſua ſunt.* Quod Auguſt. exponens in libro, quem vocavit Speculum Clericorum, ait, *Charitas de qua ſcriptum eſt, quòd non quærit, quæ ſua ſunt, ſic intelligitur, quia cõmunia propriis, non propria communibus anteponit.* Major ergo dilectio habenda eſt de bono communi, quàm de bono privato, ſive de bono proprio. Et quia uxor ſpiritualis cujuſmodi eſt Eccleſia, eſt quædam res publica, & quoddam bonum commune : uxor autem carnalis eſt quoddam bonum particulare, ideò major diligentia eſt de ſponſa ſpirituali, quàm de carnali. Propter quod & primo Ethic. ſcribitur : *Et ſi idem ſit bonum civitatis, & unius ſolius ſingularis ; ſemper tamen majus eſt bonum gentis civitatis vè, quàm unius ſolius.* Poſſumus autem & tertiam diſtinctionem facere de diſtinctione vinculi, ut dicamus, quòd vinculum ſpirituale fortiùs ſit, quàm carnale quantum eſt de ſe : ſed carnale ſit fortius, & durabilius, & quòd ſeparari non poſsit quamdiu vivunt conjuges : hoc potiſsimè habet ex mandato Chriſti, qui hoc præcepit, & mandavit in Evangelio dicens, quod Deus conjungere fecit, &c. Ideò ait Apoſt. 2. Corint. cap. 7. *Præcipio non ego, ſed Dominus, uxorem à viro non diſcedere : quòd ſi diſceſſerit, manere innuptam, aut viro ſuo reconciliari.* Ita quòd, dato quòd ſeparetur conjugium quantum ad redditionem debiti, vel quantum ad torum, vel quantum ad habitationem, nunquam tamen ſeparatur quantum ad vinculum, loquendo de conjugio conſũmato; Si enim ſit legitimum matrimoniũ & perfectum, quandiu vivunt conjuges, etiam auctoritate papali non poſſunt ſeparari, quòd vir haberet aliam uxorem, vel uxor alium virum, ita quòd tolleretur vinculum quod eſt inter eos.

Ex his autem tribus diſtinctionibus factis de fortitudine vinculi, nihil concluditur contra nos, ſed ſemper pro nobis : nam ſi dicatur ſpirituale vinculum eſſe fortius, quia dignius, ut dicebat diſtinctio communis, & prima, dicemus quòd tale vinculum eſt dignius, quia fundatur ſuper re valdè digna cujuſmodi eſt Eccleſia, quæ ſi benè gubernetur eſt res magni meriti : & per locum à contrario ſi gubernetur non benè, eſt res magni demeriti, quia majori bono majus malum opponitur. Conſiderare ergo debet Prælatus qui curam gerit Eccleſiæ ſibi commiſſæ, cum quanta diligentia debeat tractare rem tam dignam, & quanto univerſalior eſt Eccleſia, tanto indiget majori diligentia : propter quod ſummus Pontifex cui commiſſæ ſunt omnes

NOTA.

1. Cor. 13. b.

Eph. 5. e.

Matth. 22. d

Eph. 5. e.

nes oves, præ omnibus aliis ad gubernationem tantę rei debet esse diligens, solicitus, & attentus. Quare si videat se non sufficientem, & non valentem habere tantam diligentiam, si induret cor suum, & renunciare nolit, non attribuetur hoc Divino instinctui, nec Divinæ operationi, sed magis tentationi diabolicæ. Valdè ergo desipiuntur illi qui de uxore carnali quæ est una singularis persona, quod conjugium si non dissolvatur, fortè potest inde accidere particulare malum, & si solvatur potest inde accidere malum universale, quòd ex hoc inducerentur communiter homines ut suas uxores dimitterent. Ex hoc ergo velle arguere de conjugio spirituali, circa quod si non sit debita diligentia, accidet inde malum universale, quod est valdè inconveniens: immò quia naturale est, quòd pars exponat se periculo pro toto, sicut homo naturaliter objicit brachium, ut defendat totum corpus, brachium ergo quod est particulare membrum naturaliter se exponit periculo, & objicit se ictui, ne lædatur corpus: sic quia quilibet est quædam persona singularis, si commissa est sibi cura boni publici, & videat se manifestè insufficientem ad hoc agendum, & manifestè cognoscit quòd hujusmodi bonum languet sub ipso, ratio naturalis dictat, quòd omni modo quo potest, & quàm citius bono modo quo potest, debet se exonerare ab onere assumpto: & ut patet per habita, & prout ratio naturalis dictat, oportet quòd exoneratio sive depositio oneris respondeat assumptioni ejus; ut per idem opus contrario modo factum, esse habeat hoc, & illud: Papa itaque ut sæpius dictum est, quia à nullo confirmatur, sed ex libero suo assensu electionis de se factæ habet plenitudinem potestatis, & est sub hujusmodi onere, ex libero suo dissensu, & ex libera sua renunciatione erit exoneratus ab hujusmodi onere.

Secunda etiam distinctio est pro nobis: dicebatur quidem quòd spirituale vinculum est fortius intensivè, quia intensius stringit, & magis angit & requirit diligentiorem curam: propter quod idem quod prius. Nam ut patet, quòd si assumptus ad tantam curam habendam, & factus est sponsus Ecclesiæ, circa quam diligentè curam, prout expedit, habere nescit, manifestè hoc dictat ratio naturalis, quòd hujusmodi conjugium dissolvatur: cùm enim optima ratione gubernetur universum, dicere quòd vinculum illud non potest tolli per quod periclitatur cõmune bonum, est à ratione deficere, & est rationi opponere. Tertia etiam distinctio de fortitudine vinculi, quòd vinculum spirituale est fortius, verum est secundùm se: vinculum autem carnale esse indissolubilius, verum est ex mandato Christi, quod etiam est pro nobis: nam si quæratur causa, quare Christus hoc mandavit de sponsa carnali, & non de spirituali? Plana est solutio: quia si posset tolli vinculum matrimonij, posset inde consurgere fortè aliquod bonum particulare, ut quia fortè in conjugio istius fuit error fortunæ, credēs accipere uxorem divitem, accepit pauperem, vel fuit error qualitatis, credens accipere virginem accepit corruptam; vel credens accipere benè morigeratam, & patientem, accepit discolam: propter quod fortè esset sibi bonum si posset illam dimittere. Sed ex isto bono particulari oriretur universale malum, quia cùm homines magis sequantur concupiscentiam quã rationem, communiter homines inducerentur, ut suas uxores dimitterent. Ex hoc igitur surgeret universale malum, quia non haberetur debitè cura de filijs. Ideò nil mirum si Christus qui erat ipsa sapientia, præamans universale bonum, mandavit, quòd vir non posset uxorem dimittere; excipiens inde fornicationis causam, in qua fornicatione licèt à conjuge fornicante tollatur jus exigendi debitum, semper tamen manet vinculum, quia si fiat separatio, tamen non potest vir alij uxori nubere, neque uxor alij viro.

Verùm quia scire mandata Domini non est scire verba mandatorum, sed vim, & intentionem mandantis, quia voluntas quidem Principis non fundatur in verbis, sed in vi, & intentione verborum: propter quod dicebat Christus, Si quis scit voluntatem domini sui, & nõ facit plagis vapulabit. Sed si consideramus voluntatem, & intentionem Christi mandantis non dissolvi conjugium carnale, possum rationabiliter arguere, quòd mandavit posse dissolvi conjugium spirituale, nam si dissolveretur conjugium carnale posset esse bonum privatum, sed esset malum publicum: in conjugio autem spirituali ècontrario, quia si non posset dissolvi, cùm hujusmodi conjugium sit inter Prælatum, & Ecclesiam, quæ est bonum commune, & publicum, manifestè patet, quòd hoc esset malum publicum, & commune. Et si conjugium, quod est inter insufficientem Prælatum, & suam Ecclesiam, est malum publicum, & commune, & conjugium quod est inter Papam, & universalem Ecclesiam (si Papa non esset sufficiens) esset malum publicum, & commune, quia tota Ecclesia esset sub ductore insscio, non valente habere debitam curam, & diligentiam de universitate ovium sibi commissa. Arguatur ergo sic, Christus mandavit, quòd non dissolveretur matrimonium carnale, quia oriretur inde com-

Luc. 12.

commune malum, ergo hoc mandando mandavit quòd posset dissolvi conjugium spirituale, quia si tale conjugium dissolvi non posset, oriretur inde publicum, & commune malum. Videant ergo texentes telas aranearum, quid valet ratio fundata super conjugio carnali, ut ex hoc procedatur ad conjugium spirituale, quia ut patet, credentes arguere pro se, arguunt contra se; & credentes cooperire se, discooperiunt se.

CAP. IX.

In quo solvitur ratio quarta arguens quòd Papatus, qui est summa virtus causata, per nullam virtutem causatam tolli potest.

QVAMVIS tertia ratio sit manifestè distincta à ratione prima, & secunda, ut patere potest intuenti, hæc tamen ratio quarta, quòd Summa virtus creata cujusmodi est papalis, à nulla virtute causata tolli potest, non videtur esse distincta à ratione prima, & secunda. Dicebat enim ratio prima, quòd Papatus à nullo alio nisi à Deo potest removeri. Dicebat secunda, quòd Papatus à nullo alio à Deo potest aufferri. Dicit autem hæc ratio quarta, quòd Papatus à nulla virtute creata potest tolli. Per omnia autem hæc teritur aqua mortatio, & semper videtur haberi idē in eodē: tamē quia fortè non est bonū sic adversarios vilipendere, quòd rationes suas dicant omninò idem, ideò sicut suprà diversificavimus rationem secundam à ratione prima, sic in hoc capitulo volumus diversificare hanc rationem quartam à ratione secunda, & prima. Sed non videmus, quòd ista ratio quarta possit diversificari à ratione prima, & secunda, quæ dicit Papatum non posse removeri nisi à solo Deo: & ratio secunda quæ dicit, Papatum non posse aufferri nisi à solo Deo, arguantur de quacumque cessione sive voluntaria sive alia. Sed hæc quarta ratio specialiter concludit de amotione involuntariâ, videlicet quòd Papatus, invito Papa, non potest tolli ab ipso, & hoc satis benè sonant verba hujus rationis quartæ, ait enim quòd, quia Papatus est suprema virtus, ideò non potest tolli per virtutes alias creatas, quæ omnes sunt inferiores ea: propter quod si loquamur de amotione violenta, verum est quod concluditur, quia impossibile est, quòd Nanus inferat violentiam Giganti, & quòd invito Gigante, moveat ipsum de loco suo: debilis enim non potest violentare fortiorem. Ideò dicitur in Isaia: *Nunquid tolletur à forti præda?* Sed licèt non possit debilis prosternere fortem violenter, voluntariè tamen quantumcumque debilis posset prosternere fortem. Si itaque hæc quarta ratio arguit de quacumque amotione sive voluntaria, sive alia, habebit eandem solutionem cum ratione secunda, & prima, in quâ per exempla reperta in naturalibus, & gratuitis, ostendimus, quòd ea quæ sunt à solo Deo, si ad ea fienda cooperantur, vel cooperari possunt creaturæ, quòd opere creaturarum tolli possunt. Si verò hæc ratio specialiter loquitur de amotione violenta, per ea quæ in aliis vidimus possumus ad hanc rationem faciliter respondere: habemus enim exemplum manifestū distinct. 21. in capite *Nunc autem*, ubi dicitur: quòd Nullus potest ritè ab his qui inferioris sunt dignitatis, vel ordinis, judicialibus submitti diffinitionibus. Deinde etiam ponitur exemplum de Marcellino Papa, qui compulsus non simpliciter, sed passionis metu, ingressus paganorum templum, granum thuris super prunas imposuit: quod faciendo idolis sacrificavit. Et cùm idem Papa coram Concilio Episcoporum se hoc fecisse confiteretur, nullus tamen Episcoporum in eum proferre sententiam ausus est: sed sæpissimè dicebant ei: Non nostro judicio, sed ore tuo judica causam tuam. Rursus dixerunt ei: Noli ergo audiri in nostro judicio, sed collige in sinu tuo causam tuam. Rursus inquiunt: Ex ore tuo condemnabis. Assignabant quidem illi Episcopi hujus rationis causam, dicentes, quia prima sedes non judicabitur à quoquā. Propter quod legitur in legenda dicti Marcellini, quòd ipse se ipsum deposuit: sed omnis turba eum iterùm reelegit, & sic reassumptus in Papam, glorioſus martyr effectus est: quia cùm nullo modo ulterius sacrificare vellet, capite truncatus est. Ex iis itaque manifestè patet, quòd summus Pontifex à nullo judicari debet, nisi fortè in hæresim esset lapsus: quia si vellet Pontifex aliquis in errorem contra fidem pertinaciter permanere, ageretur cum eo sicut cum mortuo, ut non esset ulterius Papa: quia cùm hæreticus sit mortuus fidei christianæ, consequens est, quòd non potest Christianorum esse caput. *Dist. 40. c. Si Papa. Vide ibi gl. in ver. A fide devius.*

Soluta est ergo hæc ratio quarta per ea quæ legimus facta in Marcellino Papa, qui à nullo est depositus, nullus in eum sententiam protulit, sed ipse seipsum deposuit. Quòd si dicatur, quòd iterum fuit reelectus, argumentum est pro nobis: consequens enim est, quòd

si fuit reelectus ; ergo non erat Papa : nullus A enim eligit Papam in Papam : claro enim clarus est, quòd ille qui eligitur non est Papa: sua ergo depositio fecit eum non Papam. Est ergo hoc rationi consentaneum, rebus gestis consonum, & patribus approbatum, quòd si Papa se ipsum deponit, non est ulterius Papa, nisi iterum reeligatur, & iterum suæ electioni consentiant. Nulla igitur virtus creata potest potestatem papalem ab eo qui est Papa invitè tollere : ipse tamen potest seipsum deponere, ut est per habita manifestum. Advertendum est tamen, quòd in multis est similitudo inter Episcopum & Ecclesiam, & virum, & uxorem: nam Episcopus non debet Ecclesiã dimittere, nisi sit necessitas quasi inevitabilis, vel nisi sit B Apostolica aut regularis immutatio : licèt ergo nullo modo vir debeat dimittere uxorem suam, & si eam dimittat, non tollitur vinculũ, Episcopus tamen, vel ex necessitate, vel ex apostolica, & regulari immutatione potest dimittere Ecclesiam suam, [& si dimittat tollitur illud vinculum, quod erat inter Episcopum & Ecclesiam, ut possit auctoritate Apostolica ad aliam Ecclesiam promoveri, & eadem auctoritate potest Ecclesia illa alij Episcopo so-
Evaristus. ciari : ideo dicitur Cau. 7. q. 1. c. *Sicut*, quòd
pp. Epist. 2. Sicut vir non debet dimittere uxorem suam, ita nec Episcopus Ecclesiam suam, ut illam dimittat absque inevitabili necessitate, ad quam consecratus est, nisi Apostolica, vel regula C ri mutatione. Episcopus ergo non debet nec potest, nisi auctoritate superioris, dimittere Ecclesiam sibi commissam : quia sicut ipse ex solo suo consensu non potest plenam, vel liberam administrationem habere, ita ex solo suo libero dissensu, vel ex sola sua renunciatione libera, non potest onus assumptum dimittere. Papa verò qui superiorem non habet prout sæpius tactum est, sicut ex solo libero consensu habet plenam jurisdictionem, ita ex solo suo libero dissensu, & ex sola sua libera renunciatione potest onus assumptum deponere. Semper ergo potest ipse Papa assumptum onus de D ponere, sed non debet nisi ex manifesta causa, & in casu hoc facere : quia valde periculosum est in divinis rebus, quòd quis cedat juri suo, & potestati, ut habetur Cau. 7. q. 1. c. *Quam periculosum* : ex causa tamen manifesta, & in casu licèt non posset ad id cogi, ipse tamen debet hoc facere, & debet seipsum deponere, si videat seipsum insufficientem ad gubernandum Ecclesiam, ne publicum bonum sub eo langueat.

*

CAP. X.

In quo solvitur ratio quinta, & habet hoc cap. partes octo : in prima parte ostenditur, quòd in ordine Episcopali non imprimitur character.



Olutis quatuor rationibus antedictis, solvere volumus rationem quintam, quæ arguit, quòd cùm nec Papa, nec tota creaturarum vniversitas potest facere, quòd aliquis Pontifex non sit Põtifex: ergo multo magis non videtur posse facere, quòd summus Pontifex non sit summus Põtifex. Addunt enim isti ad cõfirmationem sui dicti, quòd minus est tollere simplicem Pontificẽ: quàm summum Pontificẽ: exinde concludunt, quòd cùm simplicem Pontificẽ nullus possit tollere nisi Deus: ergo nec summum Pontificẽ aliquis videtur posse tollere, nisi Deus: ergo Papa renunciare non potest, nec sua renunciatio valet. Videtur autem istis benè arguere, & videtur eis, quòd arguant per locum à minori, & quòd minus sit tollere simplicem Pontificem, ita quòd simplex Pontifex non sit Põtifex, quàm tollere summum Pontificem quòd non sit summus Pontifex. Sed si benè considerant vim suorũ dictorum, non arguunt per locum à minori, immo arguunt per locum à majori, quia eo modo quo simplex Episcopus opere creaturæ tolli non potest, majus est facere quòd simplex Põtifex nõ sit Pontifex, quàm quòd summus Pontifex non sit summus Pontifex : immo secundùm communem conditionem rerum, majus est desinere à simpliciter esse, quàm ab optimo esse: nam quicumque desinit, vel privatur à simpliciter esse, consequens est, quòd illud sit privatum optimo esse, cùm ipsum simpliciter esse sit fundamentum omnium aliorum. Sicut ergo difficilius est destruere rationem fundamenti, & arborem evellere à radice, quàm destruere ipsam in ramis : sic quia esse summum Pontificem præsupponit esse Pontificem, non valet si Pontifex non potest desinere esse Pontifex, quòd summus Pontifex non possit desinere esse summus Pontifex. Sed dicemus, quòd ille idem qui non est Pontifex potest habere plenam jurisdictionem, & auctoritatem summi Pontificis : ut si aliquis sit in Papam electus, antequam ordinetur in Episcopum, habebit plenam jurisdictionem summi Pontificis, non tamen erit summus Pontifex nisi sit Pontifex.

Verùm-

Verùmtamen quia verba generalia mentì non ſatisfaciunt nec quietant intellectum, ideo volumus ad ſpecialia deſcendere, & quantum ad præſens cap. ſpectat, circa Epiſcopatū, de quo eſt nunc quæſtio noſtra, octo declarabuntur. Primo quidem declarabitur, quòd in Epiſcopatu non imprimitur character. Secundo, quòd licèt in Epiſcopatu non imprimatur character, imprimitur tamen ibi perfectio characteris: ille enim qui ordinatur in Epiſcopum non ſuſcipit characterem, qui ſit alius à charactere ſacerdotali, ſed perficitur in eo ſacerdotalis character. Tertio oſtendetur, quomodo Epiſcopatus ſit ordo, & quomodo non ſit ordo. Quarto declarabitur, quot ſunt Epiſcoporū ordines. Quinto manifeſtabitur, quòd ultra ſimplicem Epiſcopatum non imprimitur character, nec perfectio characteris: propter quod ſi Epiſcopus fiat Archiepiſcopus, vel Patriarcha, vel etiam Papa, ex hoc ſolam jurisdictionem ſuſcipit, non characterem, vel perfectionem characteris. Sexto demonſtrabitur, quòd inter Epiſcopum, & Eccleſiam ſpirituale conjugium reperitur. Septimo patefiet, quot modis habet eſſe ſpirituale conjugium, & quomodo poteſt ſolvi, & non ſolvi, & quomodo eſt fortius, & durabilius, quàm ſit conjugium carnale, & quòd magis poteſt diſſolvi conjugium carnale quàm ſpirituale. Octavo, & ultimo ex his quæ diximus ſolvemus rationem propoſitam, quomodo ſummus Pontifex poteſt deſinere eſſe ſummus Pontifex, & tamē ſimplex Pontifex non poteſt deſinere eſſe ſimplex Pontifex.

Epiſcopatus

Character.

Propter primum, ſciendum, quòd character ſecundùm ſe, ſignum directivum importat. Vnde & Dionyſ. dicit: *Characterem eſſe ſignum ſanctæ contractionis, & participationis divinorum*: & ſecundùm commune dictum Magiſtrorum Character eſt diſtinctio impreſſa animæ rationali. Sed omnis diſtinctio, & omnis differentia, & omnis relatio fundatur in aliquo, ut ſi aliqui ſunt ſimiles, hoc eſt quia habent easdem qualitates: & ſi ſunt differentes, hoc eſt quia habent alias perfectiones. Aliqua ergo perfectio imprimitur in anima poſtquam diſtinguitur ab alia anima, ratione cujus dicitur illi animæ eſſe character impreſſus. Si ergo quæratur, quid ſit ille character. Dicemus, quòd eſt quoddam ſignaculum, & quædam poteſtas impreſſa animæ, per quam ad ſpiritualia dedicatur. Propter quod Magiſter 4. Sent. diſt. 24. volens diffinire ordinem quantum ad ipſum Characterem ait: *Quòd ordo eſt ſignaculum quoddam, quo ſpiritualis poteſtas traditur ordinato.* Et ideo ibidem ait: *Quòd character ſpiritualis, eſt promotio poteſtatis.* Verùm quia per hæc ſenſibilia ſumus apti nati manuduci in intelligibilia, cùm character non ſit aliud quàm potentia quædam ſpiritualis, per quam anima habens hujuſmodi potentiam, per quoddam ſignaculū, & quaſi per quēdam characterē diſtinctū ab alia anima hujuſmodi potentiam non habēte: cùm ergo inveniamus triplicē potentiā in rebus corporalibus, videlicet potentiā recipiēdi, hujuſmodi eſt potentia materiæ, potentiam reſiſtendi, ſicut dura, & fortia habent potentiā ut reſiſtant, & potentiam agendi, ideo non ponimus niſi triplicem characterem, videlicet characterem Baptiſmalem, qui eſt potentia ſpiritualis, ut poſsit ſpiritualia recipere: & Characterem impreſſum in Confirmatione, qui eſt potentia ſpiritualis, ut poſsit ſpiritualiter reſiſtere, & ſpiritualiter reſiſtēdo poſsit in Jeſu Chriſti notitiā deducere: & characterē impreſſum in ordinibus, qui eſt potētia ſpiritualis agendi, vel ſpiritualia miniſtrādi. Imprimitur quidem character in Baptiſmo, ut poſsimus ſpirituales potentias, & characteres recipere. Ideo ſi quis ordinaretur, & non eſſet baptizatus, non reciperet ordines, ſed eſſet baptizandus, & iterum ordinandus. Imprimitur etiam character in Confirmatione, ut confirmati, & firmi exiſtentes poſsimus nomen Chriſti audacter confiteri, & obviantibus reſiſtere. Imprimitur quoque character in ordinibus, ut poſsimus ſpiritualia miniſtrare.

His itaque prælibatis, dicemus quòd cùm character ſit quædam potentia ſpiritualis, ille qui ordinatur in Epiſcopum, non ſuſcipit characterem alium à charactere ſacerdotali: nam ſi Epiſcopatus eſſet ordo imprimens alium characterem à ſacerdotali, ſicut ſacerdotium eſt ordo imprimens alium characterem à charactere diaconali, ſequeretur illud inconveniens, quòd quis poſſet fieri Epiſcopus, etiam ſi non eſſet ſacerdos. Ordinatio ergo Epiſcopalis, quæ eſt ſupra ſacerdotalem, poſſet fieri per ſaltum, & poſſet quis fieri Epiſcopus, non factus ſacerdos: quod falſum eſt. Eſt tamen diligenter advertendum, quòd Hugo diſt. 52. c. *Solicitudo*, notavit tria notanda. Primum, quòd prætermiſſo Baptiſmo, nullus ordo poteſt recipi. Secundū, quòd prętermiſsis omnibus minoribus ordinibus, ſacer Ordo non confertur. Tertium, quòd prætermiſſo ſacerdotio, Epiſcopalis ordo non datur. Primum quidem, quòd prætermiſſo Baptiſmo, non confertur aliquis ordo: & tertium, quòd prætermiſſo ſacerdotio, non confertur ordo Epiſcopalis, vera ſunt, ſed ob aliam, & aliam cauſam: nam in Baptiſmo confertur character, qui eſt potentia receptiva, per quam ſumus apti ad recipiendum alios

Vide gloſ. ibi in vr. ſub diaconatus.

characteres, ideo si illo charactere, & illa potentia careamus, characteres Ordinis non poterimus recipere: sed quòd prætermisso sacerdotio, non imprimatur nobis ordo Episcopalis, ex hoc veritatem habet, quia in sacerdotio imprimitur character sacerdotalis, qui character per ordinem Episcopalem perficitur: nec videtur differentia inter sacerdotem, & Episcopum nisi illa, quæ est inter hominem puerum, & hominem virum, quia homo vir est homo magnus, & est homo perfectus, homo puer non est magnus, nec est homo usquequaque perfectus. Ideo de quolibet Pontifice dicitur, quòd est sacerdos magnus: & Dionys. in de Angelica Hierarchia in cap. de Sacerdotalibus perfectionibus: Diaconibus attribuit purificare, sacerdotibus illuminare, Episcopis perficere. Sicut ergo secundùm hunc ordinem, quem videmus, habet esse aliquid simpliciter quàm habeat esse perfectum, ut prius est puer quàm sit vir: ita prius oportet quòd sit sacerdotium in quo imprimitur character sacerdotalis, quàm detur Episcopalis ordo, in quo imprimitur perfectio illius characteris. Sed illud secundum notabile, quòd non recipiatur sacer ordo, nisi prius recipiatur aliquis de minoribus ordinibus, falsum est: nam omnes ordines habent characteres suos distinctos, ut possit unus sine alio recipi, & possit quis per saltum ordinasi: & si ordinatur per saltum non reordinatur, sed imponitur ei pœnitentia, & suppletur quod est omissum. Unde purus laicus potest recipere ordinem sacrum, sicut dicitur in glosa super dist. 40. c. *Sicut.* Tametsi nulla glosa diceret, ex quo characteres sunt distincti, & impressiones, sunt distinctæ, cõsequens est, quòd potest imprimi character superior sine inferiori, ut communiter Theologi tenent. Revertamur ergo ad propositum, & dicamus, quòd quia ordines se invicem non præsupponunt de necessitate, sed de congruitate, quia potest conferri quilibet ordo superior sine inferiori, consequens est, quòd quilibet ordo tam sacer, quàm non sacer habeat suum proprium characterem: sed cùm ordo Episcopalis non potest conferri sine sacerdotio, ut communiter tenent Theologi & Iuristæ, cõsequés est, quòd ordo Episcopalis nõ habeat per se distinctũ characterem ab ordine sacerdotali: quod primò declarare volebamus.

Episcopus, & sacerdos quomodo differant.

Æg. de charactere. q. 3.

Habetur extra de Presbyt. ordinato per.

A

Incipit secunda pars hujus capitis, declarans quòd licèt in ordine Episcopali non imprimatur character, imprimitur tamen perfectio characteris.



Iso, quomodo in ordine Episcopali non imprimitur per se character alius à charactere sacerdotali, quia tunc posset cõferri Episcopatus sine sacerdotio, volumus declarare quod secundo proponebatur: B videlicet quòd in ordine Episcopali quamvis non imprimatur ibi character, imprimitur tamen ibi perfectio characteris non cujuscumque, sed characteris sacerdotalis. Hoc ergo fit in ordine Episcopali quòd ex hujusmodi ordine perficitur, & completur character sacerdotalis, quod sic declaratur: quia si sunt duo agentia, quorum unum non potest aliquid, quod potest aliud, ex duplici causa, ceteris paribus, hoc potest contingere: vel quia aliquam potentiam habet hoc agens, quam non habet illud: vel quia illam eandem potentiam perfectiorem habet, quàm illud: ut si aliquis potest videre à longe aliquid, quod non po- C test alius, vel hoc est, quia hic habet virtutem visivam, quam non habet alius: vel si utrique habent virtutem visivam, completiori tamen modo habet hujusmodi virtutem ille, quàm alius: constat quidem quòd multa potest facere Episcopus, quæ non potest simplex sacerdos: quia potest consecrare, & conferre Ordines non solùm minores, sed etiam majores: quod non potest simplex sacerdos nec ex commissione, nec alio modo. Numquam enim simplex sacerdos potest consecrare aliquem in Episcopum, nec potest conferre sacros Ordines: vel ergo hoc est, quia aliqua potentia spiritualis D est in Episcopo, quæ non est in simplici sacerdote: vel quia perfectiori modo est in Episcopo, quàm in sacerdote. Sed primum stare non potest quòd potentia spiritualis aliqua sit in Episcopo, quæ non sit in simplici sacerdote: quia hujusmodi spiritualis potentia, de qua hìc loquimur, nihil est aliud quàm character: Si enim ordo Episcopalis haberet per se distinctum characterem à sacerdotali, sequeretur illud inconveniens quod suprà tetigimus, quòd posset fieri aliquis Episcopus absque eo quòd esset sacerdos, sicut potest fieri sacerdos absque eo quòd sit Diaconus. Poterit ergo aliquid

Epis-

Episcopus, quod non potest sacerdos, non propter modum primum quòd aliqua potentia spiritualis; vel aliquis character imprimatur in ordine Episcopali alius à charactere sacerdotali, consequens ergo est quòd hoc sit secundo modo, videlicet quòd Episcopus non habeat characterem nec aliam spiritualem potentiam, sed habeat perfectiorem hujusmodi characterē & perfectiorem hujusmodi potestatem. Propter quod benè dictum est, quòd in ordine Episcopali non imprimitur character, sed perfectio characteris: nihil est enim aliud Episcopus quàm sacerdos perfectus, vel est sacerdos qui potest alios sacerdotes facere: Sic enim dicemus de sacerdote, & de hujus ordinibus, sicut dicimus de alijs naturalibus rebus. Aliud est enim esse hominem, & aliud esse hominem qui potest alios homines generare: nam homo puer homo est, sed non est homo perfectus, qui potest alios homines generare: & si ille, qui est homo puer, crescat, & fiat vir, ut possit alios homines generare, non est factus homo alius, sed factus est homo perfectus. Sic sacerdos simplex sacerdos est, sed non est sacerdos qui potest alios sacerdotes facere. Si ergo simplex sacerdos episcopetur, non imprimitur ei alia sacerdotalis potentia, nec imprimitur ei alius character, sed ille character sacerdotalis, quem habebat, perficitur, ut ex hoc sit sacerdos perfectus, ut possit alios sacerdotes facere: quia secundùm sapientum sententiam. Vnumquodque perfectum est, cùm potest sibi simile generare. Sacerdos ille, qui non potest alios sacerdotes facere, non est sacerdos usquequaque perfectus, Episcopus autem qui hoc potest, dicitur sacerdos perfectus.

Advertendum ergo, quòd multum videtur simile de sacerdote simplici, & de sacerdote Episcopo, & de homine puero, & de homine viro: puer enim per potentiam caloris naturalis, quam habet, potest cibum convertere in alimentum: sed non est tantæ potentiæ ille calor quòd possit semen decoquere, vel quod possit alium hominem generare. Sic & simplex sacerdos per potentiam spiritualem, sive per characterem, quem habet, potest substantiam panis convertere in verum corpus Christi, qui est noster cibus, & nostrum spirituale alimentum: sed non est tantæ potentiæ ille character quòd possit alium in sacerdotem ordinare, ita quòd quantum ad sacerdotium non potest similem generare, sicut & homo puer quantum ad naturam humanam non potest sibi similem generare, homo autem magnus, cùm perfectus sit, potest sibi similem hominē generare. Sic & Episcopus, quasi sacerdos perfectus; potest alios sacerdotes facere, vel potest alios in sacerdotium ordinare.

Est tamen nihilominus diligenter notandum, quod Dionys. in de Eccles. Hierarch. cap. de Sacerdotalibus perfectionibus: ubi Episcopum vocat sacerdotem perfectum: quia quidquid perfectionis est, attribuit Episcopis, ita quòd quamvis sacerdos simplex potest baptizare, & potest conficere corpus Christi, modo tamen perfecto, idest modo solemni non potest sine Episcopo, idest sine adjutorio Episcopi: quia, ut innuit, licèt quædam mysteria per sacerdotes impleantur, ut Baptismus, & confectio Eucharistiæ: tamen, ut ait, Baptismus non celebratur solemniter sine Chrismate, & Eucharistia non conficitur sine altari, quod altare non nisi ab Episcopo consecratur. Potest ergo simplex sacerdos baptizare, quia hoc potest quicumque alius homo, & potest corpus Christi conficere, attamen ut hæc fiant solemniter, & secundùm ritum Ecclesiæ, non fiunt sine actione Episcopali, quia secundùm Dionys. non fit solemniter Baptismus sine Chrismate, & secundùm ritum Ecclesiæ non conficitur corpus Christi nisi in altari consecrato. Etiam ipse Presbyter conficiens secundùm ritum Ecclesiæ, debet esse indutus vestibus ab Episcopo benedictis. Episcopus ergo est sacerdos perfectus, tum quia potest alios sacerdotes facere, quod perfectioni attribuitur, quia, ut diximus, unumquodque perfectum est, cùm potest sibi similem generare: tum etiam, quia quæ potest simplex sacerdos, sicut est baptizare, & Eucharistiam conficere, non potest ea perfectè idest solemniter, & secundùm ritum Ecclesiæ, sine actione Episcopali, idest sine *Chrismate* unguento, ut Dionys. dicit libro prædicto & cap. Appellat enim ibi unguentum Sanctum Chrisma, quod (ut dicit) requiritur ad solemnitatem Baptismi, & ad consecrationem altaris, in quo conficitur corpus Christi. Concludamus igitur, & dicamus quòd quia Episcopus nihil aliud est quàm sacerdos perfectus, ideo in ordine Episcopali, & cùm quis efficitur Episcopus, non imprimitur ei alius character à suo charactere sacerdotali, sed ille character perficitur: propter quod benè dictū est, ut suprà dicebatur, quòd in ordine Episcopali non imprimitur character, sed perfectio characteris.

Incipit tertia pars hujus Cap. declarans quomodo Episcopatus sit ordo, & quomodo non sit ordo.

HIs itaque prælibatis, volumus declarare quod tertio proponebatur declarandum, videlicet an Episcopatus sit ordo? Dicemus quidem, quòd Magister 4. Sent. dist. 24. definiens ordinem, dicit, quòd *Ordo est signaculum quoddam, in quo spiritualis potestas, & officium traditur ordinato.* In qua diffinitione duo tanguntur, videlicet ipsum signaculum, & potestas spiritualis, quę traditur in hujusmodi signaculo: quæ licèt sint duo, tamen possunt referri ad unum, & idem secundùm rem, videlicet character impressus in ordine est signaculum quod datur, & est potestas quædam spiritualis. Ipse enim character sacerdotalis, vel cujuscumque alterius ordinis signaculum quoddam est, per quod distinguitur hujusmodi ordinatus ab his qui non habent hujusmodi ordinem: & potestas quædam spiritualis est, quia per illum characterem quis dedicatur Deo ad aliquid spirituale agendum, ut ex tunc possit præparare materiam quæ requiritur in Sacramento Eucharistiæ, quod pertinet ad Subdiaconum: vel ex tunc dedicatur Deo ut possit ministrare immediatè sacerdoti in his quæ aguntur in hujusmodi sacramento, quod pertinet ad Diaconũ: vel sic dedicatur Deo, ut ex tunc possit conficere Eucharistiæ Sacramentum, quod pertinet ad characterem sacerdotalem: omnes enim ordines accipiendi sunt prout ordinantur ad Eucharistiæ Sacramentum, quia hujusmodi Sacramentum est finis non solùm omnium Ordinum, sed etiam omnium Sacramentorum, ut dicit Dionys. in de Eccles. Hierar. cap. de Contemplatione ministerij illuminationis. Cùm ergo sacerdos possit conficere corpus Christi, consequens est, quòd respectu Sacramenti Eucharistiæ nullus sit major ordo, quàm sacerdotalis. Episcopatus itaque, qui est supra sacerdotium, non est ordo (ut hic de ordine loquimur) sed est dignitas, vel officium: propter quod, & Magister 4. Sent. dist. 24. loquens de Episcopatibus, ait, quòd sunt Episcopi quædam non ordinum, sed dignitatum, vel officiorum nomina: & subdit, quod Dignitatis simul, & officij non est Episcopus: ergo secũdùm Magistri sententiam, Episcopus nõ A est nomen ordinis, sed dignitatis, & officij.

Advertendum ergo quòd ut diximus: Ordo non est nisi quædam potestas, qua quis ad spiritualia dedicatur: sed potestas potest dici alia & alia, vel secundùm essentiam, vel secundum actum. Dicetur enim aliquis habere aliam potentiam quàm alius, si illa potentia sit alia in essentia à potentia, quam habet alius. Dicetur etiam alio modo habere aliam potentiã, si posset in aliquem actum, in quem non possit alius: nam etsi non est alius calor per essentiam in homine jam facto viro, & cùm erat puer, tamen quia aliqua potest homo vir, quæ non poterat, cùm erat puer, quia potest decoquere semen, & generare, quod non poterat, cùm B erat puer, dici potest aliqua potentia esse in viro, quæ non est in puero: est ergo ad unum dicere, quòd sicut & aliæ res, & ipsa potentia diversificari potest per aliam, & aliam essentiam, vel per perfectum, & imperfectum. Primo quidem modo habent distinctos characteres, & distinctas spirituales potentias omnes septem ordines, quia character & spiritualis potentia, quam imprimit unus ordo, est alia per essentiam à charactere & à spirituali potentia, quam imprimit alter: & inde est quòd etsi de cõgruitate semper inferiores ordines debent præcedere superiores, non tamen hoc est de necessitate, quia potest quis suscipere superiorem ordinem, prætermisso inferiori, Sed secundo modo differt character, & potentia per imperfectum, & perfectum in sacerdote, & Episcopo: quia (ut patuit) in ordine Episcopali non imprimitur alius character à charactere sacerdotali, sed ille character perficitur, & completur. Quærere ergo, utrùm Episcopatus sit per se ordo distinctus ab alijs ordinibus, est quærere utrùm in ordine Episcopali imprimatur alia spiritualis potentia ab omnibus alijs septem ordinibus? Si ergo loqueris de alietate potentiæ per essentiam, patet quòd non est alius character, vel alia potentia quantum ad ea quæ sunt ordinis in sacerdote, & in Episcopo: sed si loqueris de alietate potentię non secundùm essentiam sed secundũ perfectum, & imperfectum, sic in Episcopo est alia spiritualis potentia, quia est in eo perfectior potentia, & perfectior character quàm sit in simplici sacerdote. Et quia potentia perfecta potest in aliqua, in quæ non potest potentia imperfecta, ideo non solùm quantum ad ea quæ sunt jurisdictionis, sed etiam quantum ad ea quæ sunt ordinis, potest aliqua Episcopus, quæ non potest simplex sacerdos. Episcopatus itaque non est per se ordo, quòd secundùm se imprimat characterem, sed est per se

ordo

ordo, prout per se imprimit perfectionem characteris. Ideo Magister libro 4. dist. 24. cùm prius dixisset quòd Episcopus non est nomen ordinis sed dignitatis & officij, posteà dixit, quòd *Ordo Episcoporum quadripartitus est*: Prius ergo negavit Episcopatum esse nomen ordinis, & posteà concessit, quòd Episcopus erat nomen ordinis: & Dionys. in de Eccles. Hierarchia cap. de Sacerdotalibus perfectionibus dicit, esse tres Ordines in Ecclesiastica Hierarchia, videlicet ordinem Episcoporum, sacerdotum, & aliorum ministrorum, ita quòd sub ordine ministrorum comprehendit sex ordines, videlicet quatuor ordines minores cum diaconatu, & subdiaconatu; quia omnes isti ministrant sacerdoti, cujus est conficere corpus Christi. Potest ergo concedi quòd Episcopus sit nomen ordinis, & potest negari, secundùm aliam, & aliam acceptionem, ut est per habita manifestum.

Incipit quarta pars hujus Capituli, distinguens, quot sunt ordines Episcoporum.



Voniá ostensum est quòd secundùm unum modum accipiendi, Episcopus est nomen ordinis, ideo volumus distinguere, quot sunt ordines Episcoporum, Dicit. enim Magister 4. Sent. dist. 24. quòd *Ordo Episcoporum quadripartitus est, in Patriarchas, Archiepiscopos, Metropolitanos, & Episcopos.* Videtur ergo Magister distinguere inter Metropolitanum, & Archiepiscopum: quia (ut ipse ait) *Archiepiscopus accipitur pro Primate secundùm quem modum accipiendi, erit distinctio inter Primatem, & Patriarcham.* Sed nos distinguemus de Patriarchis: Est enim Patriarcha (ut ait Magister in dist. præfata) idem quod summus Patrum: & quia quod per superabundantiam dicitur, uni soli convenit, ideo sequendo Etymologiam nominis, non est in Ecclesia nisi unus solus Princeps, videlicet Romanus Pontifex. Distinguemus ergo Romanum Pontificem ab omnibus alijs. Patriarchas ergo alios associabimus ipsis Primatibus, ut dicamus, quòd idem sit esse Primatem, & Patriarcham. Sed quia inter ipsos Primates aliqui sunt majoris dignitatis, aliqui minoris, illi qui sunt majoris dignitatis, dicti sunt Patriarchæ: illi qui sunt minoris, retinuerunt sibi commune nomen, & vocati sunt Primates: pro eodem ergo genere possumus accipere Primatem, & Patriarcham. Sic etiam pro eodem possumus accipere Archiepiscopum, & Metropolitanum. Dicitur enim Archiepiscopus quasi princeps Episcoporum: dicitur autem Metropolitanus quasi mensura civitatis: *archos* quidem idem est quod Princeps: & *metrum* idem est quod mensura, ut idem Magister in eadem dist. exponit. Et quia Princeps Episcoporum debet regulare, & mensurare civitates Suffraganeorum, quæ sunt sub ipso, ideo pro eodem accipiemus Archiepiscopum & Metropolitanum. Quatuor ergo sunt ordines Episcoporum; quia in infimo gradu sunt Episcopi, supra quos sunt Metropolitani seu Archiepiscopi, supra quos sunt Primates seu Patriarchæ, super omnes quidem est Romanus Pontifex: quæ omnia (secundùm Magistrum in dist. præfata) accepta sunt à Gentilibus. Sed dicet quis. Quare in hoc, Magister, imitamur Gentiles, quàm Judeos, cùm salus ex Judæis sit, & cùm pater noster dicatur esse Abraham, & cùm testamentum novum contineatur in veteri, sicut rota in rota juxta visionem Ezechielis? Dicemus ergo, quòd gès Judaica erat unus populus, & lex illa Mosayca data fuit uni populo, ita quòd tempore legis scriptæ poterat quis salvari in gentilitate: non enim tenebantur ad cœremonias illius legis nisi soli Judæi, vel illi qui volebant se convertere ad ritum Judæorum. Sed nostra Ecclesia est catholica, & universalis, ut extra eam non possit esse salus, ergo de jure, Ecclesia occupat totum mundum, quia de jure omnes deberent obedire Evangelio, omnes deberent esse sub summo Pontifice: illud enim tenetur de jure quisque agere, sine quo non potest justè vivere, vel sine quo non potest justus esse, vel sine quo non potest salutem consequi: extra enim Ecclesiam non est salus. Sic ergo est de jure quòd Ecclesia totum contineat, & etiam de facto multò magis est dilatata Ecclesia, quàm fuit synagoga. Ideo ordo istarum dignitatum dicitur à Gentilibus sumpsisse originem, quia sunt Gentiles propter sui diffusionem, ut quia multi erant, & valdè diffusi, ideo in eis erant diversi gradus dignitatis: sic quia Ecclesia est sic diffusa, & quia lex Evangelica non respicit unum populum tantum, oportet quòd secundùm tam diffusam, & tam universalem auctoritatem, & jurisdictionem sint in Ecclesia diversi ordines dignitatis.

Papa, Imp. Romanus, Patriarhæ Coss. Card. Sènat. Trim. Reges. Archiepiscopi. duc. Episcopi, Comites. Coepiscopi Præfecti. Archipresb. Trib. mil. Cancel. trib. pl. Archid. Prætores.

Possumus autem, quantum ad præsens spectat, assignare sex genera communitatis, secundùm quæ sex genera communitatum, accipientur quatuor gradus, sive quatuor ordines Episcoporum. Dicemus quidem, quòd ex plu-

ribus

ribus personis fit prima communitas, quæ dicitur communitas domus: secundo, ex pluribus domibus fit communitas vici: tertio, ex pluribus vicis fit communitas civitatis: quarto, ex pluribus civitatibus, & ex pluribus castris fit communitas provinciæ: quinto, ex pluribus provincijs fit communitas regni: ultimo, ex pluribus regnis fit communitas totius mundi, sive totius orbis. Secundùm quidem communitatem primam sive secundùm communitatem domus non sumitur rectoria, nec dignitas Ecclesiastica: non enim stare potest quòd in qualibet domo esset rector Ecclesiasticus ut quòd esset ibi sacerdos vel Episcopus. Quantum autem ad secundam communitatem ut quantum ad communitatem vici sumi potest rectoria Ecclesiastica: nam communitas vici est similis communitati parochiæ, ut sicut in uno vico sunt multæ domus, sic sub una parochia sunt multæ domus, quibus spiritualiter præest parochialis sacerdos. Secundùm quidem communitatem tertiam ut secundùm communitatē civitatis sumitur dignitas Episcopalis: ad Episcopum enim pertinet superintendere omnibus qui sunt in civitate sua, & etiam in circumadjacentibus partibus: habet enim Episcopus curam de civitate, & de Diœcesi, quæ circunstat civitati: est enim civitas, ut dicitur in 1. Politicorum: *Communitas perfecta*: igitur sacerdos simplex qui non est utquequaque perfectus non debet præesse toti civitati, quæ est communitas perfecta, sed debet civitati præesse Episcopus qui est sacerdos perfectus. Hinc ergo accipitur primus ordo Episcoporum secundùm præeminentiam civitatum, ut ille, qui spiritualiter præest civitati, vocetur Episcopus. Verùm quia supra communitatem civitatis est communitas provinciæ, & supra communitatem provinciæ, potest esse communitas regni, quia sub uno regno possunt contineri plures provinciæ: & supra cōmunitatē regni est Monarchia, & est communitas totius mundi: ideo sicut Gentiles dividebant orbem in Civitates, Provincias, Regna, & Monarchias, ita, secundùm hæc quatuor accipiuntur quasi quatuor ordines Episcoporum, quia simplices Episcopi præsunt civitatibus, Archiepiscopi verò præsunt provincijs, ita quòd illud, quod subest Archiepiscopo, potest dici provincia: postea autem, & Patriarchæ quasi præsunt regnis: Summus autem Pontifex præest toti mundo.

Decani, Centuriones. Presb. par. Decuriones. Sacerdo. alij, Advocati. Diac. Ædiles Subdiac. Quaterniones Exorcistæ. Duumviri. Ostiarij. Quæstores. Lect. Poetæ. Acolyti, Scriptores.

Cap. 2.

Incipit quinta pars hujus capituli, declarans quòd ultra simplicem Episcopum non imprimitur character, nec perfectio characteris.

QUANTUM patet ex dictis, quòd in sacerdotio & in aliis sex ordinibus imprimitur character: in ordine verò Episcopali imprimitur perfectio characteris: in aliis verò dignitatibus quæ sunt supra episcopatum, cujusmodi sunt Archiepiscopus, & Primates, & cujusmodi est Papa, non imprimitur character, nec perfectio characteris: talia enim (ut patet) accepta sunt secundùm majorem, & minorem communitatem, ut quia provinciæ communitas est major, quàm communitas civitatis, eum, qui præest provinciæ, vocamus Archiepiscopum, & eum, qui præest Archiepiscopo, vocamus Primatem, & eum, qui præest omnibus, vocamus Papam. Vnde si Archiepiscopus habet potestatem ampliorem, quàm habeant Episcopi, & in collatione pallij confertur ei quædam plenitudo pontificalis officij, juxta illud exemplum de auctoritate, & usu pallij cap. *Nisi*, quòd in pallio pontificalis officij plenitudo cùm Archiepiscopalis nominis appellatione confertur. Ante acceptionem pallij non vocatur Archiepiscopus: propter quod sibi tunc confertur hoc nomen quod vocatur Archiepiscopus, & tunc dicitur sibi conferri plenitudo pontificalis officij quantum ad jurisdictionem, quia habet pleniorem sive ampliorem jurisdictionem, quàm habeat Episcopus: sic etiam Primates, vel Patriarchę jurisdictionem nominant ampliorem: Papatus verò omnem jurisdictionem continet. Et quia ea quę sunt jurisdictionis ex sola commissione possunt habere vigorem, ideò in talibus non imprimitur character nec perfectio characteris: habent enim Episcopi aliqua quæ sunt supra ordinem sacerdotis, quia aliqua potest Episcopus quæ non potest committere: sed quamvis Episcopus habet aliqua, quæ sunt ordinis simplicis sacerdotis, ea tamen, quæ supra Episcopum sunt, solam jurisdictionem nominant. Sed dicet aliquis, quòd cùm summus Pontifex habeat plenam potestatem, & non solùm secundùm partem sicut alij prælati habere possunt, juxta illud exemplum de auctoritate & usu pallij cap. Ad honorem, quem vocati sunt in partem solicitudinis, non in plenitudinem potestatis, videbitur quòd aliquid habeat supra Episcopum, & Archiepiscopum. Dicemus ergo quòd

Archiepisc.

Glo. in verb. nominis.

quòd illa plenitudo potestatis licèt ex multis causis possit ostendi, ex ipsa tamen jurisdictione universali competet sibi potestatis plenitudo. Est ergo diligenter notandum, quòd semper habens curam universalioris boni habet ordinare de aliis quibus commissum est minus bonum universale : ideò ars gubernandi civitatem, quæ dicitur politica, cujus est habere curam de universali bono, & de toto populo, debet ponere mensuram, & regulam in omnibus aliis artibus : ideò dicitur primo Ethicor. quòd *Videbitur autem utique esse hæc per omissionem, & architectonicè talis utique est civilis, hæc enim præordinat qualis unusquisque convenit addiscere, & usque quo.* Spectat enim ad gubernatorem civitatis, qui habet curam de bono universali, imponere mensuram, & regulam artibus mecanicis, utputà fabrili, qualiter se intromittat de ferro, & carpentario, qualiter de ligno, & sic de aliis ; immò non solùm artibus mecanicis, sed etiam aliis artibus imponit mensuram, & modum : ejus enim est determinare qualiter Rhetores utantur Rhetorica, & qualiter Medici medicina, & qualiter milites utantur militia. Ideò dicitur Ethic. primo, *Sub hac autem* (idest sub politica) *sive sub Rectore civitatis præciosissimas virtutes existentes, utputà militarem, & Rhetoricam, & sic de aliis artibus: ipsa enim cura boni publici hoc agit, ut ad eum spectet leges condere his quæ sunt sub ipso.* Et quia summus Pontifex habet curã de universo mundo, consequens est quòd ad ipsum spectat omnibus aliis leges imponere, & omnes alij tenentur secundùm leges ab eo conditas vivere. Ista ergo plenitudo potestatis ex sua jurisdictione universali, & ex sua universali cura sufficienter concludi potest, quòd si benè aspicimus non solùm Patriarchatus, vel Episcopatus, sed etiam Papatus supra simplicem Episcopum non quæ sunt ordinis, sed quæ sunt jurisdictionis, dicunt. Et quia quæ solius jurisdictionis sunt, non respiciunt characterem nec perfectionem characteris, ideò benè dictum est, quòd supra simplicem Episcopum non est impressio characteris nec perfectionis characteris. Et ut hæc magis pateant, dicemus quòd si electus in Papam non sit nec sacerdos, nec Episcopus, non poterit ea quæ sunt ordinis, quia non poterit conficere corpus Christi, nec poterit conferre ordines : poterit tamen ea quæ sunt jurisdictionis, ut poterit conferre præbendas, dignitates, & alia hujusmodi facere. Distincta ergo sunt ea quæ sunt ordinis, quæ respiciunt characterem, vel perfectionem characteris, quæ potest simplex Episcopus : & ea quæ sunt jurisdictionis cujus plenitudinem habet Papa in Papatu.

NOTA.

A Ergo ultra simplicem ordinem episcopalem, & per consequens ad esse Primatem aut Patriarcham, ad esse Archiepiscopum seu Metropolitanum, non imprimitur character, nec perfectio characteris : quod declarare volebamus. Verùm quia ex hoc dicto multum dependet tota materia præsentis negotij, quia quæ sunt ordinis non possunt tolli nec desinere esse, ea verò quæ sunt jurisdictionis tolli possunt, vel desinere esse, ideò perfectiùs declarare volumus, quomodo in Papatu ultra episcopatum simplicem non imprimitur character nec perfectio characteris, sed solùm ex hoc acquiritur plena jurisdictio potestatis.

Tenetur autem communiter, quòd papa-
B lis potestas perpetua est, ex qua perpetuitate dicitur Ecclesia non posse mori, juxta illud cau. 12. quæst. 2. c. Liberti, ubi dicitur, quòd *Ecclesia numquam moritur* : & 24. q. 1. capit. *Pudenda*, Pelag. proprio testimonio August. comprobat, quòd Ecclesia non potest esse nulla, quia numquam illa potestas moritur, quia Papa decedente, remanet hujusmodi potestas, (ut quidam dicunt) in Romana Ecclesia, sive in Collegio Cardinalium, sive in ipsa Ecclesia. Quodcumque enim horum ponatur, semper habemus intentum, videlicet quòd in aliquo collegio reservatur potestas papalis, decedente Papa. Arguatur ergo sic : Illud quod respicit characterem vel perfectionem characteris, per
C se loquendo, non potest competere collegio ut collegium est, vel multitudini ut multitudo est, quia character vel perfectio characteris semper imprimitur huic vel illi : & si multi sunt habentes characterem vel perfectionem characteris, tot erunt characteres quot erunt hujusmodi habentes characterem vel perfectionem characteris : sed una eadem potestas, vel illa eadem potestas, quæ est in Papa, eo vivente, remanet in collegio aliquo, sive in Ecclesia, ergo hujusmodi papalis potestas nec dicit characterem nec perfectionem characteris, sed solùm jurisdictionem. Immò si quis diceret,
D quòd propter hoc potestas papalis dicit characterem, vel perfectionem characteris, oporteret quòd tot essent tales potestates, quot essent illi in quibus potestas hujusmodi servaretur : quod est erroneum dicere, quia cùm non possit esse nisi unus Papa, non potest esse nisi una potestas papalis, quæ potestas si reservatur in Collegio Cardinalium, erat in toto hujusmodi collegio, ita quòd secundùm hujusmodi potestatem agere ea quæ Ecclesiæ expediunt, non poterit, nisi totum collegium simul, vel illi qui habent totius collegij potestatem : quia si sufficienter vocetur capitulum, dato quòd aliqui

El. 2. ExCõc. Tol. 4. c. 69. §. quòd si nullo.

deesſent, habebunt illi qui ſunt in capitulo totius capituli poteſtatem. Exinde ergo clarè apparet, quòd talis poteſtas non eſt character nec perfectio characteris, quia quilibet de collegio haberet poteſtatem papalem in ſolidum, ut poſſet agere omnia quę ſunt Papę: quod eſſet magnæ dementiæ ponere: & quod dictum eſt de collegio Cardinalium ſi in eo reſidet poteſtas papalis non vivente Papa, veritatem habet de Eccleſia ſive de multitudine fidelium, ſi in ea reſidet talis poteſtas. Nam ſi Papatus ſive poteſtas papalis diceret characterem ſive perfectionem characteris, cùm tam character, quàm perfectio characteris imprimatur ſingularibus perſonis: & cùm tam character, quàm perfectio characteris multiplicari habeant juxta numerum eorum quibus imprimuntur, omnia præfata inconvenientia ſequentur, videlicet quòd hujuſmodi poteſtas non remaneret in ipſa multitudine, ſed in ſingularibus perſonis ipſius multitudinis: multiplicaretur etiam hujuſmodi poteſtas juxta numerum talium perſonarum, quæ (ut patet) omnia falſa ſunt. Amplius, quia ut ſuprà tetigimus, ex hoc dicto, utrùm poteſtas papalis ultra ſimplicem Epiſcopum dicat characterem vel perfectionem characteris, aut dicat meram jurisdictionem, in hoc enim dependet tota materia præſentis negotij, ideò volumus ab omnibus prædictis hoc aliter declarare.

Nam, ut patet, ea quæ ſunt Papæ, etiam vivente Papa poſſunt committi alijs qui non ſunt Papa. Nam ſi Papa conſtitueret in Eccleſia Archidiaconum, ſicut Laurentius fuit Archidiaconus Sixti, apud quem erant theſauri Eccleſiæ reconditi, qui diſperſit eos, & dedit pauperibus: & conſtitueret cancellarium, ita quòd ad Archidiaconū ſpectaret recipere omnes theſauros, & omnia tributa, & & omnia numiſmata, & quæcumque poſſunt numiſmate menſurari, & non ſolùm ſpectaret ad eam hæc recipere, ſed diſpenſare, & expendere: ad Cancellarium verò ſpectaret beneficia confirmare, & cauſas, & negotia decidere: tunc Papa nihil haberet facere, niſi fortè ſi oriretur aliqua quæſtio de fide, quia ad eum ſpectaret hujuſmodi quæſtionem decidere. Verùm quia congregata aliqua multitudine ſapientium, poſſet eis illius quæſtionis deciſionem committere, conſequens eſt, quòd ea quæ poteſt Papa, committi poſſunt his quæ non ſunt Papa, Sed ſi in Papatu imprimeretur character alius à ſacerdotali, ille character eſſet longè altior, quàm character ſacerdotalis; vel ſi imprimeretur ibi non character, ſed perfectio characteris, illa perfectio eſſet longè altior, & nobilior, quàm perfectio quæ imprimitur in ſimplici ordine Epiſcopali. Arguatur ergo ſic: Ea quæ ſunt ſacerdotis non poſſunt committi non ſacerdoti propter characterem, qui imprimitur in ordine ſacerdotali: & ea quæ ſunt Epiſcopi non poſſunt committi non Epiſcopo propter perfectionem characteris, quæ imprimitur in ordine ſimplici Epiſcopali: ſi ergo in Papatu imprimeretur character, vel perfectio characteris, cùm Papatus ſit longè quid altius, & nobilius quàm ſimplex ſacerdotium, vel quàm ſimplex Epiſcopatus, ea quæ ſunt Papæ non poſſunt committi ei qui non eſt Papa: quod cùm falſum ſit, manifeſtè concluditur, quòd poteſtas papalis ultra poteſtatem ſimplicis Epiſcopi, non dicit characterem, nec perfectionem characteris, nec dicit ea quæ ſunt ordinis, ſed ſolùm ea quæ ſunt jurisdictionis. Patet ergo quòd Papa renunciare poteſt, & poteſt in eo deſinere eſſe poteſtas papalis, etiam eo vivente, quia licèt ea quę ſunt ordinis non poſſint deſinere eſſe in eo in quo ſunt, ea tamen quæ ſunt jurisdictionis tolli poſſunt, vel poſſunt deſinere eſſe. Immo ſi poteſtas papalis diceret characterem, vel perfectionem characteris, vel diceret ea quæ ſunt ordinis, nec pro hæreſi nec pro quocumque alio poſſet Papa, dum viveret, deſinere eſſe Papa. Hoc enim poſito, ſemper haberet poteſtatem papalem, quia etiam hæretici ſi ſunt ſacerdotes, poſſunt quidem quæ poſſunt ſacerdotes quantum ad ea quæ ſunt ordinis, & poſſunt conficere: & ſi ſunt Epiſcopi poſſunt quod poſſunt alij Epiſcopi, quia poſſunt alios ordinare, & ordinati ab eis, dumtamen ſint ordinati ſecundùm ritum Eccleſię, non ſunt reordinandi, ſed ſunt de perpetrato ſcelere corrigendi. Propter quod patet, quòd fundamentum adverſariorum noſtrorum, & in hac parte adverſariorum veritatis, erat falſum, & ſophiſticum, quia volebant loqui de his quæ ſunt jurisdictionis tamquam de his quę ſunt ordinis.

Incipit ſexta pars hujus Capituli, declarans quòd inter Epiſcopum, & Eccleſiam ſpirituale conjugium reperitur.

QVòd inter Epiſcopum, & Eccleſiam ſit quoddam ſpirituale conjugium poteſt multis auctoritatibus probari: nam ut habetur extra de translatione Epiſcoporum cap. Inter corporalia. Inter Epiſcopum, & Eccleſiam eſt ſpirituale conjugium, quod diſſolvendum Deus omnipotens ſuo tantum

tum judicio reſervavit: & Cau. 7. quæſt. c. 1. *Sicut*, dicitur: *Quòd ſicut vir non debet dimittere uxorem ſuam, ita nec Epiſcopus Eccleſiam ſuam.* Innuitur enim ibi quòd ſic eſt ſponſus Eccleſiæ Epiſcopus, ſicut vir uxoris ſuæ. Verùm quia, ut habetur in rubrica hujus ſextæ partis, inter Epiſcopum, & Eccleſiam eſt ſpirituale conjugium, ideo declarare volumus, quomodo, & qualiter hujuſmodi ſpirituale conjugium habeat eſſe, ut ex hoc in ſequenti cap. deſcendamus, quot modis poteſt accipi tale ſpirituale conjugium: ut ex hoc habeamus viam ad inveſtigandum qualiter hujuſmodi conjugium poteſt ſolvi, & qualiter non poteſt ſolvi: nam, ut patebit, taliter poteſt accipi tale conjugium, quòd poteſt ſolvi, etiam vivente Epiſcopo; & taliter quòd non poterit ſolvi niſi per mortem; & tertiò taliter poteſt accipi tale conjugium, quòd etiam per mortem non poterit tolli illud quod erat fundamentum talis conjugij.

Propter primum, ſciendum, quòd licèt ſint auctoritates inductæ, quòd eſt quoddam ſpirituale conjugium inter Epiſcopum, & Eccleſiam, volumus tamen declarare qualiter habeat eſſe tale conjugium, ut ex hoc poſſimus deſcendere ad declarandum quot modis hujuſmodi conjugium ſumi poteſt. Dicamus quidē quòd Epiſcopus eſt ſponſus Eccleſiæ: nam officium ſponſi eſt ex ſponſa filios generare: nam conjugium carnale ut eſt in remedium, non debet transferri ad ſpirituale, ut ſumantur ſimilitudines de conjugio carnali ad ſpirituale: ſumendæ quidem ſunt hujuſmodi ſimilitudines prout conjugium carnale eſt in officium, ſecundùm quem modum conjugium fueſſet in ſtatu innocentiæ ſive in paradiſo, ſi primi parentes non peccaſſent. Debemus enim dicere cum Apoſtolo ad Philip. 3. *Noſtra converſatio in cœlis eſt.* Nam illi qui pravè ambulant, ſunt qui terrena ſapiunt, & illorum converſatio eſt in terra: noſtra converſatio debet eſſe in cœlis, ideſt in altitudine innocentiæ. Cùm ergo conjugium carnale ſit hoc modo in officium cauſa generandæ & propagandæ prolis, conſequens eſt quòd ſi eſt conjugium ſpirituale inter Epiſcopum & Eccleſiam, ſit quia ex officio poteſt in Eccleſiam ſpirituales filios generare & promovere, cùm de eis curam habeat. Sed dices, ergo quilibet homo etiam laicus dicitur ſponſus Eccleſiæ, quia ipſe poteſt filios generare, quia poteſt Sacramentum Baptiſmi conferre per quod baptizati fiunt chriſtiani, & filij Eccleſiæ, vel ſaltim ipſe ſacerdos cui ex officio convenit baptizare poterit dici ſponſus Eccleſiæ. Aduertendum itaque quòd ex officio conjugij carnalis primò homo generatur, ut habeat naturale eſſe: ſecundò roboratur, ut poſsit obviantibus reſiſtere, nam homo ita naſcitur tener in primordio ſuæ nativitatis, quòd niſi faſcia ſtringeretur, de levi diſtringerentur ejus membra, & ideo poſtquam natus eſt roboratur, ut membra ejus magis ſe poſsint continere, & magis poſsint læſivis reſiſtere: tertiò poſteà ſic vigoratur ut poſsit ſtare, ſedere, ambulare, & hæc opera naturalia facere: quartò, & ultimò roboratus, & vigoratus ſic perficitur, ut poſsit ſibi ſimilem generare: ſic eſt in conjugio carnali. Sed cùm in conjugio ſpirituali, illi, qui non ſunt Epiſcopi, vel non poſſunt hoc ex officio, vel ſi poſſunt aliqua ex iſtis, non poſſunt omnia, vel ea quæ poſſunt, non poſſunt uſquequaque perfectè, concluditur quòd ipſi Epiſcopi ſoli ſint ſponſi Eccleſiæ. Dicemus enim quòd illa quatuor, quæ narravimus in conjugio carnali, poſſumus adaptare ad ea quæ videmus in Eccleſia. Nam generationi correſpondet Baptiſmus: roborationi, ut poſsit obviantibus reſiſtere, correſpondet Confirmatio: vigorationi, ut poſsit ſpiritualè agere, correſpondet Ordo: perfectioni, verò, ut poſſit ſibi ſimilem generare, correſpondet Epiſcopatus. Nam per Baptiſmum quis regenatur, & accipit ſpirituale eſſe: per confirmationem roboratur, ut poſsit obviantibus reſiſtere, & audacter nomen Chriſti in notitiam deducere: per ordines verò homo vigoratur, ut poſsit ſpirituales actiones agere: ſed per Epiſcopatum quis perficitur, ut poſsit alios ordinare, & ſibi ſimiles facere: eſt enim Epiſcopus ſacerdos perfectus ut poſsit alios in ſacerdotium ordinare, & ut poſsit conſecranda conſecrare: illi ergo qui non ſunt Epiſcopi, vel non poſſunt aliquid prædictorum ex officio, vel non poſſunt omnia prædicta, vel etiam ea quæ poſſunt ex officio non poſſunt ea perfectè. Propter quod ſciendum quòd ſi laici poſſunt baptizare, hoc non poſſunt ex officio, ſed ex divina diſpenſatione. Nam quia Baptiſmus eſt maximæ neceſsitatis, quia ſine Baptiſmo, vel in re, vel in voto non poteſt quis ſalvus fieri, ideo materia Baptiſmi eſt maximè communis, quia aqua, & miniſter eſt maximè communis, quia quilibet homo: licèt tamen ſic ſit, hoc eſt ex divina diſpenſatione, & in caſu neceſsitatis, nam laicus vir, vel mulier non debet baptizare, niſi magna adſit neceſsitas, & quamvis ſi baptizat aliquem, ille baptizatus eſt: tamen niſi immineat neceſsitas, ſi laicus baptizat, peccat, quia hoc non competit laicis ex officio: immo etiam clericis non ſacerdotibus non competit

Philip. 3. d.

hoc ex officio : ipſi enim diaconi, qui poſt ſacerdotem tenent ſupremum gradum, ex ſuo officio non competit eis, quòd baptizent. Nam ſecundùm Dionyſium in de Cœleſt. Hierarch. *In ordine de ſacerdotalibus perfectionibus: Diaconibus competit purgare, ſacerdotibus illuminare, Epiſcopis perficere.* Diaconi enim purgant, cùm ſeparant mundos ab immũdis: ad diaconos enim ſpectat in Eccleſia clamare, quòd catechumeni recedant, quòd qui non ſunt apti ad recipiendum Euchariſtiam non accedant, quod faciendo, quia ſeparant mundos ab immundis, eorum officium eſt purgare : ſacerdotum autẽ eſt illuminare. Et quia in Baptiſmo quis illuminatur per gratiam, non competit diaconibus ex officio ſuo quòd baptizent, ſed ſacerdotibus.

Revertamur ergo ad propoſitum, & dicamus quòd ad officium carnalis conjugij ſpectat quòd filij generentur, & quòd geniti ſic nutriantur quòd roborentur, ut poſsint læſivis reſiſtere; & roborati ſic vigorantur, ut poſſint actiones naturales agere; & vigorati ſic perficiuntur, ut poſsint ſibi ſimiles generare: quæ quatuor adaptamus ad quatuor quæ videmus in Eccleſia, quia per Baptiſmum accipimus ſpirituale eſſe : per Confirmationem, quòd poſſumus ſpiritualiter reſiſtere : per Ordinem, quòd poſſumus ſpiritualia agere, vel ſpiritualia miniſtrare : per Epiſcopatum, quòd poſſumus omnia hæc perficere. Et quia alij ab Epiſcopis vel non poſſunt aliquid prædictorum ex officio, ſicut omnes qui non ſunt ſacerdotes non poſſunt aliquid prædictorum ex officio: vel ſi poſſunt aliquid prædictorum ex officio ſicut ſacerdotes qui poſſunt ex officio baptizare, non tamen poſſunt omnia præfata, quia ſacerdotes ſecundùm quod hujuſmodi non poſſunt cõfirmare, nec poſſunt alios in ſacerdotium ordinare : illud etiam quod poſſunt, quia poſſunt ex officio, baptizare non poſſunt omni modo perfectè ſine opere Epiſcopali. Nam licèt poſsint conferre Baptiſmum prout eſt quoddam Sacramentum, non tamen poſſunt ipſum perfectè conferre quantum ad ſolemnitatem ſine opere Epiſcopali, quia ſecundùm Dionyſium, non fit ſolemniter Baptiſmus ſine Chriſmate, & Chriſma non fit ſine Epiſcopo: conſequens ergo eſt, quòd illi qui poſſunt omnia præfata ex officio, & perfectè cujuſmodi ſunt Epiſcopi, ſint ſponſi Eccleſiæ, inter quos & Eccleſiã ſpirituale conjugium habet eſſe.

Incipit ſeptima pars hujus Capituli, declarans quot modis habet eſſe ſpirituale conjugium, & quomodo poteſt ſolvi, & non ſolvi.

Dicebatur quidem ſuprà quòd ſicut ratione generandæ, & promovendæ prolis carnalis ſumebatur conjugium carnale : ſic ratione generandæ, & promovendæ prolis ſpiritualis ſumitur conjugium ſpirituale : & dicebatur quòd maximè ſunt ſpirituales, & ſponſi qui ex officio, & perfectè poſſunt prolem ſpiritualiter gignere, & promovere: Dicemus ergo quòd ſicut in alijs tria ſunt conſideranda: Primò poſſe, ſecundò agere, tertiò, ritè & debitè hoc facere : ſic & in conjugio ſpirituali eſſent illa tria conſideranda, primò quidem, poſſe filios generare, & promovere ex officio, & perfectè, ſecundo verò, illud agere, tertiò debitè, & ritè hoc facere. Epiſcopus enim ratione perfecti characteris poteſt filios generare, & promovere : ſecundò ex hac potentia poteſt in actum exire, & illud facere : nam aliud eſt poſſe agere, & aliud agere, nam poſſe quidem agere reſpicit ipſam potentiam, agere verò reſpicit ipſum actum, vel uſum potentiæ: erit ergo primum poſſe, opera ſpiritualia agere, ſecundum verò erit, in actum operum illorum exire, tertium autem erit, hujuſmodi opera ſpiritualis conjugii ritè & debitè facere. Primum reſpicit perfectionem potentiæ, ſecundum, uſum potentiæ, tertium vero, reſpicit ipſam jurisdictionem. Perfectio quidem potentiæ, eſt perfectio characteris, ille ergo qui habet characterem ſacerdotalem perfectũ ſicut eſt Epiſcopus, qui eſt ſacerdos perfectus, & ſacerdos conſecratus, ex ipſa perfectione characteris habet potentiam ut poſsit opera ſpiritualis conjugij facere : ſed ſi faciat hujuſmodi opera conſecrando Chriſma, confirmando infantes, & tribuendo ordines, habebit uſum illius potentię, quæ potentia nihil aliud eſt quàm character ſacerdotalis perfectus, vel perfectio ſacerdotalis characteris. Tertio quidem, ſi ritè & debitè hoc faciat, habebit jurisdictionem ad id agendum : propter quod benè dictum eſt quòd poſſe facere opera ſpiritualis conjugij reſpicit characterem ſacerdotalem perfectum: & quia character ille eſt quædam potentia, ideo reſpicit perfectionem illius po-

potentiæ : ſed talia opera facere reſpicit uſum dictæ potentiæ : ritè & debitè illa opera agere reſpicit jurisdictionem : & quia nemo debet mittere falcem in meſſem alienam , ideo Epiſcopus præfata opera ſpiritualis conjugii non debet facere,niſi ubi habet jurisdictionem, vel ordinariam , vel commiſſam.

Ex dictis ergo patere poteſt , quòd ſpirituale conjugium quod eſt inter Epiſcopum, & Eccleſiam , tripliciter ſumi poteſt , quia vel ſumitur ex ipſa potentia prout poteſt ſecundùm ritum & formam Eccleſiæ filios generare , & alios ordinare , & ipſos in ſacerdotium promovere : vel ſumitur ſecundò ex uſu iſtius potentiæ , quo præfata opera actu exercet , & actu facit : vel ſumitur tertiò ex ipſa jurisdictione , prout præfata opera ritè & debitè facit. Erit ergo Epiſcopus ſponſus Eccleſiæ,quia vel habet perfectum characterem , qui eſt potentia per quam fiunt opera ſpiritualis conjugij: vel quia illa opera facit , & habet uſum illius potentiæ : vel quia dicta opera ritè facit , & habet jurisdictionem ad id faciendum. Advertendum ergo , quòd ſi hoc ſpirituale conjugiũ reſpiciat ipſam jurisdictionem,ſecundùm quam hujusmodi opera debitè & ritè fiunt , ſic eo vivente,poteſt Epiſcopus deſinere eſſe Eccleſiæ ſponſus & poteſt ſeparari hujuſmodi conjugiũ, quia poteſt ab eo tolli omnis jurisdictio, ut nihil tale vel nulla opera talia poſsit debitè & ritè facere , niſi fortè in caſu neceſsitatis , in quo poteſt baptizare , quia poſſunt & laici hoc facere. Sed ſi accipiatur conjugium ſecundo modo quantum ad uſum potentię, ſive hujuſmodi uſus fiat ritè vel non ritè , ſive hoc faciendo peccet,vel non peccet, ſic vivente Epiſcopo,vel vivente eo, qui ordinatus eſt in Epiſcopum , nec Papa nec tota Eccleſia poteſt tale conjugium tollere , vel etiam ſeparare. Nam ex quo quis ordinatus eſt in Epiſcopum , & jam eſt impreſſa ei characteris perfectio , & jam habet characterem ſacerdotalem perfectum, ideſt potentiam perfectam ad ordinandum alios & ad faciendum eos ſacerdotes : ſi exeat in uſum iſtius potentiæ , & teneat ordines, & faciat alios ſacerdotes , vel conferat eis alios ordines ; qui ſic ordinati ſunt veros ordines ſuſcipiunt , nec ſunt de cetero reordinandi: ſunt tamen corrigendi , eſtque eis pœnitentia imponenda , ſi ſuſceperunt ordines ab his qui ſunt hæretici, vel ſunt ab Eccleſia ſeparati, vel per Eccleſiam depoſiti. Dixerunt enim aliqui Juriſtæ, quòd ſi ſuſcipiantur ordines ab Epiſcopis qui ſunt per Eccleſiam degradati , ſic ordinati nihil ſuſcipiunt ; cùm character & perfectio characteris ſint quid indelebile,quæ reſpiciunt characterem , vel perfectionem characteris : vel ea quæ ſunt ordinis ſunt indelebilia , ut ſemper habeant ſuum effectum. Dicemus enim quòd ſicut conficere corpus Chriſti reſpicit characterem ſacerdotalem ſimpliciter, ſed poſſe alios in ſacerdotes ordinare, reſpicit hujuſmodi characterem perfectum : ſic quia ſimplex ſacerdos quantumcumque degradatus, vel hæreticus (dum tamen intendat facere quod facit Eccleſia) ſine aliqua diſtinctione tenent cõmuniter Theologi quòd ſi ſuper materia panis cum intentione conſecrandi dicat verba quæ ſunt de forma conſecrationis, videlicet *Hoc eſt corpus meum* , verum corpus Chriſti conficit. Et quia ſicut character ſacerdotalis eſt potentia ſpiritualis, qua corpus Chriſti conficitur , ſic perfectio illius characteris , quæ imprimitur in ordine Epiſcopali , eſt potentia conferendi ordines & faciendi ſacerdotes, ideo Epiſcopus ſive ſchiſmaticus, ſive degradatus, ſive etiam hæreticus (dum tamen intendat facere quod facit Eccleſia , & ſecundùm ritum, & formam Eccleſiæ ordinet aliquos) illi erunt ordinati : & ſi diſpenſatum eſt cum eis , non erunt reordinandi , ſed eis erit pœnitentia imponenda , quia contra mandata Eccleſiæ ordines ſuſceperũt. Spirituale ergo conjugium ſumptum hoc ſecundo modo prout non reſpicit jurisdictionem, ſed ſolùm uſum potentię, prout per perfectionem characteris ſacerdotalis poteſt Epiſcopus alios ordinare, numquam ſeparari poteſt , vel tolli, vivente Epiſcopo , quia & character & perfectio characteris quid indelebile nominant : ſolus autem Deus poteſt conjugium ſic acceptum tollere , quia poſſet tollere ab anima characterem , & perfectionem characteris. Ipſe enim Papa nec ut Vicarius Dei , nec aliquo modo poteſt hujuſmodi characterem , vel perfectionem characteris tollere , ſed ſolus Deus hoc poteſt & ſibi ſoli hoc ſervavit & nulli alij hoc conceſsit.

Secundùm hoc ergo poteſt exponi quod dicitur in Decretali illa inter corporalia, quod dubitari non debet, quoniam omnipotens Deus ſpirituale conjugium , quod eſt inter Epiſcopum & Eccleſiam , ſuo tantum judico reſervavit diſſolvendum. Sed ſi accipiatur hujuſmodi conjugium quantum ad omnem modum , videlicet non quantum ad jurisdictionem nec quantum ad uſum potentiæ , ſed ſolùm quantum ad ipſam potentiam quę nihil aliud eſt quàm character ſacerdotalis perfectus, ſic,non ſolùm vivente Epiſcopo,ſed etiam mortuo Epiſcopo,non tollitur tale conjugium, ideſt non tollitur ille perfectus character in quo fundabatur tale conjugium : nam & in anima ſeparata remanet

manet talis character & perfectio characteris. A

In anima separata remanet Character.

Sed notandum, quòd in anima separata remanet character & perfectio characteris non quãtum ad illum usum qui erat ordines conferre, vel corpus Christi conficere, sed remanet quãtum ad decorem & gloriam in beatis, & quantum ad pudorem, & ignominiam in damnatis. Nam sacerdotes & Episcopi si benè vixerunt, animę eorum separatæ habebunt characterem sacerdotalem quantum ad animas sacerdotum, & habebunt illum characterem perfectum quantum ad animas Episcoporum: sed non habebunt hujusmodi characterem aut perfectionem characteris quantum ad usum qui nunc est, sed habebunt illa quantum ad hunc usum qui est decor & gloria. Si malè vixerunt & sunt damnati, habebunt hujusmodi characterem, & perfectionem characteris quãtum ad contrarium usum, qui est pudor, & ignominia. Nam sicut habere insignia Regis est honor & gloria jis qui sequuti sunt voluntatem ejus, ita est pudor & ignominia jis qui averterunt se à Rege, & commiserunt crimen contra regem, quia quanto altior est quis in curia regis, tanto ignominiosus est ei agere contra regem. Ergo mortuo Episcopo, in anima ejus separata remanet character perfectus, qui erat potentia ad operandum opera spiritualis conjugij, & qui erat fundamentum istius conjugij, ita quòd secundùm hunc modum, nec vivente Episcopo nec eo mortuo, tollitur id C quod erat talis potentia, & tale fundamentũ, sed tollitur usus talis potentiæ, quia non remanet ad hunc usum, qui est facere opera spiritualis conjugij quòd est inter Episcopum, & Ecclesiam, sed remanet ad usum alium, ut est per habita declaratum. Sed vivente Episcopo nec hujusmodi character perfectus sine hujusmodi potentia, nec etiam usus istius potentię potest ab ipso tolli, sed semper eo vivente, licèt fortè cum peccato, & cum damnatione animæ suæ potest exire in actum potentiæ & potest facere opera spiritualis conjugij. Sed (ut diximus) si accipiatur tale con- D jugium tertio modo prout respicit ipsam jurisdictionem secundùm quam talia opera debitè, & ritè fiunt, etiam, vivente Episcopo, potest tale conjugium tolli & separari.

Incipit octava, & ultima pars hujus Capituli, declarans quòd si simplex Pontifex non potest desinere esse simplex Pontifex, summus tamen Pontifex potest desinere esse summus Pontifex, in quo fundatur ratio quinta.

ARguunt autem adversarij nostri quòd si simplex Pontifex non potest desinere esse simplex Põtifex, ergo multò magis summus Pontifex non potest desinere esse summus Pontifex. B Sed ut suprà tetigimus, hoc non est magis, immo est minus, quia ut patebit minus est facere quòd summus Pontifex non sit summus Pontifex, quàm quòd simplex Pontifex non sit Põtifex simplex. Ad clariorem tamen notitiam, & solutionem hujus rationis quęramus à sic dicentibus, cùm nomina sint ad placitum, quid intelligunt nomine simplicis Pontificis: nam tale quod potest significari hoc nomine, quod verum dicant, & tale quid, quod falsum. Nam si dicatur quòd nomine simplicis sacerdotis non intelligitur aliud nisi quòd habeat characterẽ sacerdotalem, sic si volunt quòd nomine simplicis Pontificis non intelligatur aliud nisi quòd habeat perfectionem hujus characteris, & talem perfectionem, quòd possit exire in usum dictæ perfectionis: sic certum est quòd nec Papa, nec universalis Ecclesia potest facere quòd simplex Põtifex nõ sit Põtifex simplex, quia non potest ab eo tolli, nec character, nec perfectio characteris: immo Episcopo mortuo, etiam manet in anima ejus separata character, & perfectio characteris, sed non ad hunc usum: eo autem vivente, non solùm remanet character, & perfectio characteris qui est spiritualis potẽtia qua agunt spiritualis conjugij opera, sed etiam remanet usus dictæ potentiæ, ut quando vult, possit dicta opera facere, licèt agat ea ad damnationem animæ suæ, si ea faciat contra mandata Ecclesiæ. Quare si nomine simplicis Pontificis volumus intelligere hãc spiritualem potentiam, & usum istius spiritualis potentiæ, sicut nomine simplicis sacerdotis intelligebatur character sacerdotalis cum proprio usu characteris, cùm sit quid indelebile perfectio characteris quæ imprimitur in ordine Episcopali, sicut ipse character qui imprimitur in ordine sacerdotij; dicemus, quòd sicut simplex sacerdos numquam potest desinere esse sacerdos, sic simplex Episcopus numquam po-

teſt deſinere eſſe Epiſcopus. Loquuti ergo ſumus de potentia, & de uſu potentiæ tam ſacerdotali quàm Epiſcopali, quæ innititur characteri qui eſt in ſimplici ſacerdote, & quæ innititur perfectioni characteris quæ eſt in Epiſcopo. Sed advertendum quòd mentionem fecimus non ſolùm de potentia, ſed de uſu potentiæ, quoniam in anima ſeparata ſacerdotis, vel in anima ſeparata Epiſcopi remanet hujuſmodi potentia: ſed tamen, quia non remanet ad ſuum proprium uſum, ſed ad alium uſum, ut eſt per habita manifeſtum, ideo in anima ſacerdotis ſeparata non dicimus abſolutè quòd remanet poteſtas ſacerdotalis, ſed dicere poſſumus, quòd remanet in ea character ille in quo fundabatur ſacerdotalis poteſtas, per quam ſacerdos, eo vivēte, poterat conficere corpus Chriſti: & in anima Epiſcopi ſeparata remanet character ille perfectus in quo fundabatur ſpiritualis potentia, per quam Epiſcopus eo vivente faciebat opera Epiſcopalia, ſive opera ſpiritua is conjugij.

Revertamur ergo ad propoſitum, & dicamus, quòd ſi nomine ſimplicis Pontificis intelligatur ſua ſpiritualis potentia & etiam uſus potentiæ, ſi vivente eo non poteſt deſinere eſſe Epiſcopus, quia eo vivente, non poteſt tolli ab ipſo hujuſmodi potentia nec etiam uſus potentiæ, quin poſsit exire ad uſum potentiæ prædictæ, licèt ſi ea utatur contra mandata Eccleſiæ, graviter peccet. Sed ſi nomine Epiſcops, vel nomine ſimplicis Pontificis intelligimui non ſolùm potentiam præfatam ſpiritualē & uſum potentiæ, ſed etiam jurisdictionem ut poſsit illa potentia jurè, & ritè uti, ſic ſimplex Pontifex, ideſt habens ſimplicem jurisdictionem Epiſcopalem, poteſt deſinere eſſe ſimplex Pontifex, quia per ceſsionem, vel per depoſitionem, vel quomodolibet aliter poteſt carere jurisdictione prefata. Cùm ergo Papa ultra ea quæ ſunt ſimplicis Epiſcopi, & ultra ea quæ ſunt ordinis, non dicat niſi jurisdictionē, cùm jurisdictio poſsit committi, & poſsit deſinere eſſe, non valet hæc ratio. Si ſimplex Pontifex non poteſt deſinere eſſe ſimplex Pontifex, quòd ſummus Pontifex non poſsit deſinere eſſe ſummus Pontifex: quia per ſimplicem Pontificem poſſumus intelligere habentē characterem ſacerdotalem perfectum, qui eſt potentia ſpiritualis perfecta quantum ad ea quæ ſunt ordinis cum uſu illius potentiæ: & quia tam ſpiritualis potentia quàm ejus uſus non poſſunt tolli, ideo ſecundùm hunc modum loquendi ſimplex Pontifex non poteſt deſinere eſſe ſimplex Pontifex: ſed nullus diceret, quòd diceretur ſummus Pontifex, vel diceretur Papa qui ſolùm habet characterem ſacerdotalem perfectum, & poteſt uti illo charactere. Propter quod patet cuilibet intuēti quòd plus dicit ſummus Pontifex, quàm dicat ſimplex: ſed cùm ſimplex Pontifex dicat omnia quæ ſunt ordinis, conſequens eſt quòd ſummus Pontifex ea quę dicit ſupra ſimplicem, Pontificē non ſint ordinis, ſed jurisdictionis, ut ſæpius dictum eſt: & quia ea, quæ jurisdictionis ſunt, poſsūt deſinere eſſe, ideo cùm ſummus Pōtifex non dicat ſolùm ea quæ ſunt ordinis, ſed quæ ſunt jurisdictionis, ſummus Pontifex poteſt cedere, & deſinere eſſe. Numquam tamē poteſt deſinere eſſe ſummus Pontifex, vocando Pontificem qui habet characterem, & perfectionem characteris, quia quantumcumque renunciet, & cedat numquam deſinet in eo eſſe character nec perfectio characteris, & quā diu vivit ſemper poterit uti illa potentia ſpirituali quæ fundatur in illo perfecto charactere: numquam ergo carebit, nec charactere, nec perfectione characteris, ſed poterit carere & carebit auctoritate & jurisdictione. Dicemus itaque quòd quantum ad ea quæ ſunt ordinis omnes ſimplices ſacerdotes ſunt æquales, quia omnes poſſunt conficere corpus Chriſti: quātum autem ad jurisdictionem non ſunt æquales, quia fortè unus habet curam & habet parochiam, quam curam, & quam parochiam non habet alius: vel unus habet majorem curam, & majorem parochiam, quàm habeat alius. Sic quantum ad ea quæ ſunt ordinis, Epiſcopi ſunt æquales. Et exinde eſt quòd electus in Papam, ſi non ſit ſacerdos, omnem jurisdictionem habet quæ poteſt pertinere ad Papam: ſed nihil habet de his quæ ſunt ordinis ſacerdotalis, nec de his quæ ſunt ordinis Epiſcopalis: propter quod poteſt, & in ſacerdotem, & in Epiſcopum ab alio Epiſcopo ordinari: quod fieri non poſſet, ſi ſacerdotium vel Epiſcopatus in eo qui eſt Papa quantum ad ea quæ ſunt ordinis, eſſent majora, vel altiora quàm ea quæ ſunt in ſimplici quocumque Epiſcopo, quia ſecundùm quod vult Apoſtolus ad Hebræos 7. *Quod ſine ulla autem contradictione quod minus eſt à majore benedicitur.* Papa autem in quantum ad ea quæ ſunt ordinis ſi non ſit ſacerdos, eſt minus quàm alij ſacerdotes, & ſi non ſit conſecratus, vel ſi non ſit Epiſcopus, eſt minus quàm alij Epiſcopi. Quòd ſi in his quæ ſunt ordinis Papa factus Epiſcopus haberet pluſquam alij Epiſcopi, non poſſet conſecrari in Epiſcopum à nullo Epiſcopo, quia tunc major à minori benediceretur. Hæbr. 7. b.

Quid ergo ultra egemus teſtibus? Clarè enim patere poteſt quòd ea quæ ſunt jurisdictionis

ctionis, minuuntur, & creſcunt, quia hic habet jurisdictionem minorem, ille autem majorem, & omnia poſſunt tolli, vel deſinere eſſe, quia poteſt quis totam ſuam jurisdictionē perdere, vel per ceſsionem, vel quomodolibet aliter : ſed ea quæ ſunt ordinis in eodem ordine, nec minuuntur, nec creſcunt, nec poſſunt deſinere eſſe : omnes enim ſacerdotes ſunt pares quantum ad ea quæ ſunt ordinis ſimplicis ſacerdotij: & omnes Epiſcopi ſunt pares quantum ad ea quæ ſunt ordinis Epiſcopalis. Et exinde eſt quòd quilibet Epiſcopus poteſt dici ſummus ſacerdos : quia quilibet Epiſcopus poteſt dici ſummus quantum ad ea quæ ſunt ordinis Epiſcopalis. Si ergo Papa quantum ad ea quæ ſunt ordinis eſſet major Epiſcopo, tunc non poſſet ab aliquo Epiſcopo ordinari, vel conſecrari, quia tunc major à minori benediceretur, quod eſt contra Apoſtolū. Ex his autē manifeſtè concluditur, quòd cùm ea quæ ſunt ordinis ſint immobilia, ea autē quæ ſunt jurisdictionis mobilia, quòd Papa poteſt cedere quātum ad ea quæ ſunt jurisdictionis, non autem quantum ad ea quæ ſunt ordinis. In ſacerdotio autem quantum ad ea quę ſunt ordinis, ſunt gradus. Dicemus quidem quòd eſt duplex corpus Chriſti, videlicet corpus Chriſti verum, & corpus Chriſti myſticum, cujusmodi ſunt fideles. Quantum ad corpus Chriſti verum non poteſt eſſe auctoritas, vel poteſtas niſi ſolùm ordinis, prout quis poteſt conficere corpus Chriſti verum. Sed quantum ad corpus Chriſti myſticū poteſt eſſe auctoritas Ordinis prout quis poteſt fideles ordinare, & facere illos ſacerdotes, vel etiam Epiſcopos: & poteſt eſſe ibi auctoritas jurisdictionis prout poteſt eos abſolvere vel ligare. Ergo quātū ad ea quæ ſunt ordinis ſunt gradus in ſacerdotio, quia Epiſcopi quantum ad ea quæ ſunt ordinis plus poſſunt quā ſimplices ſacerdotes quia ſimplices ſacerdotes ſecundū quod hujuſmodi ſolùm poſſunt conficere verū corpus Chriſti: ſed Epiſcopi etiā quātū ad ea quæ ſunt ordinis habent auctoritatem non ſolùm ut poſſint conficere corpus Chriſti verū, ſed etiam ut poſsint ordinare fideles, & facere eos ſacerdotes, vel conſecrare eos in Epiſcopos, qui fideles ſunt corpus Chriſti myſticum. Et quia quantum ad hoc, ea quæ ſunt ordinis non plus ſe extendunt, ideo quantum ad hoc omnes Epiſcopi ſunt æquales, ideſt quantum ad ea quæ ſunt ordinis. Propter quod omnes dici poſſunt ſummi ſacerdotes, quia quantum ad ea quæ ſunt ordinis non eſt unus Epiſcopus perfectior, quàm alius : quamvis enim Epiſcopus ſit perfectior ſacerdos, quàm ſimplex ſacerdos, quia in ordine Epiſcopali recipitur character ſacerdotalis, nullus tamen Epiſcopus quantum ad ea quæ ſunt ordinis eſt perfectior ſacerdos, quā alius Epiſcopus. Propter quod Magiſter 4. Sententiarum diſtinct. 24. dicit, quòd Pontifex eſt Princeps ſacerdotum. Et quia ipſe ſummus ſacerdos nuncupatur, vult Magiſter ibi quòd quilibet Pontifex poſsit nuncupari ſummus ſacerdos: & cau. 2. quæſt. 7. c. *Accuſatio*, ſummi ſacerdotes dicuntur eſſe Epiſcopi. Voluerūt autem quidam quòd quilibet Epiſcopus, vel quilibet Pontifex poſsit dici ſummus Pontifex, adhærentes illi dicto quòd omnes Epiſcopi dicuntur eſſe ſimplices ſacerdotes : ſed ut patuit in ſacerdotio ſunt gradus etiam quantum ad ea quæ ſunt ordinis, ex quibus gradibus arguitur, quòd ſimplex ſacerdos non poteſt dici ſacerdos ſummus, quia ſimplex ſacerdos non poteſt omnia quæ ſunt ordinis : ſed quilibet Epiſcopus poteſt dici ſummus ſacerdos, quia quilibet Epiſcopus poteſt omnia quæ ſunt ordinis. In Epiſcopatu ergo non ſunt gradus quātum ad ea quæ ſunt ordinis, ſed ſunt ibi gradus quantum ad ea quæ ſunt jurisdictionis. Erit ergo unus Pontifex major alio, non quantum ad ea quæ ſunt ordinis, ſed quantum ad ea quæ ſunt jurisdictionis. Solus ergo erit ſummus Pōtifex, qui ſummam habet jurisdictionem : & quia ſolus unus habet, & poteſt habere ſummā jurisdictionem, non poteſt eſſe niſi unus ſummus Pontifex : Propter quod ſi Papa cedat, remanebit Pontifex quantum ad ea quæ ſunt ordinis, ſed non quantum ad ea quæ ſunt jurisdictionis. Sed quæret aliquis utrùm aliquo modo Papa cedens poſsit dici ſummus Pontifex. Ad quod dici poteſt quòd Papa cedens etiam poſtquam ceſſerit poteſt dici ſummus ſacerdos, quia poteſt omnia quæ ſunt ordinis, ſed nec Pontifex, nec ſummus Pontifex debet tunc nominari quantum ad ea quæ ſunt jurisdictionis, niſi fortè de novo eligeretur in Papam, & ipſe aſſentiret ſicut legitur fuiſſe factum de Marcellino : vel de novo committeretur ſibi aliqua alia jurisdictio.

Verùm quia uſque nunc non diſtinximus niſi duo membra, videlicet quòd aliqua ſunt ordinis, & aliqua ſunt jurisdictionis: poſſumus autem ſuperaddere tertium membrum quòd aliqua ſunt inſignia prēteritæ jurisdictionis, ut ſi Archiepiſcopus de ſua Eccleſia transferatur ad aliam, vel etiam cedat Archiepiſcopatui, remanebunt etiam ei quædam inſignia præteritæ jurisdictionis, quia ſepelietur cum pallio illo in quo pontificalis officij plenitudo ſimul cùm archiepiſcopalis nominis appellatione ſibi collata fuit : propter quod extra de auctoritate, & uſu pallij cap. Ad hoc, dicitur, quòd quiſque

§. *Inquiſitioni.*

Ar-

Archiepiſcopus cum ſuo pallio ſepeliri debet. A Hoc etiam modo poſſet ordinari de Papa cedente quòd ſepeliretur cum aliquibus inſigniis papalibus: & quia nomina ſunt ad placitum, ſi vellem vocare Papam ſive ſummum Pontificem eum qui ceſsit, hoc non poteſt eſſe quantum ad ea quę ſunt ordinis, quia quantum ad talia inter ipſos Epiſcopos non ſunt gradus, ſed quilibet Epiſcopus in talibus dicitur eſſe ſummus: nec hoc erit quantum ad ea quæ ſunt juriſdictionis, quia Papa cedens renunciavit ſuę juriſdictioni vel ſuo juri: ſed quantum ad aliqua inſignia juriſdictionis præteritæ, cui jam ceſſit eo modo quo diximus; quia nomina ſunt ad placitum, ſi quis talem vellet vocare Papam, vel ſummum Pontificem, quia ordinatur ſic de B ipſo quòd ſepeliretur cum aliquibus inſigniis papalibus, ſi fuiſſet ſic ordinatum per Eccleſiam quòd ſic ſepeliretur Papa cedens, poteſt fortè tollerari quod dicitur. Vel poſſumus dicere quòd ſummus poſitivè dicit ſub quo alij, & ſic loquuti ſumus de ſummo Pontifice: & hoc modo nullus ſimplex Pontifex poteſt dici ſummus Pontifex: ſed ſummus negativè dicit ſupra quem nullus: & ſic quilibet Pontifex quantum ad ea quæ ſunt ordinis poteſt dici ſummus Pontifex, quia hoc modo omnes Pontifices ſunt æquales: ſed hic non loquimur de ſummo Pontifice ut per habita eſt manifeſtum. His itaque expeditis, patet quòd cùm arguitur quòd fieri non poteſt, quòd ſimplex Pontifex non ſit ſim C plex Pontifex, ergo multò magis fieri non poteſt quòd ſummus Pontifex non ſit ſummus Pontifex, patet quòd non eſt majus, immò eſt minus: nam licèt bubalus ſit major mure, tamen quantum ad intrare per foramen bubalus eſt minor mure, quia minus poteſt intrare per foramen bubalus, quàm mus: & mus magis poteſt intrare per foramen, quàm bubalus. Sic & in propoſito, quamvis eſſe ſummum Pontificem ſit longè quid majus, quàm eſſe ſimplicē Pontificem, tamen quantum ad indiſſolubilitatem non eſt majus, immò minus: magis enim ſunt indiſſolubilia ea quæ ſunt ordinis quæ nullo modo tolli poſſunt, & minus ſunt indiſ D ſolubilia ea quæ ſunt juriſdictionis quæ tolli poſſunt vel deſinere eſſe poſſunt: & quia ſummus Pontifex ſupra ſimplicem Pontificem non dicit quæ ſunt ordinis, ſed quæ ſunt juriſdictionis, magis eſt indiſſolubilis ſimplex Pontificatus, prout dicit ea quæ ſunt ordinis, quàm ſummus Pontificatus qui ſuper ea, quæ ſunt ordinis, ſolùm dicit quæ ſunt juriſdictionis.

CAP. XI.

In quo agitur de quinquè alijs rationibus, videlicet de ratione. 6. 7. 8. 9. 10. quomodo ſunt intelligendæ, & ab invicem diſtinguendæ.

QUoniam rationes ad eandem partem nec debent ſibi contradicere, nec debēt idem dicere, quia ſi ſibi contradicunt non erunt ad oſtendendam partem: ſi autem idem dicunt, committetur nugatio, quæ eſt unius, & ejuſdem inutilis repetitio. Exinde, ut claræ, & manifeſtæ appareant ſolutiones noſtrorum adverſariorum, quamvis pro majori parte ſemper videantur habere idem fundamentum, volumus laborare ut eas diſtinguamus ut ſuū fundamentum demus cuilibet rationi. Solutis igitur primis quinque rationibus, volumus in hoc capit. de quinque ſequentibus rationibus agere, & oſtendere quomodo ſunt intelligendæ, & ab invicem diſtinguendæ. Tractabimus itaque in hoc capite de ratione 6. 7. 8. 9. & 10. quomodo ſint ab invicem diſtinguendæ: & poſteà in ſequenti capitulo eas per ordinem diſſolvemus. Erat autem ſexta ratio, quòd Papatus erat per legem Divinam, ergo non niſi per Deum diſſolvi poteſt: ex quo enim Papa ſubjecit ſe legi ſponſæ, à ſolo Deo poteſt abſolvi ab hujuſmodi lege. Septima autem ratio erat, quia Papatus eſt quoddam votum: ſed nemo poteſt ſe ipſum abſolvere, ſolus ergo Deus poteſt abſolvere Papam quòd non ſit Papa. Octava quidem erat, quia nullus poteſt ſe ipſum abſolvere. Nona verò erat, quòd quia Papa obligavit ſe Deo, ideò à nullo alio poteſt abſolvi. Decima autem erat, quia poſt legitimam confirmationem nullus Prælatus poteſt abſolvi niſi à ſuo ſuperiori, Papa non habet ſuperiorem niſi Deum, ergo non poteſt deſinere eſſe Papa.

Advertendum ergo, quòd cùm dicitur quòd Papa non eſt Papa niſi per legem Divinam non per legem alicujus creaturæ, & quia per hujuſmodi legem Divinam ſubjecit ſe legi ſponſæ, ideò à ſolo Deo poteſt liberari à tali lege, & à tali ſubjectione, & ab hoc quòd non ſit ſponſus Eccleſiæ. Dici poteſt quòd quod quæritur à ſic dicentibus, quid intelligunt per legem Divinam, & quomodo loquuntur de lege Divina? Vtrùm loquantur de ea ſicut loquitur Dionyſ. in 4. cap. de Cœleſti Hierar.

qui ait, quòd Divino legali ordine, hęc ponitur lex: Per prima, secunda reduci in Deum. Vult enim ibi Dionys. quòd Deus hanc legem statuit quòd secunda reducantur in Deum per primã, ideſt quòd inferiora reducantur in Deũ per ſuperiora. Ordinavit Deus Eccleſiam, & quoſdam poſuit primos, & quoſdam ſecundos, de quo ordine tractat Apoſtolus primo Corinth. 12. ubi ait, quòd *Poſuit Deus in Eccleſia primũ Apoſtolos, ſecundò Prophetas, tertiò Doctores, & ſic de aliis.* Ad prophetas enim, & ad Doctores ſpectat alios docere: ad Apoſtolos autem, & Prelatos ſpectat alios regere, & gubernare: & in hujuſmodi rebus, gubernare, & habere curam de aliis eſt ſupremum: ideò Apoſtoli vel illi qui gerunt curam Apoſtolorum cujuſmodi ſunt prędicti quorum eſt alios regere, & gubernare, tenent primum locum: & inter Apoſtolos omninò tenet ſupremum locũ Romanus Pontifex, qui eſt ſucceſſor Petri qui erat Princeps Apoſtolorum, ad quod principaliter deſignandum, etſi omnes Apoſtoli habuerunt claves, ſpecialiter tamen dictum fuit Petro, Tibi dabo claves regni Cœlorum. Vnde ſuper illa verba Matthęi 16. *Tibi dabo claves regni Cœlorum*, dicit Gloſſa: quòd ſpecialiter hanc poteſtatem Petrò conceſsit, ut ad unitatem nos invitaret: & ſubdit, quòd Ideò Petrum Principem Apoſtolorum conſtituit, ut Eccleſia unum principalem haberet Chriſti vicarium, ad quem diverſa membra Eccleſiæ recurrerent, ſi fortè inter ſe diſſentirent. Et ſi quæras, qui ſunt illi in Eccleſia qui gerunt vices Apoſtolorum. Dicemus quòd Cardinales, & Epiſcopi alij etiam qui non ſunt Cardinales gerunt vices Apoſtolorum, aliter tamen, & aliter: quia Apoſtoli, & Chriſto aſſiterunt, & per diverſas partes mundi fuerunt diſperſi, quia unus Apoſtolus accepit in ſortem prædicationis ſuæ hanc partem orbis, & alijs aliam partem orbis. Cardinales itaque qui aſsiſtunt Papæ gerunt vices Apoſtolorum prout Apoſtoli Chriſto aſsiſtebant: Epiſcopi verò habentes curam ſecundùm diverſas partes orbis gerunt vices Apoſtolorum prout Apoſtoli per diverſas partes orbis fuerunt ſparſi. Supremum ergo locum in Eccleſia tenent gerentes vices Apoſtolorũ, quorum omnium Princeps eſt Romanus Pontifex. Poſt Apoſtolos verò ſunt Prophetæ, & Doctores; & primo ſunt Prophetæ, qui ex Divina inſpiratione habuerunt rerum cognitionem: & poſteà ſunt Doctores, qui per doctrinam poſſunt de hac notitia aliquid participare. Cùm ergo arguitur quòd per legem Divinam habet eſſe Papatus, quia Deus hanc legem indidit rebus quòd inferiora reducantur in Deum per ſuperiora: & ipſe Deus ſecundùm hanc legem ordinavit Eccleſiam ſuam quòd in ea primo ponit Apoſtolos, & Petrum, & quemlibet aliũ ſucceſſorem conſtituit Principem Apoſtolorum, propter quod per legem Divinam habet eſſe Papatus. Si vult hæc ratio ſe fundare in lege Divina per quam inferiora per ſuperiora reguntur, & quia hoc eſt à Deo, ideò ſolus Deus poteſt eam infringere. Reſpondebimus volentibus ſic arguere, quòd hanc legem formaliter non poteſt creatura infringere, quia Deus per ſe ipſũ hanc legem indidit quòd inferiora per ſuperiora regantur, ut patet per Auguſtinum 3. de Trinitate cap. 4. Sed materialiter poteſt creatura ad hanc legem aliquid operari, quia quòd huic perſonę competat locus ſuperior, & quòd ſit Papa, vel quòd huic competat locus immediatè poſt ipſum, & quòd ſit Patriarcha, vel quomodolibet aliter ad hoc cooperatur creatura, quia cooperantur ad hoc homines, per quorum electionem, & aſſenſum electi, hic præficitur in Papam: ſic etiam vel per electionem, vel per inſtitutionem præficitur aliquis in Patriarcham. Quòd ergo Papa exiſtens Papa non ſit ſuper omnes, hoc eſt impoſsibile, quia hoc eſſet contra legem Divinam: ſed quòd ille homo aſſentiendo electioni de ſe factæ ſit Papa, vel renunciando deſinat eſſe Papa, ad hoc cooperatur creatura, & ideò opere creaturæ poteſt hoc fieri, & tolli. Simile autem videmus in naturalibus: tota enim creaturarum univerſitas non poſſet dicere, quòd aer naturaliter non eſſet ſuper aquam, immò ita eſt naturale aeri eſſe ſuper aquam quòd de plumbo poſſet taliter vas concavum fieri, quod nataret ſuper aquam propter aerem quem contineret. Natura ergo non poteſt facere contra hanc legem formaliter, poteſt tamen ad hanc legem cooperari materialiter, quia poteſt ita condenſare materiam aeris, quòd fiet aqua: & ita rarefacere aquam quòd fiet aer: poteſt ergo natura facere quòd illud quod erat materia ſuperioris ſit materia inferioris, & èconverſo. Sed quia ſicut ſe habet materia ex opere naturæ ad ſuſcipiendum formalem perfectionem, ſic ſe habent homines ut opere humano ſuſcipiant Eccleſiaſticam prælationem: & ideò ſicut opere naturæ materia rei ſuperioris ſit materia rei inferioris, & èconverſo, ita quod materialiter loquendo in regimine rerum naturalium quod erat inferius fit ſuperius, & èconverſo. Sic in regimine hominis opere humano, homo ille, qui tenebat locum ſuperiorem, poteſt tenere locum inferiorem, & èconverſo. Itaque qui volunt hanc legem fundare ſupra ipſam legem Divinam, nõ faciunt rationem novam à rationibus ſuperiùs

Corint. 12. d

24. q. 1. c. Loquitur.

Ægid. cõtra Exemptos. c. 11.

di-

dictis: propter quod hæc ſexta ratio ſecundùm hunc modum accepta ſolvitur per dicta in ſuperioribus capitulis.

Dicamus enim de lege Divina ſicut dicebamus de opere Divino: dicebamus quidem quòd ea quæ ſic fiunt opere Divino, quòd ad ea fienda non cooperatur creatura, nec poteſt cooperari creatura, per nullam creaturam tolli poſſunt: & ideò quia ad productionem intelligentiarum ſive Angelorum non cooperatur creatura nec poteſt cooperari, per nullam creaturam tolli poſſunt: quia non eſt data talis potentia creaturæ, quòd poſsit cooperari Deo in opere creationis. Vtrùm autem potuerit creaturæ talis potentia conferri non eſt præſentis ſpeculationis. Sufficiat autem nunc ſcire quòd talis potentia non eſt collata creaturæ. Exinde ergo eſt quòd tota creatura non poſſet deſtruere unam ſpiritualem ſubſtantiam, nec ipſa ſpiritualis ſubſtantia poſſet deſtruere ſe ipſam: animæ enim damnatæ quærent mortem, & non invenient. Dicent enim damnati ſecundùm ſententiam Domini, Lucæ 23. *Montes cadite ſuper nos: & colles operite nos.* Vniverſa ergo creatura non poteſt deſtruere unam ſpiritualem ſubſtantiam, quia ad productionem ejus nihil cooperatur creatura. Sed eo modo, quo creatura operatur ad productionem ſpiritualis ſubſtantiæ, poteſt tolli opere creaturæ. Nam licèt creatura non cooperatur ad productionem ſpiritualis ſubſtantiæ ſecundùm ſe, cooperatur tamen ad productionem ejus quòd ſit in hoc corpore, ſicut ponebatur exemplum de anima rationali. Et quia rationalis anima opere creaturæ eſt in hoc corpore, ideò opere creaturę poteſt tolli ab hoc corpore. Sic etiam dicebamus de Papatu: poteſtas enim Papalis eſt in Eccleſia à Deo, & ideò non poteſt unquam tolli poteſtas Papalis ſecundùm ſe, quin ſemper hujuſmodi poteſtas ſit in Eccleſia, quæ numquam moritur: ſed licèt creatura non cooperetur ad ipſam poteſtatem Papalem ſecundùm ſe, quia hujuſmodi poteſtas ſecundùm ſe eſt à Deo, fit tamen opere creaturæ, quia fit opere humano, quòd papalis poteſtas ſit in hoc homine. Ideò ex opere humano fieri poteſt, quòd talis poteſtas deſinat eſſe in hoc homine. Quomodo autem opere humano quis præficiatur in Papam, & deſinat eſſe Papa? ſuprà diſtinctè dicebatur. Quod ergo dicendum eſt de opere humano, quoniam illud, quod ſic eſt opere Divino quòd ad illud nec operatur nec operari poteſt creatura, non poteſt tolli opere creaturæ: dicetur & de lege Divina, quia illud, quod ſic eſt per legem Divinam, quòd ad illud nihil operatur creatura, fortè non poſſet tolli opere creaturæ. Ad legem ergo illam, formaliter, quòd inferiora ritè, & de jure regantur per ſuperiora, nihil cooperatur creatura: ſed quamvis ad hujuſmodi legem non coopere tur creatura, cooperatur tamè materialiter: quia quòd hoc ſit materia ſuperioris, & hoc inferioris in naturalibus facit creatura, quia poteſt hoc natura facere, quòd materia, quæ eſt ſub forma corporis ſuperioris, & dignioris, poſsit fieri ſub forma corporis inferioris, & graſsioris, & èconverſo: & quod facit natura in naturalibus, poſſunt homines facere in moralibus: quia opere humano fieri poteſt, ut perſona, quæ erat ſubjectum dignitatis inferioris, poſsit fieri ſubjectum dignitatis ſuperioris, & èconverſo. Si ergo ad Papatum nihil cooperarentur homines, & nihil ibi cooperaretur conſenſus eligentium, & conſenſus electi, non poſſet opere humano deſinere eſſe: eo ergo modo, quòd opere humano fit, poteſt ex opere humano tolli.

His itaque prælibatis, dicemus, quòd ſi hæc ſexta ratio intelligatur, eo modo quo dictum eſt, erit eadem cum rationibus ſuperiùs dictis, & habet eandem ſolutionem cum illis, ut eſt per habita manifeſtum. Verùm quia, ut diximus, quamvis quaſi omnes rationes factæ videantur habere unum fundamentum, nos tamen, ut diximus, ad hoc laboramus, ut demus ſuum fundamentum cuilibet rationi. Diſtinguì ergo poſſunt hæ quinque rationes à quibuſdam rationibus antedictis, ut rationes illæ innitãtur huic fundamento, quòd illud quod fit à Deo non poteſt diſſolvi opere creaturæ: & rationes antedictę diverſimodè iunitantur huic fundamento, prout nos diverſificavimus rationes illas in capitulis antedictis, & eas diſſolvimus in eiſdem capitulis, ut eſt per habita declaratum. Sed hæ quinque rationes in hoc capitulo poſitæ, huic fundamento innitantur, quòd cùm quis ligatus vel obligatus ad aliqua non poteſt ab illis ſe ipſum diſſolvere. Dicemus itaque quòd quinque modis, quantum ad præſens ſpectat, quis poteſt obligari ad aliqua. Primo, per mancipationem, vel per ſervitutem, quam contraxit. Secundo, per votum, quod emiſit. Tertio, per culpam, quam voluntariè incurrit. Quarto, per juramentum, quod præſtitit. Quinto, per onus, cui ſe ſuppoſuit. Mancipatione autem, & ſervitute, quam quis contrahit, innititur ratio ſexta: nam ille, qui eſt Prælatus, & efficitur ſponſus Eccleſiæ, mancipatur Divinis obſequiis, & quodam ſpeciali modo in quadam ſervitute redigitur, ut ſubjiciat ſe legi ſponſæ, & ut curam habeat de ſponſa, ſive de Eccleſia ſibi commiſſa, ſive ſit Eccleſia to-

ta, & univerſalis, quę commiſſa eſt Papę, ſi-
ve ſit Eccleſia particularis quæ commiſſa eſt
huic vel illi Prælato. Huic ergo fundamento in
nititur ratio ſexta, ut quia Papa ſubjecit ſe le-
gi ſponſæ, & quia ſe ipſum mancipavit, & in
ſervitutem redegit, ut eſſet Eccleſiæ ſponſus:
& cùm lex Divina videatur hoc velle, quòd
non poſsit quis ſe ſervum faciens à ſervitute
illa pro libito voluntatis ſuæ ſe amovere, non
poterit (ut videtur) Papa ſuo renunciare Pa-
patui: primo ergo fundamento, quantum eſt
ex parte mancipationis, vel ſervitutis, quàm
quis contrahit, innititur ratio ſexta. Sed ſecun-
do fundamento, quòd eſt ex parte voti, quod
quis emiſit, poteſt inniti ratio ſeptima: dice-
batur enim in ratione illa, quòd nullus poteſt
tollere votum alicujus, nec poteſt ipſum à ſuo
voto abſolvere, niſi ille, qui eſt ſupra votum:
ideò, quia Papatus eſt quoddam votum maxi-
mum ſuper omnia vota, eo quòd Papa Deo
vovet de ſe ipſo, quòd curam habebit univer
ſaliter totius Divini gregis, ſolus Deus poteſt
Papam, ab hoc voto abſolvere. Sed tertio fun-
damento ex parte culpæ, quàm quis volunta-
riè incurrit, innititur ratio octava: poteſt enim
ex ratione octava argui à ſimili ex parte cul-
pæ, quàm quis voluntariè ſuſcepit. Arguatur
ergo ſic: Nullus poteſt ſibi ipſi confiteri, &
nullus poteſt ſe ipſum à culpa abſolvere, quan-
tumcumque illam culpam voluntariè incurre-
rit: ergo nullus poteſt ſe ipſum ſubtrahere à
prælatione, quantumcumque prælationem il-
lam voluntariè ſuſceperit. Sicut ergo per cul-
pam fit quis debitor Dei, ita per prælationem
ſuſceptam fit quis debitor Dei, aliter tamen,
& aliter; quia per culpam fit quis debitor Dei,
quantum ad pœnam ſibi debitam: ſed per præ
lationem fit quis debitor Dei, quantum ad a-
nimarum curam ſibi commiſſam, quia de ani-
mabus ſibi commiſsis reddet prælatus, ante tri-
bunal Chriſti in die judicij, rationem. Sic er-
go quis factus debitor per culpam non poteſt
ſibi ipſi confiteri, nec poteſt ſe ipſum abſolve-
re: ergo quis factus debitor per curam ani
marum ſuſceptam non poterit per ſe ipſum re-
nunciare, nec poterit ſe ipſum deponere. Quar
to quidem fundamento, prout quis ſe obliga-
vit per juramentum, quod præſtitit, poteſt in-
niti ratio nona, quæ ait: quòd Papalis obliga-
tio non videtur poſſe tolli niſi per majorem
poteſtatem: nulla autem eſt major poteſtas, quã
papalis, niſi poteſtas Divina, ergo &c. Si igi-
tur iſti nonæ rationi, quæ de obligatione lo-
quitur, volumus dare proprium fundamentum,
oportet, quòd demus ſibi fundamentum de o-
bligatione juramento firmata: quia ſi velle-
mus ſibi dare fundamentum de obligatione per
mancipationem, vel per ſervitutem contracta
eſſet hæc ratio nona eadem cum ratione ſexta:
ſi verò vellemus ſibi dare fundamentum de o-
bligatione per votum commiſſa, eſſet eadem
cum ratione ſeptima. Vt ergo huic rationi no-
næ demus proprium fundamentum, dicemus,
quòd intelligatur de obligatione per juramen-
ta præſtita: ut dicamus, quòd Papa in ſuſcep-
tione Papatus non ſolùm vovet, & promittit
ſe debitam curam habere de toto grege, ſed
hunc votum, & hanc promiſsionem quaſi quo-
dam juramento firmat: & quia ſic obligatus
eſt per juramentum præſtitum ad ſuſcipiendam
curam de grege ſibi commiſſo, non poteſt ſe ip-
ſum à tali obligatione abſolvere. Fundamen-
to autem quinto, quantum ad onus, cui ſe ſub-
poſuit, innititur ratio decima, quæ ait: quòd
Nulla dignitas Eccleſiaſtica poſt legitimam cõ-
firmationem poteſt tolli niſi per ejus ſuperio-
rem: & quia Papatus non habet ſuperiorem
niſi Deum, per ſolum Deum poterit tolli Pa-
patus. Videtur enim hæc ratio inniti huic fun
damento, quia ex quo Papa conſenſit ſuſci-
pere hujuſmodi onus, cùm ſuus conſenſus ſit
ſua confirmatio, ex ipſo conſenſu eſt legitimè
confirmatus, & habet ſupra ſe hujuſmodi onus,
ut curam de toto grege dominico habeat: non
ergo poteſt ſe abſolvere ab hujuſmodi onere,
cùm poſt ſuſceptionem iſtius oneris intelliga-
tur eſſe legitimè confirmatus.

CAP. XII.

In quo ſolvitur ratio VI. *arguens, quòd quia Papa eſt Papa per legem Divinam, & quia jam conſenſit, & jam ſe ſubjecit legi ſponſæ, ideo renunciare non poteſt.*

POſtquam in capitulo pręcedenti præfatas quinque rationes diſtinximus, & cuilibet rationi ſuum proprium fundamentũ dedimus; in hoc capitulo ſextã rationem ſolvere volumus, quæ innititur fundamento huic, quòd, quia Papa eſt obligatus Deo, non poteſt ſeipſum deponere, nec poteſt ſeipſum abſolvere, ut hac ratione ſoluta, ſolvantur rationes aliæ, quæ idem accipiunt fundamentum. Dicebatur quidem ſuprà, quòd omnes dictæ rationes innituntur huic fundamento, quòd obligatus ad ali-

aliqua non poteſt ſeipſum diſſolvere : juxta er- A go quinque modos obligationis ſuperiùs tradi-tos, ut diximus, ſumi poſſunt illæ quinque rationes, videlicet, ratio ſexta, ſeptima, octava, nona, & decima. Sed ſexta ratio ſatis ſpecificat ſuum fundamentum : legitur enim de lege Divina per quam quis ſubditur legi ſponſæ : ille autem, qui eſt ſponſus Eccleſiæ, dedicatur, & mancipatur divinis obſequijs : ergo illa ratio loquitur de obligatione per mancipationem. Et etiam ratio ſeptima ſatis ſpecificat ſuum fundamentum, quia loquitur de obligatione per votum. Et etiam ratio decima ſatis ſpecificat fundamentum ſuum, quia loquitur de dignitate Eccleſiaſtica poſt legitimam confirmationem, per quam acquiritur jurisdictio; B ideo loquitur de obligatione per aſſumptam jurisdictionem. Sed rationes octava, & nona non ſpecificant fundamentum ſuum. Dicit enim ratio octava quòd nullus poteſt ſeipſum abſolvere, ſed non ſpecificat de qua abſolutione loquatur. Sic etiam & ratio nona generaliter loquitur de obligatione. Dicit enim quòd Papalis obligatio non poteſt tolli : ſed, cùm Papalis obligatio poteſt ſumi multis modis, non ſpecificat de qua obligatione loquatur. Nos verò, ut utrique rationi prætatæ daremus proprium fundamentum, adaptavimus rationem octavam ad obligationem per culpam commiſſam, & rationem nonam ad obligatiocem per juramentum firmatam.

His itaque prælibatis, volumus, ut dicebamus, in hoc capitulo ſolvere rationem ſextam. Arguit enim illa ratio, quòd Papa per legem Divinam eſt Papa, & eſt ſponſus Eccleſiæ : videtur enim eſſe lex Divina, quòd ex quo quis conſentit quòd ſit ſponſus Eccleſiæ, quòd ipſe ſit ſubjectus legi ſponſæ, ut quòd ipſe mancipatur obſequijs ſponſæ, ut ipſe ſit ſervus ſervorum Dei, & quòd tota intentio ſua ſit, quòd intendat obſequia ſponſæ, ideſt tota obſequia Eccleſiæ Catholicæ, ut dicat cum Agopolo : *inſtantia mea quotidiana, ſoli-*
2. *Corinth.* cap. 2. g. *citudo omnium Eccleſiarum.* Solicitabatur enim D quotidie Apoſtolus circa ea quæ inſtabant, & circa ea quæ poterant inſurgere de quibuſcumque Eccleſijs ; vel ad hæc potiſsimè inſtabat, & laborabat Apoſtolus, ut ſolicitationem circa omnes Eccleſias haberet. Papa ergo ſic mancipatus, ſic dedicatus, ſic in ſervitutem redactus, ut ſit ſponſus Eccleſiæ, & ut intendat circa obſequia Eccleſiæ, non videtur, quòd poſsit ab illa ſervitute ſeipſum abſolvere. Sciendum ergo, quòd, ut ſuprà tetigimus, Epiſcopus poteſt dici ſponſus Eccleſiæ tripliciter: vel quantum ad potentiam, quia poteſt facere opera ſpiritualis conjugij : vel quantum ad uſum potentiæ, quia facit hujuſmodi opera: vel quantum ad jurisdictionem, quia ritè & debitè facit hujuſmodi opera. Quantum eſt ad ipſam potentiam, certum eſt, quòd Epiſcopus dedicatur, & mancipatur divinis obſequijs, à qua dedicatione, & mancipatione non poteſt abſolvi. Inde autem eſt, quòd quilibet character, & perfectio characteris quid indelebile dicitur, quia in impreſsione cujuslibet characteris, & etiam perfectionis ejusdé efficitur quis ſervus Chriſti, ut ex tunc ſit regeneratus ſpiritualiter & habeat ſpirituale eſſe, & ſit aſcriptus in numero fidelium, & ex tunc denominatur à Chriſto, cujus ſervus factus eſt, & vocatur Chriſtianus. In charactere verò, qui imprimitur in Cō firmatione, efficitur quis ulteriori modo ſervus Chriſti, ut non ſolùm ſit chriſtianus, & habeat ſpirituale eſſe, ſed etiam ut poſsit ſpiritualiter reſiſtere, & audacter nomen Chriſti confiteri. Per illos autem ſeptem ordines efficitur quis ulteriori modo ſervus Chriſti, quia dedicatur, & mancipatur divinis obſequijs, ut poſsit non ſolùm ſpiritualiter, reſiſtere, ſed etiam poſsit ſpiritualia miniſtrare, & circa ſpiritualia ſe exercere. In ordine quidem Epiſcopali, ubi imprimitur perfectio characteris, perfectè quis dedicatur obſequijs Eccleſiæ, ut ex tunc dicatur ſponſus Eccleſiæ, & poſsit ágere opera ſpiritualis conjugij. Quantum ergo C ad hanc potentiam, quę fundatur in charactere, vel in perfectione characteris, per quam Epiſcopus poteſt agere opera ſpiritualis conjugij : & etiam quantum ad uſum iſtius potentiæ, indiſſolubile eſt conjugium inter Epiſcopum & Eccleſiam : & quantum ad hoc dicitur eſſe dedicatus, vel mancipatus Eccleſiæ obſequijs. Sed quantum ad jurisdictionem non eſt indiſſolubile hujuſmodi conjugium : immo, ſi benè advertimus, non eſt ibi dedicatio quantum ad ſuſceptionem jurisdictionis : quia datur talis jurisdictio abſque eo quòd imprimatur ibi character, vel perfectio characteris. Nam electus in Papam, ſi aſſentiat electioni, dato quòd non ſit ſacerdos, & dato quòd non habeat characterem ſacerdotalem, nec perfectionem illius characteris, plenam jurisdictionem habebit. Cùm ergo arguitur, quòd per legem Divinam eſt Papa ſubjectus legi ſponſæ. Dicimus, quòd dedicatus in Epiſcopum, & factus ſponſus Eccleſiæ ſecundùm Divinam legem, ſemper erit ſponſus Eccleſiæ quantum ad dedicationem : ſed non oportet, quòd ſit ſemper ſponſus Eccleſiæ quantum ad jurisdictionem. Eſſet enim iniqua illa lex Divina, ſi Papa videns ſe inſufficientem ad exercendum

juriſ-

jurisdictionem sibi commissam, si Deus statuisset legem, vel ordinasset, quòd non posset illi jurisdictioni cedere, quia langueretur sub ipso commune bonum. Igitur si hæc ratio innitatur obligationi per mancipationem; & si hæc mancipatio accipiatur secundùm ipsam dedicationem, & secundùm perfectionem characteris, certum est, quòd talis mancipatio non potest tolli: sed si capiatur hujusmodi mancipatio quantum ad jurisdictionem, quæ non innititur rei indelebili, quia nec innititur characteri, nec perfectioni characteris, tolli poterit. Jurisdictio igitur poterit tolli, & poterit desinere in aliquo, quæ non innititur rei indelebili, cùm non innitatur nec characteri, nec perfectioni characteris. Et si dicatur, B quòd ipse in hoc consensit, vel totum commisit, vel juramentum præstitit, quòd esset subjectus legi sponsæ, & quòd haberet curam de universali Ecclesia, & quòd esset servus servorum Dei: omnia talia intelligenda sunt quamdiu vult tale officium retinere, & vult esse sub hujusmodi onere: quamdiu enim vult hoc, & quamdiu vult habere hujusmodi jurisdictionem, tandiu obligabitur ad talem curam habendam: sed si velit renunciare, & velit onus deponere, cessabit obligatio, & remanebit conjugium quantum ad ea quæ sunt ordinis, non quantum ad ea quæ sunt jurisdictionis: tolletur onus jurisdictionis, & remanebit honor Episcopalis. Erit quidem Episco- C pali dignitate præditus, nullius tamen Ecclesiæ erit Episcopus, quòd secundùm jura fieri potest, ut patet in Decretali illa inter corporalia. Quod ergo dicebatur de promissione, vel voto seu de juramento, quia sequentes rationes hoc specialiter tangunt, ideo omnia hæc in suis locis clariùs dissolvemus: sufficiat autem nunc scire, quæ est illa lex sponsæ, quæ est perpetua, & quæ non perpetua.

De translatione Episcopi: & fuerunt verba Innocentii 3. Epist. 119.

Ex his autem patere potest, quòd prefata ratio non concludit, nam cùm Papatus non solùm dicat ea quæ sunt ordinis, sed etiam ea quæ sunt jurisdictionis, quia tunc quilibet D Episcopus esset Papa, cùm quilibet Episcopus habeat omnia quæ sunt ordinis, si Papa renunciet, non ulterius erit Papa: nam quantumcumque summus Pontifex secundùm Divinam legem se subjecit legi sponsæ, tamen per divinam legem non oportet eum perpetuari sub lege sponsæ quantum ad ea quæ sunt jurisdictionis. Non ergo concludit ratio, quòd si renunciet, quòd remaneat summus Pontifex, sed solùm quòd remaneat Pontifex, idest quòd remaneat Episcopali dignitate præditus: nullam tamen habebit jurisdictionem, nec erit alicujus Ecclesiæ Episcopus, sed dicetur sponsus Ecclesiæ, quia secundùm formam, & ritum Ecclesiæ potest ea quæ sunt ordinis conferre. Si quis tamen vellet appellare summum Pontificem quemlibet Episcopali dignitate præditum, vel quemlibet consecratum in Episcopum, quia consecratio est perpetua, & numquam consecratus in Episcopum, est iterum consecrandus, non discordaret à nobis quantum ad mentem, & quantum ad intentionem, sed quantum ad verba: non enim negamus, quòd Papæ cedēti non remaneant omnia quæ prius habebat quātum ad ea quæ sunt ordinis, sed dicimus, quòd non remanent sibi quæ sunt jurisdictionis. Verùm quia intellectus hominis non quiescit, & adversarij nostri fortè libenter cum proprio baculo nos verberarent, dicent: Quare possunt tolli quæ sunt jurisdictionis, non autē quæ sunt ordinis? Nonne istud est fundamentum nostrum generale, quòd per eadem contrario modo facta res construitur, & destruitur? Sicut ergo per idem contratio factum, ut per assensum Papę electioni de se factæ, & per ejus assensum ut renunciet suo juri, fit Papa, & desinit esse Papa: ergo à simili, si aliqua fiant, potissimè ea quæ sunt ordinis. Sed de hoc, in capitulo 16. in solutione illius rationis, quòd nulla dignitas Ecclesiastica post legitimam confirmationem tolli potest, diffusiùs intendimus pertractare.

CAP. XIII.

In quo solvitur ratio septima arguens, quòd per votum, quod Papa commisit de cura habenda de grege Dominico, non potest renunciare, nec seipsum deponere.



Soluta ratione sexta, quæ fundabatur super obligatione Papali, & specialiter fundabatur super lege Divina, per quam Papa obligatur, & subditur legi sponsæ, volumus solvere alias sequentes quatuor rationes, quæ quamvis aliter & aliter procedant, ex Papali tamen obligatione unum accipiunt fundamentum. Et primo solvemus rationem septimam de voto, quæ sic arguebat: Quòd nullus potest solvere votum alicujus, nisi ille, qui est supra votum: sed Papatus, ut dicunt, est quoddam votum maxi-

maximum, quia ſuper omnia vota, quia Papa de facto, ut ajunt, vovet ipſi Deo, quòd curam habebit univerſaliter gregis ſui totius, ideſt univerſalis Eccleſiæ, & quòd de ipſis reddet Deo in die judicij rationem: ſolus ergo Deus poteſt Papam ab hoc voto ſolvere: non ergo, ut concludunt, poteſt Papa renunciare. Volunt itaque iſti, quòd Papa de neceſsitate habebit curam gregis ſibi commiſsi, ut non poſsit deponere aſſumptum onus. Diſtinguemus ergo de neceſsitate, dicentes, quòd duplex eſt neceſsitas, conſequentiæ, & conſequentis. Aliud eſt enim, quòd ipſa conſequentia ſit neceſſaria, & aliud, quòd partes conſequentiæ, cujuſmodi ſunt antecedens, & conſequens, ſint neceſſariæ: Iſta eſt enim conſequentia neceſſaria, quòd ſi currit, movetur: & quòd quãdiu currit, movetur: partes tamen iſtius conſequentiæ non ſunt neceſſariæ, quia nec eſt neceſſarium, quòd quis currat: nec eſt neceſſarium, quòd moveatur. Sic hæc eſt conſequẽtia neceſſaria, quòd ſi eſt Papa, tenetur habere curam de grege ſuo: partes tamen iſtius conſequentiæ non ſunt neceſſariæ, quia poteſt cedere Papatui, cui cedendo, non tenebitur curam illam habere, ad quam obligabatur, dum erat Papa, & antequam cederet. Sed dices, ipſe commiſit votum, propter quod oportet, quòd ſit quid perpetuum. Dicemus ergo, quòd in voto, & in juramento, & in ceteris talibus, conditio bona & debita, etiam non appoſita, intelligitur quia votum non eſt aliud, niſi Quędam ſpontanea promiſsio facta de his, quæ ſunt Dei, ut ait Magiſter 4. Sententiarum. Si ergo Papa commiſit votum, vel fecit promiſsionẽ, quòd curam haberet univerſalem ſui gregis, ſubintelligendum eſt quamdiu erit Papa, vel quamdiu hujuſmodi officium retinebit. Sicut & illi, qui fiunt Rectores civitatis, jurant tenere ſtatuta illarum civitatum: & ſervare in in bono ſtatu: ſed omnia hæc intelligenda ſunt quamdiu durat eorum officium. Quòd ſi tamen expræſsè emitteret votum, quòd quamdiu viveret, & quocumque caſu contingente, ipſe habebit curam vniverſalis Eccleſiæ, & retinebit ſibi officium, & nullomodo renunciabit poteſtati Papali, eſſet votum illicitum: quia ſi accideret ſibi gravis infirmitas, ita ut alienaretur à mente, ut non poſſet Dei Eccleſiam debitè gubernare, vel aliqua alia hujuſmodi, conſtat, quòd benè faceret, ſi renunciaret: & contra bonum commune ageret, ſi Papale officium retineret. Si quis enim promittit virginitatem, vel promittit obedientiam, quia hæc, eo modo quo ſervanda ſunt, non poſſunt militare contra bonum publicum, ideo talia vota poſſunt eſſe perpetua: ſed emittens votum, quòd habebit curam de univerſali bono, & de tam univerſali bono, ſicut eſt tota univerſalis Eccleſia, ſi videat ſe inſufficientem, & manifeſtè cernat bonum publicum ſub ipſo languere, malefaceret, ſi tale votum ſervaret, & illicitum fuiſſet tale votum emittere, per quod exponeretur periculo commune bonum. Ideo Cau. 22. q. 4. c. *Si publicis*, dicitur, quòd *Tollerabilius eſt ſtultæ promiſsionis vota rejicere, quàm per inutilium promiſſorum cuſtodiam, exhorrendam criminum adimplere menſuram.* Quid autem magis horrendum, quàm periculo exponere, & malè gubernare totam univerſalem Eccleſiam? Eadem etiam cauſa, & quæſtione ſcribitur quod ait Iſidorus: *In malè promiſsis reſcinde fidem, in turpi voto muta decretum.* Et quia quod fit ſapienti conſilio, dicendum eſt, quòd debito modo ſit factum, ſi Papa vovet ſe talem curam habere, intelligendum eſt, quamdiu tale officium retinebit: vel aliter nõ eſſet rectum votum: & idem eſſet judicium de hujuſmodi voto, ſicut de alijs votis non debitè factis.

Ex Concilio Tolet. 8. can. 2.

Diſtinct. 38

CAP. XIIII.

Vbi ſolvitur ratio octava arguens, quòd quia nullus poteſt ſeipſum abſolvere, ideo Papa non poteſt ſeipſum renunciare.



Olumus autẽ in hoc cap. ſolvere rationem octavam quę etiam erat fũdata ſuper obligatione papali, ubi dicitur quòd non videtur quòd aliquis poſsit ſeipſum abſolvere: & ex hoc volunt concludere, quòd Papa renunciare non poteſt. Sed quæremus à ſic arguentibus, de qua abſolutione loquuntur: quia ſi loquuntur de abſolutione facta ex eo quòd quis rebus mancipatur divinis, quod fit, cùm quis ſuſcipit characterem aut perfectionem characteris: ſed tunc eſſet hæc ratio eadem cum ratione ſexta. Si autem hoc intelligatur de abſolutione, prout quis ſe obligavit per votum, eſſet eadem cum ratione ſeptima: & ut non oporteat nos per omnia diſcurrere, dicemus quòd non poterimus huic rationi dare proprium fundamentum, niſi intelligatur de abſolutione, prout quis ligatus eſt per peccatum, ſive per culpam. Arguatur ergo ſic: Si

Papa

Papa potest seipsum deponere ; & potest seipsum absolvere à Papatu, videtur, quòd potest seipsum absolvere à culpa, & posset sibi ipsi confiteri. Sicut ergo in foro pœnitentiali alius est qui absolvit, & alius est qui absolvitur, ita quòd idem non agit in seipsum : ita videtur quòd in omni foro, & in omni absolutione, alius sit absolvens, & alius qui absolvitur, ut idem seipsum non potest absolvere. Ad hanc autem objectionem possumus tripliciter respondere : primo quidem, si consideramus quid est culpa, & quid est peccatum : quia culpa, & peccatum non sunt effectus, sed defectus. Secundo, possumus præfatam rationem dissolvere, si consideramus quomodo fit absolutio à culpa, quia fit per Sacramentum pœnitentiæ, Tertio, hoc idem possumus, si advertimus, quare tenemur, & quare obligamur ad illud Sacramentum.

Propter primum sciendum, quòd secundùm Augustinum lib. 12. de Civit. Dei : *Peccatum non habet causam efficientem, sed deficientem.* Et quia sicut loquimur de causa, ita loqui debemus de eo quod habet esse per illam causam : sicut peccatum non habet causam efficientem, sed deficientem, sic ipsum peccatum, nec est effectus, sed defectus. Absolvi ergo à culpa, vel à peccato, non est absolvi ab effectu, sed defectu : propter quod sic absolvi, non est deficere, sed proficere : ille enim qui absolvitur à defectu, tollitur ab eo quòd non sit deficiens, & tribuitur ei quòd sit proficiens : sic ergo absolvi, non est descendere, sed ascendere. Sed ille, qui se deponit à Papatu, facit seipsum inferiorem : quia cathedra Prælatorum tenet supremum locum in Ecclesia Dei ; & inter prælatos Romanus Pontifex. Loquendo ergo de altitudine status, multum descendit qui Papatum renunciat. Cùm ergo in absolutione à culpa quis ascendat, in hac absolutione quis descendat, quis esset tantæ ruditatis, quòd diceret : Si quis non potest per seipsum ascendere, quòd non possit per seipsum descendere. Non ergo valet, si quis non potest seipsum absolvere à culpa, quòd non possit seipsum deponere à Papatu. Quòd si sic arguentes volunt inniti huic fundamento, quòd nullus potest seipsum absolvere, quia nullus potest in seipsum agere, eo quòd agens, & actum movens & motum sint distincta loco & subjecto (loquendo de accidente & passione, quæ in istis corporalibus reperiuntur, prout unum corpus agit in aliud, vel movet aliud) plana esset hujusmodi solutio, & modici est ponderis quod dicitur. Respondetur quidem, quòd non fit ista absolutio per modum actionis, sed per modum cessionis : & quia quilibet potest cedere juri suo, propterea si Papa solùm cedat juri suo, & renunciet juri suo, se deponit à Papatu : licèt hoc non sit in alijs Prælatis, qui sunt suis superioribus obligati, & ab eis confirmati. Ideo Papa potest renunciare, & potest se deponere, ut hæc omnia sunt superiùs diffusiùs pertractata.

Secundo, possumus hanc objectionem solvere, si consideramus Sacramentum pœnitentiæ per quod fit absolutio à culpa : omnia enim quæ fiunt per sacramenta Ecclesiæ, oportet, quòd fiant eo modo, quo requirunt sacramenta : nam potestatem excellentiæ circa sacramenta Christus sibi servavit, & nulli hoc concessit. Vnde & Magister quarto Sententiarum, loquens de potestate Baptismi sive de potestate Sacramentorum, ait : *Aliquam potestatem sibi Christus reservavit.* Quod Magister exponit de potestate excellentiæ, quam dicunt consistere in tribus. Primo, quia merito passionis Christi habuerunt efficaciam sacramenta : ideo dicit Glos. ad Rom. 5. *Quod ex latere Christi profluxerunt Sacramenta Ecclesiæ.* Secunda potestas excellentiæ est, quòd Christus poterat dare effectum Sacramenti sine Sacramento. Tertia quidem erat, quia in nomine Christi conferebatur sacrificium, ideo dicebat Apostolus : *Nunquid Paulus crucifixus est pro nobis, aut in nomine Pauli baptizati istis?* Paulus enim non erat crucifixus pro eis, quia à passione Pauli non habebant efficaciam sacramenta : nec in nomine Pauli baptizati erant, quia in nomine Pauli non conferebantur sacramenta : & baptizati non debebant dicere Sacramentum hujusmodi esse Pauli neque Cephæ, sive Petri : quia nec Paulus, nec Petrus fuerunt institutores Sacramentorum, quòd possint sine Sacramento dare effectum Sacramenti. Cùm ergo absolutio à culpa respiciebat Sacramentum pœnitentiæ & hoc Christus sibi reservavit, quòd nullus possit sine Sacramento dare effectum pœnitentiæ, quicumque vult absolvi à culpa, oportet quòd hoc fiat per sacramentum pœnitentiæ, & oportet quòd sic absolutus subdat se alij vel in re, vel in voto, prout requirit hujusmodi Sacramentum. Sed cessio Papæ non respicit nisi solam jurisdictionem, cui renunciando dicitur renunciare Papatui. Non ergo est simile de his, quæ respiciunt Sacramenta Ecclesiæ : & de his, quæ non respiciunt hujusmodi Sacramenta : sed solùm respiciunt Ius aliquod acquisitum, cui potest quis cedere, quando placet ; sed videat, ut suprà diximus, quo animo cedat, quia potest cedendo mereri, & potest cedendo peccare.

Cap. 7. *Distinct. 5.* *Super illud, Qui est forma futuri.* *1. Corinthi cap. 1. 6.*

Ter-

Tertiò, possumus præfatæ rationi respondere, si consideramus quantum tenemur, & quãtum obligamur, ut confiteamur aliis. Nam ad hoc obligamur ex mandato Domini, qui Lucæ capit. 17. dixit leprosis, per quos intelliguntur peccatores, quòd ostenderent se sacerdotibus. Et Iacobi 5. dicitur, *Confitemini ergo alterutrum peccata vestra.* Si ergo volumus facere simile de absolutione à culpa, & de absolutione à Papatu, dicemus quòd homo se ipsum quodãmodo absolvit à culpa, quia in sola contritione dimittuntur peccata, & contritio nihil est aliud quàm dolor de peccato. Ergo per idem aliter, & aliter factum homo peccat, & absolvitur à peccato: nam si assentiat pravæ delectationi, & delectetur in rebus pessimis, incurrit peccatum; si assentiat dolori, & doleat de commissis, absolvitur à peccato. Verùmtamen istud dolere, & istud conteri non est à nobis, sed à Deo: *Quia omnia opera nostra operatus est Dominus: Ipse enim est qui operatur in nobis velle, & perficere pro bona voluntate.* Sic étiam & in proposito, si iste, qui non est sufficiens ad gubernandam Ecclesiam, renunciet omnino, autumare debemus, quòd instinctu divino hoc sit, & quòd divino opere hoc perficiatur. Ergo si volumus accipere similem de absolutione à culpa, & à Papatu, dicemus, quòd ratio est pro nobis, non contra nos: nam eo quo adjutores Dei sumus, per idem contrario modo factum, ut assentiendo electioni, & assentiendo dolori, incurrimus peccatum, & absolvimus à peccato: & per idem contrario modo factum possumus habere gratiam: & perdere gratiã: sic & in Papatu, per idem contrario modo factum, ut quod iste assentiat electioni, & assentiat renunciationi, & renunciet, erit Papa, & desinet esse Papa. Sed dices, quare ergo tenemur alteri confiteri, ut per alterum absolutionem habeamus? Dicemus, quòd hoc est ex mandato Domini: absolutionem tamen possumus consequi etiam antequam confiteamur, juxta illud Psalm. *Dixi, Confitebor adversum me injustitiam meam Domino, & tu remisisti impietatem peccati mei.* Et quando Dominus mandavit leprosis, ut ostenderent se sacerdotibus, dum irent, mundati sunt. Mandavit ergo Dominus, quòd ostenderemus nos sacerdotibus, & quòd consequeremur absolutionem per aliũ: & quia hoc mandavit, tenemur hoc facere. Si autem hoc non mandasset, in sola contritione dimitterentur peccata: & eodem contrario modo facto, essemus obligati Deo ratione peccati commissi, & essemus absoluti ratione contritionis, & doloris suscepti. Sed cùm Deus nũquam mandaverit, quòd Papa non renunciaret, & sic se habentibus conditionibus, non potuerit hoc mandare, quia fuisset iniquum mandatũ ideo licèt absolutio pœnitentiæ debeat fieri per alium ratione mandati Divini, absolutio tamen à Papatu, eo quòd non intervenerit mandatum dominicum, non oportet quòd fiat per alium, sed per assensum, & descensum: vel per assensum, & renunciationem fiet Papa, & desinet esse.

Esa. cap. 26 b.

Philip. cap. 2. b.

Psalm. 31.

Luc. cap. 5.

CAP. XV.

In quo solvitur ratio nona arguens, quòd quia nullus potest absolvi ab obligatione, quam Deo fecit, nisi per suum superiorem, ideo Papa non potest seipsum deponere.

DEcrevimus autem in hoc cap. solvere rationem nonam, quæ etiã fundatur super obligatione Papali. Dicit autẽ præfata ratio, quòd Papalis obligatio non videtur posse tolli, nisi per majorem potestatem quàm sit potestas Papalis, sed nulla potestas creata major est quã Papalis, ergo qui semel est Papa, semper erit Papa; nisi à Deo tollatur sibi Papalis potestas. Dici ergo potest, quòd si sic arguentes volunt loqui de eo quod tollitur ab aliquo violenter, vel loqui volunt de amotione prout quis judicatur, & amovetur à suo majori, prout videntur sonare verba rationis præfatæ: cùm Papa non habeat majorem nisi Deum, secundùm hunc modum à solo Deo poterit judicari. Nam electio Papalis licèt fiat à Cardinalibus, ejectio tamen seu amotio est tantum Divinino judicio reservata, secundùm quod habetur dist. 79. cap. *Si transitus.* Vbi dicitur, quòd Electio summorum Pontificum à Cardinalibus, & religiosis clericis debet fieri: ejectio verò eorum est Divino judicio reservata. Et dist. eadem, cap. *Ejectionem.* Ejectionem verò summorum Pontificum sibi Dominus reservavit, licèt electionem eorum bonis sacerdotibus, & spiritualibus populis concessisset: sed omnia hæc intelligenda sunt de ejectione, vel amotione involuntaria, quia invitè non potest deponi ab aliquo, nisi pro hæresi tantum; nam secundùm antiqua jura, etiam inferiores Prælati non poterant deponi invitè. Ideo Cau. 7. q. 1. c. *Sicut vir.* dicitur, quòd si quis sene §. *Sicut supra.* §. *Ecce his.* *Anacletus Epist. 2. ad Episcopos Italiæ.*

ctute, vel infirmitate gravatus susceptum officium ministrare non valet, si alium sibi substitui petierit, rationabiliter fieri potest. Et ibidem subditur, quòd eo ideſt Episcopo petitionem scripto dante, quòd vult cedere, cedendum est, ideſt concedendum est, quòd cedat. Et subdit summus Pontifex: Aliter id facere non valemus. Dicit ergo Papa, quòd nec pro infirmitate, nec pro senectute potest Episcopũ deponere, nisi ipse petierit depositionem, cùm tamen per infirmitatem potest quis demens fieri, & per nimiam senectutem potest quis omnino esse ineptus ad pastorale officium exercẽdum: sed dicit Papa se hoc non posse, quia fortè non poterat secundùm scripta jura, poterat tamen de plenitudine potestatis, quæ est supra jura, & per quam conduntur jura. Si ergo in inferioribus Prælatis non est hoc sic indifferenter agendum, ut invitè removeantur, dicemus, quòd in summo Pontifice, qui nullum habet superiorem, nullomodo est hoc faciendum, & nullo modo potest nisi à solo Deo invitè removeri.

Gregorius lib. 9. Epist. 41.

Verùm quia ratio plus concludit, quia loquitur de amotione, & absolutione obligationis: quia non videtur quòd cùm quis est obligatus, & maximè si est obligatus Deo, quòd possit absolvi ab hujusmodi obligatione, nisi à suo superiori, vel à Deo qui est super omnes. Ideo dici potest de qua obligatione hic loquitur? & si loquitur de obligatione facta per mancipationem, sicut quis obligatus, & in servitutẽ redactus, & mãcipatus divinis rebus: patet, quòd de hac obligatione loquebatur ratio sexta. Si autem de obligatione per votum, loquebatur de tali obligatione ratio septima: & ut non oporteat nos per omnia discurrere, patet, quòd si volumus huic rationi dare proprium fundamentum, dicemus, quòd hæc ratio fundat se super obligatione facta per juramentum, ut dicamus, quòd differentia est inter juramentum, & votum: quia votum est, Spontanea promissio facta Deo de his, quæ sunt Dei: sed jurare est, Deum in testem invocare. Tunc ergo concurrit utrumque, quando quis promittit aliquid se facturum, & promissionem illam juramento confirmat, & invocat Deum testem, quòd ipse observabit promissionem illam. Sic fortè volunt dicere adversarij nostri quòd cùm quis assentit Papatui, votum emittit, & promissionem facit, quòd curam habebit universalis gregis sibi commissi, & quòd de his reddet Deo in die judicij rationem: & ad hoc votum, vel ad hanc promissionem servandam invocat Deũ testem, vel cum juramento confirmat. Ideo arguunt: Cùm ista sit tanta obligatio, quo-

Votum.

Iuramentũ.

A modo potest nisi per superiorem tolli; & cùm Papa non habeat superiorem nisi Deum, à solo Deo poterit ab hac obligatione absolvi, cui voto, & juramento est obligatus. Sed hanc rationem nonam de obligatione per juramentũ solvemus, sicut solvimus rationem septimam de obligatione per votum. Nam non solùm in voto, sed etiam in juramento conditio bona, & debita non apposita intelligitur: propter quod si Papa vovet habere curam de universali grege, & illud juramento firmat, oportet, quòd hoc intelligatur quamdiu tale officium retinebit, quia si vellet sic se obligare, & vellet hoc per juramentum firmare, & hujusmodi votum, & juramentum vellemus intelligere simpliciter, obligaret se ad impossibile, quia etiam vivens potest sic demens fieri, quòd non possit curam habere de grege: vel obligaret se ad aliquid iniquum, & injustum, quia si assumptus in Papam processu temporis cognosceret insufficiẽtiam suam, iniquus & injustus esset, si vellet hujusmodi officium retinere; cùm manifestè cognosceret, quòd non posset præfatum officium debitè exercere. Esset ergo juramentum illud illicitum, & per consequens non esset obiervandum. Nam libro Judicum legitur, quòd Jephte occidit filiam suam per juramentum, quod emisit: votum enim voverat Domino, dicens: *Si tradideris filios Ammon in manus meas: quicumque primus fuerit egressus de foribus domus meæ, mihique occurrerit revertenti cum pace à filijs Ammon, eum holocaustum offerant Domino.* De quo juramento ait Magister in Historijs, quòd Jephte fuit in vovendo stultus, & in solvendo impius. Et David (ut habetur 1. Regum 25.) juravit, quòd de omnibus, quæ pertinebant ad Nabal, non relinqueret usque mane mingentem ad parietem. Impiè autem juravit: & piè fecit, quòd juramentum non solvens, effusionem sanguinis non implevit. Debemus igitur juramento dare bonos comites, quia debemus ei dare omnes illas conditiones, sine quibus possunt impiè & injustè juramenta servari. Et quia impiè & injustè servaretur juramentum, si quocumque casu interveniente, & quacumque conscientia urguente, vellet quis dum viveret habere curam universalis Ecclesiæ, oportet, siqua vota, vel juramenta facit Papa de habendo curam universalis gregis, quòd hujusmodi juramenta, & vota habeant comitem, & intelligenda sint cum hac conditione, quòd ipse hæc faciet, cùm habebit talem curam, & quandiu Papale officium retinebit.

Cap. 11. f.

Petrus Comest. auctoritate Iosephi lib. 5. cap. 12. Antiq. judaicarum.

CAP.

CAP. XVI.

In quo ſolvitur ratio decima arguens, quòd quia dignitas Eccleſiaſtica poſt confirmationem legitimam non poteſt tolli, niſi per ſuum ſuperiorem, ideo Papa renunciare non poteſt.



Vxta ordinem ſuperiùs prætaxatum volumus in hoc 16. cap. ſolvere decimam rationem, quæ etiam fundata eſt ſuper obligatione papali. Sed, ut patet, hæc ratio decima tatis ſuum ſpecificat fundamẽtũ de qua obligatione loquatur: loquitur enim non de obligatione ordinis aſſumpti: per quem quis dedicatur divinis rebus, & divinis obſequijs, ſed de obligatione ſuſceptæ jurisdictionis, per quam quis obligatur ad habendam curam de animabus ſibi commiſsis. Ait enim præfata ratio, quòd Nulla dignitas Eccleſiaſtica poſt legitimam cõfirmationem poteſt tolli, niſi per ejus ſuperiorem: & quia Papa non habet ſuperiorem niſi Deum, ideo ab hac obligatione à ſolo Deo abſolvi poterit. Verùm quia in 12. cap. diximus, quòd volebamus reddere rationem & cauſam, quare tolli poſſunt quæ ſunt jurisdictionis, & non quæ ſunt ordinis, ideo hoc capitulum dividemus in duas partes: in prima enim parte lucidè declarabitur quod dictum eſt, in ſecunda verò diſſolvemus præfatam decimam rationem: nam ex declaratione præfata hæc ratio decima, quæ fundat ſe ſupra jurisdictione ſuſcepta, & plures aliæ rationes clariùs diſſolvẽtur. Advertendum ergo, quòd, ut ſuprà tetigimus, aliquando quidquid non eſt expreſſum, vel expreſſè conceſſum, eſt potentię ſuperiori reſervatum; aliquando verò quidquid non eſt prohibitum eſt conceſſum. Dicebam is quidem, quòd, quando id de quo agitur eſt ſupra naturam negotij, ſupra conditionem rei, & ſupra actionem agentis, in talibus ſolùm illa fieri poſſunt, quæ ſunt conceſſa, vel quæ ſunt per ſuperiorem potentiam ordinata. In talibus quidem non valet, ſi poſſunt agere, quòd contrario modo ſe habentia poſsint deſtruere: quia ſicut non poſſunt ex ſua natura agere, ſed poſſunt, quia tolleratum eſt eis ex ſuperiori potentia, ita in contrario modo ſe habentia non poterunt per ſeipſa deſtruere, niſi hoc eis expreſsè per ſuperiorem potentiam cõferatur. Ideo ponebatur exemplum de Metropolitano, quòd non valebat, ſi poterat electionem Epiſcopi confirmare, quòd poſſet ejus ceſsionem recipere: quia ſtatuere qualiter debeat fieri electio prælatorum, qualiter confirmatio, qualiter ceſsio, & alia hujuſmodi ordinare, quæ reſpiciunt univerſalem Eccleſiam, quæ tota Eccleſia regenda eſt per prælatos, ad ſolum illum hæc omnia pertinent, qui præeſt univerſali Eccleſiæ, cujuſmodi eſt Rom. Pontifex. Propter quod, ut dicebatur, in omnibus talibus, quæcumque non ſunt expreſsè conceſſa, ſunt prohibita, vel ſunt ſuperiori potentiæ reſervata. Et quia conceſsit Rom. Pont. quòd Metropolitanus poſſet electum Epiſcopũ confirmare, non autèm conceſsit, quòd poſſet ejus ceſsionem ſuſcipere, ideo illud poteſt & non aliud.

Jurisdictio cur poteſt tolli.

Ex his autem habemus viam ad aſsignandam rationem & cauſam, quare quæ ſunt jurisdictionis poſſunt tolli, non autem quæ ſunt ordinis. Nam quòd unus homo ſit ſub alio, & quòd populus, & multitudo aliqua ſit ſub aliquo capite, hoc eſt quaſi naturale: iſtud non excedit naturam negotij, nec eſt ſupra conditionem rerum, nec ſupra actionem agentium. Ideo in talibus eo modo quo habent fieri, eo modò poſſunt diſſolvi, conditionibus contrariè ſe habentibus: nec oportet, quòd tot concurrant ad deſtruendum, quot ad conſtruendum. Attamen quando in talibus omnia, quæ concurrunt ad conſtruendum, concurrunt etiam ad deſtruendum, nullus dubitare debet, illud eſſe deſtructum. Sed dices: Ad hoc quòd aliquis ſit Epiſcopus alicujus Eccleſiæ concurrunt tria, ſcilicet aſſenſus eligentium, aſſenſus electi, & confirmatio Metropolitani: dato tamen quòd omnia iſta, quæ concurrunt ad conſtruendum, contrario modo ſe habentia concurrerent ad deſtruendum, non propter hoc fieret, quòd iſte non eſſet Epiſcopus, cui objectioni reſpondebimus, quòd ad hoc quòd aliquis ſit Epiſcopus alicujus Eccleſiæ, concurrũt quatuor, videlicet, præfata tria, & quarto concurrit ibi, ordinatio Papæ, quòd ſcilicet ordinet Metropolitano quòd electum Epiſcopũ poſsit confirmare. Si ergo ad ceſsionem concurreret etiam iſtud quartũ, quòd ſcilicet ordinaſſet Papa, quòd Metropolitanus poſſet recipere Epiſcopi ceſsionem, poſſet in manibus Metropolitani Epiſcopus cedere.

Revertamur ergo ad propoſitum & dicamus, quòd non eſt ſupra naturam negotij, nec ſupra conditionem rerum, quòd homines hominibus præferuntur: immo eſt naturale, quòd qui ſunt potentiores in intellectu, & magis vi-

vigent industria, illi præsint. Et ideo vide mus, quòd homines naturaliter præsunt bestijs, viri fœminis, senes pueris. Quod totum ideo est, quia hi magis vigent industria naturali; eo enim ipso quòd Deus majorem industriam dedit hominibus quàm bestijs, & consimiliter loquendo majorē industriam dedit viris quàm fœminis, & adultis quàm pueris, ji dicuntur præesse, & hi subesse. Quòd autem mulieres, & pueri non ita vigeant industria sicut viri, patet, quia 1. Politicorum scribitur, quòd mulier habet consilium invalidum, puer autem imperfectum: inter adultos etiam aliquibus dedit Deus majorem industriam, quàm alijs. Ex hoc ergo voluit, quòd non solùm homines bestijs, viri fœminis, adulti pueris præessent, sed etiam voluit, quòd & ipsi adulti aliquem super se præficerent, quia ut dicitur in Proverbijs: *Intelligens, gubernacula possidebit.* Vult enim sapiens Salomon, quòd intelligentiam habens sit aptus ad alios gubernandum. Sed quamvis sic requirit natura negotij, quòd sciētes meliùs pericula prævidere, alijs præficiantur, ut sub eorum gubernaculo multitudo salvetur, oportet tamen quòd hoc compleatur per consensum hominum. Et sicut per consensum hominum perficitur, & completur, ut quis alijs præficiatur, sic per consensum hominum contrario modo factum fieri potest, quòd Præfectus cedat, vel quòd etiam deponatur. Hæc ergo, quia non sunt supra exigentiam rerum, nec supra naturam negotij, fieri & tolli possunt. Hoc itaque modo se habet in his, quæ sunt jurisdictionis, ut non oporteat ipsa perpetua esse. Sed in his, quæ sunt ordinis, & in omnibus, in quibus imprimitur character, vel perfectio characteris, non oportet, si possunt fieri, quòd possint tolli, quia hæc valde excedunt conditiones rerum, naturam negotiorum, & actiones causarum: fiunt enim prædicta per hæc corporalia, & per verba sensibilia. Vnde hæc aquæ quòd animam mundet, & quòd in ea characterem imprimat baptismalem? Vnde hæc chrismati, & verbis, quæ dicuntur in confirmatione, quòd imprimant characterem confirmationis in anima? Et unde hęc his, quæ fiunt in ordinibus, quòd possint characteres imprimere in animabus suscipientibus ordines? Et unde hæc his, quæ fiunt in consecratione Episcopi, quòd possint imprimere perfectionem characteris? Patere enim debet cuilibet intuenti, quòd quæcumque sunt ordinis, & quæcumque respiciunt characterem, & perfectionem characteris (cùm talia fiant per res naturales, & per verba sensibilia) quòd talia sunt supra actionem talium causarum, & supra naturam talium rerum: ideo in talibus quidquid non est collatum est superiori potentiæ reservatum, & quidquid non est expressè concessum est prohibitum: contulit enim Deus huic rei corporali ut elemēto aquæ, quòd si accedat verbum ad illud tale elementum, quòd fiat Sacramentum, & quòd sit ibi verus Baptismus, & verè imprimatur in anima character baptismalis. Contulit ergo Deus aliquibus rebus sensibilibus, quòd possint hæc facere, sed non videmus quòd contulit aliquibus rebus sensibilibus, quòd possint hujusmodi characterem tollere. Ideo dicit Augustinus, & habetur in quarto Sententiarum, distinct. 3. *Accedit verbum ad elementum, & fit Sacramentum.* Et subditur deinde: *Vnde est hæc tanta virtus aquæ, ut corpus tangat, cor abluat?* Non enim potest hoc habere aqua ex sui natura, sed hoc habet ex verbis, ex quibus est forma Baptismi, & ex virtute sibi divinitùs collata. Nā dicimus quòd ideo Christus baptizari voluit, ut tactu suæ mundissimæ carnis vim generativam conferret aquis. Propter quod Augustinus loquens de Baptismo Christi in quodam sermone de Epiphania: dicit: *Salvator noster baptizari voluit, non ut sibi munditiam acquireret, sed ut nobis fluenta mundaret.* Et subdit: *Ex quo ille in aquis mergitur, ex eo omnia peccata abluit aqua.* Quòd ergo aqua abluat peccata, & quòd possit facere effectus istos spirituales, ut quòd possit characterem imprimere in anima; non habet ex natura sua, sed ex virtute sibi à Christo collata. Et quod dictum est de charactere baptismali, etiam intelligendum est de charactere, & perfectione characteris quantum ad ea quæ sunt ordinis, quia verba sensibilia, & alia quæ fiunt in his, quę sunt ordinis, non possunt ex sui natura imprimere characterem, nec perfectionem characteris. Et quia hoc excedit naturam illarum rerum, ideo quidquid non est eis collatum, est potentiæ superiori reservatum: & quidquid non est ibi cōcessum, est prohibitum. Et quia, ut tetigimus, rebus corporalibus collatū est, ut possint imprimere ea, quæ sunt ordinis: non autem est eis collatum, quòd possint ea tollere: ideo ea quæ sunt ordinis possunt dari, & possunt incipere esse: sed non possunt desinere esse. Sed ea quæ sunt jurisdictionis non sunt supra exigentiā rerū, nec supra actiones causarum, nec supra actiones hominum: possunt autem esse supra actionem istius hominis, vel illius hominis, utputà confirmare ipsum electum, vel suscipere cessionem electi confirmati, est supra electionem hujus hominis, utputà supra actionem Metropolitani, quia nihil potest in talibus, nisi quatenus est sibi concessum à Rom. Pont.

Cap. 8.

Cap. 1. a.

Ea quæ sunt ordinis cur non possint tolli.

Super Ioan. Tract. 80.

De tempore. Sem. 36.

Pont. Propter quod ſi utrumque eſt ſibi cõceſsũ, utrumque poteſt: ſi neutrũ, neutrum poteſt: ſi unum, & non aliud, unum, & non aliud poteſt. Hęc itaque, quæ ſunt jurisdictionis, ut diximus, poſſunt eſſe ſupra conditionem hujus hominis, & illius: ſed non ſunt ſupra conditionem humanam ſimpliciter. Et ideò quando ex parte hominum omnia, quæ concurrunt ad conſtruendum, contrario modo facta concurrunt ad deſtruendum, quod erit conſtructum erit deſtructum, & qui erat Præfectus, non ulterius erit Præfectus, ut patuit in exemplo, quod poſuimus. Vt ſi ad hoc, quòd aliquis ſit Epiſcopus alicujus Eccleſiæ, & habeat jurisdictionem ſuper Eccleſiam illam, concurrunt quatuor, aſſenſus eligentium, aſſenſus electi, confirmatio Metropolitani, ordinatio Papæ ordinantis quòd Metropolitanus poſsit electũ Epiſcopum confirmare, non oportet, ſi deſinat talem jurisdictionem habere quòd concurrant omnia præfata quatuor. Sed ſi omnia præfata quatuor concurrerint, videlicet, quòd concurrerent ibi præfata tria, & concurreret ibi quartum, videlicet, ordinatio Papæ ordinantis quòd Epiſcopus confirmatus poſsit in manibus Metropolitani cedere, patet, quòd ſi capitulum vellet, quòd cederet, & Epiſcopus aſſentiret, & Metropolitanus ceſsionem acceptaret, & ordinatio Papę hoc diceret, quòd hoc fieri poteſt. Quis tantę eſſet ruditatis, quòd dubitare poſſet, quòd ceſsio non teneret? Sem-C per ergo ſtat regula, ut in his, quę non ſunt ſupra naturam negotij, ſupra actiones cauſarũ, cujuſmodi ſunt quæcũq; ſunt jurisdictionis (quia ſunt ſecundùm exigentiam operum humanorũ) omnia, quæ requiruntur ad conſtruendum, contrario modo facta concurrant ad deſtruendum. Oportet igitur talem jurisdictionem eſſe deſinere, & ceſſare.

Secunda pars hujus capit. in qua ſolvitur decima ratio.



Oſtquam in prima par-D te hujus capit. præmiſſimus quædam præambula, & antedicimus, quomodo quæ ſunt jurisdictionis poſſunt tolli, non autem quæ ſunt ordinis: volumus in hac ſecũda parte iſtius cap. ſolvere præfatã rationẽ decimã, quæ, ut dicebatur, innititur obligationi papali nõ quãtũ ad ea quæ ſunt ordinis, ſed ſolũ quę ſunt jurisdictionis. Dicit enim prædicta ratio, quòd poſt legitimã confirmationem nulla Eccleſiaſtica dignitas tolli poteſt, niſi per ejus ſuperiorem. Conſtat autem, quòd confirmatio non dat Prælato quæ ſunt ordinis, ſed ſolùm quæ ſunt jurisdictionis. Hæc enim duo, videlicet, quæ ſunt ordinis, & quæ ſunt jurisdictionis ſic ab invicem ſunt diſtincta, ut unum ſine alio eſſe poſsit. Poteſt enim quis habere quæ ſunt ordinis Epiſcopalis, nihil habendo de his quæ ſunt jurisdictionis. Ideò dicitur in illa decretali Inter corporalia, quòd poteſt quis eſſe Epiſcopali dignitate præditus, nullius tamen Eccleſiæ erit Epiſcopus. Et in eadem decretali dicitur, quòd poſt electionem, & confirmationem canonicam inter perſonas eligentium, & electi conjugium eſt ſpirituale contractum, cui præfecto Epiſcopalis dignitas nihil addit. Quod verum eſt quantum ad ea, quæ ſunt ordinis. Electus ergo, & confirmatus habet quæ ſunt jurisdictionis, ſed non habet quæ ſunt ordinis. Cedens verò pontificali oneri, & non honori, habet omnia quæ ſunt ordinis, ſed ſecundùm quod hujuſmodi nihil habet de his quæ ſunt jurisdictionis. Quia ergo, ut dictum eſt, confirmatio dat quæ ſunt jurisdictionis, character autem, & perfectio characteris dant quæ ſunt ordinis, ideò hæc ratio decima, quæ loquitur de obligatione poſt legitimam confirmationem, ut clarè patet, †non legitur de obligatione prout eſt mancipatus, & dedicatus rebus Divinis quantum ad ea quæ ſunt ordinis, ſed prout quis eſt obligatus ad habendam curam de grege quantum ad ea quæ ſunt jurisdictionis. Dicemus ergo, quòd hæc objectio decima ſatis ſolvi poteſt per præambula antedicta in prima parte hujus cap. in qua oſtenſum eſt, quòd quæ ſunt ordinis ſemper manent, quæ autem ſunt jurisdictionis tolli poſſunt. Obligatio ergo quantum ad ea quæ ſunt jurisdictionis ſicut human o opere cœpit eſſe, ſic & humano opere tolli poteſt, cùm nõ ſit ſupra exigentiam rerum, nec ſupra naturam negotij, nec ſupra conditiones cauſarum, quòd homines hominibus præficiantur. Eſt enim Prælatus quædam lex, & quædam regula Subditorum: non eſt enim differentia inter Principem, & legem, niſi quòd lex eſt inanimatus Princeps, Princeps eſt animata lex. Sicut ergo quamdiu poſſumus facere lineam tortuoſam, tamdiu indigemus regula: ſic quamdiu poſſumus benè, & malè facere, tamdiu indigemus legibus, & Principibus. Et quia quamdiu durat mundus, poſſumus benè, & malè facere, ideò propter directionem, & exercitationem electorum, quámdiu durabit mundus, homines præerunt hominibus, Angeli Angelis, & dœmones dœmonibus. Sed Angeli Angelis, & homines præerunt

De translatione Epiſc. §. ſicut autẽ Epiſcopus.

†*Loquitur.*

Princeps. Lex.

ho-

hominibus ut electi dirigantur: dæmones verò præerunt dæmonibus ut electi exercitentur. Ordinant enim se dæmones ut inter se invicem magis valeant electos impugnare: per quam impugnationem electi non deprimuntur, sed exercitantur; & sic exercitati merentur. Itaque illuditur in hoc diabolus, quia quod procurat ad malum electorum, est ad bonum, & ad meritum eorum, juxta illud Psalmi, *Draco ille quem tu formasti ad illudendum ei.* Quòd Augustinus super Genes. ad litteram exponens, ait: *Illuditur diabolus, cùm de ipsius malitia Dei Ecclesiæ consulitur: provenit enim ad bonum electorum, quòd diabolus machinatur ad malum.* Prælatio itaque, quæ est in dæmonibus, est propter electorum exercitationem; sed Prælatio, quæ est in Angelis, & in hominibus, est propter electorum directionem: quamvis, quia aliquando homines prælati, & præcipientes sint mali, quod deberet esse ad bonorum directionem, est interdum ad eorum exercitationem. Sunt enim mali homines membra diaboli: & principatus malorum hominum est quasi principatus dæmonum: secundùm quem ad hanc partem sic illudantur mali homines, sicut illudũtur dæmones, quia quæ faciunt ad malum electorum, Deus convertit illa ad exercitationem, & ad meritum eorum. Non est ergo supra naturam negotij, & supra exigentiam rerum, quòd quamdiu durat mundus, præferantur, & principentur non solùm homines hominibus, sed & Angeli Angelis, & dæmones dæmonibus. Ideò Glos. super 1. ad Chorinth. cap. 11. ait: *Dum durat mundus, Angeli Angelis, dæmones dæmonibus, & homines hominibus præsunt.* Sufficienter ergo potest solvi hæc decima ratio per jam dicta: quia per præambula posita in prima parte hujus capit. & per ea quæ dicta sunt in hac secunda parte istius cap. patet, quòd quæ sunt jurisdictionis (quia non sunt supra exigentiam rerum, sed humano opere) secundùm exigentiam rerum, & secundùm naturam negotij fiunt, & conferuntur. Cũ ergo in talibus per eadem contrario modo facta res construatur, & destruatur, sicut per cõsensum eligentium, & assensum electi, quis præfectus est in Papam; sic per eadem contrario modo se habentia definet esse Papa.

Dæmonum rabies.

Psal. 103.

Mali homines.

In illud, & propter Angelos.

Verùmtamen, quia intellectus hominis non quiescit, sed semper vult scire Quare, & vult cognoscere causam negotij, volumus clariori modo dissolvere prætactam decimam rationem. Et quia præfata ratio se fundat super electione legitimè confirmata, ideò distinguemus duplicem confirmationem visibilem, & invisibilem: appellamus quidem confirmationem visibilem, quidquid sensibiliter cognosci potest: Invisibilem autem confirmationem vocamus, quæ sensibus comprehendi non valet. Erit ergo visibilis confirmatio, quæ fit opere humano: invisibilis verò, quæ fit Divino. Quãtum ergo ad confirmationem visibilem Papa confirmat se ipsum: nam suus assensus est sua confirmatio. In aliis ergo prælatis, quia etiam inter homines habent superiores se ipsis, eorũ confirmatio visibilis non est per se ipsos, sed per suos superiores. Sed Papa, quia nullum habet superiorem quantum ad confirmationem visibilem, quæ fit humano opere, confirmatur per se ipsum, ita quòd suus assensus est sua cõfirmatio; nam statim, cùm assentit suæ electioni de se factæ, habet omnem papalem jurisdictionem. Et quia jurisdictio confirmationi innititur, sicut Papa ex suo libero assensu consequitur plenam jurisdictionem, sic ex suo libero assensu consequitur confirmationem, ut ipse se ipsam confirmet, & suus assensus sit sua confirmatio. Vtraque ergo electio tam Papæ, quàm aliorum prælatorum inferiorum habet suam confirmationem visibilem; sed secũdùm hunc modum Prælati inferiores confirmãtur per superiores, Papa verò, quia superiorem non habet, confirmatur per se ipsum, & ipse se ipsum confirmat. Sed sicut tam electio Prælatorum inferiorũ, quàm etiam Papæ habet suã confirmationẽ visibilẽ, sic utraque electio habet suam confirmationẽ invisibilem. Nam quantũcumque Prælati inferiores confirmentur per superiorem, nisi Deus assentiret illi confirmationi, sic confirmatus non deberet dici esse Prælatus, nec habere auctoritatem, cùm non sit potestas nec auctoritas, nisi à Deo, ut innuit Apostolus ad Romanos. Sic etiam, nisi Deus assentiret electioni papali, non deberet Papa dici Papa, nec deberet dici, quòd haberet auctoritatem papalem. Supponere tamen debemus cum Augustino, quòd quæ hìc inferius fiunt, si fiant eo modo, quo fieri debent, à Deo fiant: & Deus illis assentit, vel agendo, vel permittendo. Nam tertio de Trinit. ait: *Nihil visibiliter, & sensibiliter hìc inferius agitur, quòd non de interiori, invisibili, atque intelligibili aula summi Imperatoris (Dei) aut jubeatur, aut permittatur secundùm ineffabilem justitiam præmiorum atque pœnarum.* Et quia, ut sæpiùs diximus, Deus sic administrat res, ut eas proprios cursus agere sinat, si inferiores Prælati ritè eligantur, & non per se ipsos, sed per eorum superiores ritè cõfirmentur, Deus assentit illi confirmationi: & si secundùm quod superiores ordinant, ritè cedant, Deus assentit eorum cessioni, utrumque enim in inferioribus Prælatis tam acceptio juris-

risdictionis (quòd fit per debitam confirmationem) quàm depositio jurisdictionis (quod fieri potest per ritam cessionem) fit assensu humano, idest assensu sensibili: & assensu Divino, idest assensu intelligibili, accipiendo assensum largè non solùm pro eo quod quis facit, sed etiam pro eo quòd quis non impedit quod impedire possit. Deus enim in omnibus talibus assentit, non quia fiunt Divino instinctu, & Divina operatione, sed quia fiunt Divina permissione, cùm ea non impediat, quæ impedire posset. Quod ergo dictum est de inferioribus Prelatis, ut clarè patere potest, veritatem habet in summo Pontifice. Si ergo summus Pontifex ritè eligatur, & ipse suæ electioni assentiat, cùm ipse superiorem non habeat quantum ad confirmationem visibilem, quæ fit opere humano, ipse proprio assensu,& proprio opere se confirmat: quia suus assensus est sua confirmatio: & quia hoc requirit cursus rerum, quòd Papa, qui inter homines non habet superiorem, proprio assensu, & proprio opere confirmetur. Deus, qui administrat res juxta earum cursum, tali negotio assentit: & sua operatione, vel sua permissione assentiendo ei quod factum est, dicitur confirmare illud. Sed si Papa se ipsum confirmat, nec habet aliquè superiorem quantum ad hæc visibilia, sicut suus assensus est sua confirmatio, sic suus dissensus est sua renunciatio: sicut ergo ritè, & debitè datur sibi jurisdictio, & confirmatur assentiendo, sic ritè, & debitè desinit in eo esse jurisdictio, & deponit se ipsum renunciando. Sicut enim cursus rerum exigit, quòd inferiores Prælati, qui habent superiores, confirmentur eo modo, secundùm quod superiores, & specialiter secundùm quod Rom. Pontifex ordinavit: & si cedunt eo modo, quo Rom. Pontifex ordinat, ritè cedunt, & desinit in eis esse jurisdictio. Sic cùm rerum cursus exigit, quòd Rom. Pontifex superiorem non habeat, sicut suo assensu se ipsum confirmat, & in eo incipit esse potestas papalis, sic sua renunciatione se ipsum deponit, & in eo desinit esse prefata potestas. Et quia, ut diximus, Deus administrat res secundùm quod exigit cursus rerum, Papa, qui inter homines nullum superiorem habet, sicut suo assensu se confirmat, sic sua renunciatione se deponit. Deus ergo, qui in sua generali administratione hunc cursum servat, utique dicendus est assentire, tam assumptioni oneris, quàm etiam depositioni: ita quòd ad inferiores Prelatos, & ad Papam quantum ad confirmationem, & quantum ad cessionem concurrit opus humanum & divinum, & assensus humanus & divinus, ut est per habita manifestum. Cùm ergo arguitur, quòd nulla dignitas Ecclesiastica post legitimam confirmationem tolli potest nisi per ejus superiorem, patet quòd dignitates Ecclesiasticæ, quæ inter homines habent superiorem, per superiorem confirmantur: & si eo modo fiat cessio in eis, secundùm quod superiores ordinant, & specialiter secundùm quod ordinat Rom. Pont. valet & tenet hujumodi cessio. Papa vero, quoniã superiorẽ non habet, sicut assentiendo potest seipsum confirmare, ita renunciando potest seipsum cedere. Si verò dicatur, quòd confirmatur à Deo, & requiritur ibi divinus assensus. Respondebimus, quòd & inferiores prælati confirmantur à Deo, & requiritur ibi divinus assensus, quia quantumcumque Prælati inferiores confirmantur per superiores, nisi Deus illi confirmationi assentiret effectivè, vel permisivè, non esset ille verè Prælatus, quia esset sua potestas, & sua auctoritas non à Deo: cùm tamen, secundùm Apostolum: *Non sit potestas nisi à Deo*: sed si Prælatus inferior assumatur, vel cedat secundùm quod requirit ordo, & cursus rerum, dicimus Deum assentire tam assumptioni quàm cessioni. Sic cùm ordo, & cursus rerum exigat, quòd Papa, qui non habet superiorem hominem, non alio opere humano, sed per suum assensum confirmetur, & per suam renunciationem cedat: Deus, qui secundùm cursus rerum res administrat acceptabit utrumque, vel assentiet utrique tam assumptioni oneris, quàm etiam cessioni. Rm. 13.

CAP. XVII.

Vbi declaratur, Quomodo Christi Sacerdotium non habuit initium neque finem, sed secundùm ordinem Melchisedec Christus fuit sacerdos in æternum.

Voniam duæ ultimæ adversariorum rationes, undecima videlicet & duodecima fundant se super æternitate sacerdotij Christi, arguentes, Quòd quia Christi sacerdotiũ est æternum, ideo Papa renunciare non potest. Cùm rationes præfatæ vadant extra mentem Apostoli, & cùm non concludant, nec arguant, ut in sequentibus capitulis apparebit, ideo nunc volumus declarare, Quomodo Christi sacerdotium, secundùm quod fuit figuratum in Melchisedec, dicitur esse æternum. Ad cujus evidentiam sciendum, quòd æternitatem, vel perpetuitatem sacerdotij Christi multis modis,

&

& multis viis declarare possumus, quæ omnia tangit Apostolus ad Hebræos scribens. In præsenti tamen cap. hoc volumus declarare, Quomodo Christus fuit sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedec. Proprer quod sciendum, quòd Apostolus in Epistola ad Heb. volens præferre sacerdotium Christi sacerdotio levitico, dicit Christi sacerdotium esse æternum: quod probat per id quod habetur in Psalmo, *Iuravit Dominus*, ideſt inconcussa veritate firmavit (*& non pœnitebit eum*) ideſt non immutabit quod juravit (*tu*) ideſt Christus (*es sacerdos in æternum secundùm ordinẽ Melchisedec*) Ipse enim Melchisedec, qui fuit sacerdos Dei altissimi ut dicitur in lib. Geneſis, secundùm quod ait Apostolus ad Hebræos, erat sine patre, sine matre, sine genealogia, neque initium dierum, neque finem vitæ habens. Ideo ut dicitur, assimilatus est filio Dei, qui manet sacerdos in æternum. Dicitur autem Melchisedec fuisse sine patre, & sine matre, non quòd non habuerit patrem, neque matrem, sed quia sacra Scriptura mentionem de hoc non facit. Hoc etiam modo non habuit initium dierum, neque finem, quia Scriptura sacra sic facit mẽtionem de Melchisedec, quòd nullam mentionẽ facit de patre ejus, nec de matre, nec de initio dierum ejus, nec de fine, ut per ipsum (qui erat sacerdos Dei altissimi, & non scribitur habuisse initium, neque finem) figuraretur sacerdotium Christi, quod est quid perpetuum. Hanc autem perpetuitatem sine initio, & sine fine possumus sibi attribuere sacerdotio Christi ex parte remedij, sive ex parte personarum, quibus fuit Christi sacerdotium in remedium. Nam nullus, nec ante adventum Christi, nec post ejus adventum potuit, nec poterit spiritualem Hierosolymam consequi sine fine Mediatoris. Vnde Augustinus 18. de Civit. Dei ait: *Nemini concessum est* (supple pertinere ad spiritualem Hierosolymam) *nisi cui divinitus revelatus est unus mediator Dei, & hominum homo Christus Jesus.* Et idem ibidem subdit, Vna eademque fides antiquorum & nostra. Quia sicut illi credebant Christum venturum, ita nos credimus ipsum venisse: sive enim in statu gentilitatis, sive in quocumque statu, semper fuit salus per fidem Mediatoris. Non habebant primò ipsi Gentiles, quibus revelatus est Mediator noster, nec habuerunt Judæi, quibus promissus est Messias, ita claram intelligentiam de nostro Mediatore, sicut nos habemus: cùm non sit aliud nomen sub cœlo, sub quo oporteat nos salvos fieri, nisi Christus, ut dixit Petrus in Actibus. Et quicumque salvati sunt à principio mundi usque nunc, & quicumque salvabuntur usque in finem, oportet quòd in fide Mediatoris salventur. Verè istud sacerdotium Christi ratione hujus remedij, videlicet, quia fides de hoc sacerdote, ideſt, de Christo Mediatore semper fuit in remedium, & semper erit, dicitur esse in æternum, & non habuisse initium, neque finem. Sed dices: ipse mundus habuit initium, & habebit finem, Quomodo ergo sacerdotium Christi ratione remedij dicitur non habere initium, neque finem? Dicemus ergo, quòd homines peccatores habuerũt initiũ, & habebunt finem, quia incepit mundus & finietur. Pro tanto tamẽ potest dici tale remedium non habuisse initium, neque finem, quia si ante fuissent homines peccatores, & ante incepisset mũdus quàm inceperit, ante fuisset hujusmodi remediũ: & si adhuc ante fuissent peccatores adhuc ante fuisset tale remediũ. Propter quod videtur tale remedium non habuisse initium formaliter, quia ab æterno fuit prædestinatum tale remedium: sed habuit initium materialiter, prout personæ illæ, quibus competit tale remedium, non fuerunt ab æterno, sed inceperunt esse in tempore. Et quod dictum est de initio, verum est & de fine. Nam si finietur tale remedium, hoc est, quia finietur mundus & finietur status vitæ præsentis: sed si semper duraret mundus, semper duraret tale remediũ, ut ex hoc dicatur esse sine initio & sine fine. Vel possumus dicere, quòd tale remedium est æternum, & quòd numquam habebit finem, quia personæ quę salvantur per tale remedium, habebunt vitam æternam, & numquam finietur eorum vita, juxta illud Psalm. *Beati, qui habitant in domo tua Domine in sæcula sæculorum laudabunt te.* Quia numquam finietur beatitudo illorum. Quantum ergo ad hoc remedium, Christi sacerdotium fuit sine initio, & est sine fine. Sine initio quidem, quia ex quo fuerunt homines peccatores, numquam fuit opus, quòd fides Mediatoris non esset in remedium: sine fine verò, quia quamdiu peccatores durabunt, numquam erit tempus, quòd sacerdotium Christi, & oblatio Christi non sit nobis remedium. Advertendum tamen, quòd omnia ista sunt secundùm ordinem Melchisedec propter quinque. Tangit enim glossa quinque in sacerdotio Melchisedec, quæ Christo conveniunt. Primum quidem est, quòd Melchisedec fuit Rex, & Sacerdos; Rex quidem Salem, & sacerdos Dei altissimi: sic & Christus Rex & sacerdos erat. Secundum verò, quia Melchisedec fuit functus sacerdotio ante circunci-sionem, ut ex hoc ostendatur (ut glossa ait) quòd Judæi à gentibus, non Gentes à Judæis sacerdotium acceperunt: in quo figuratur sacer-

Cap. 7. c. — *Psal. 109.* — *Cap. 14. c.* — *Cap. 7. a.* — *Melchisedec cur sine patre & matre dicitur.* — *Cap. 47.* — *Act. 4. b.* — *Psal. 83. d.*

cerdotium Christi, quia non est res propter figuram, nec à figura, sed magis figura propter rem, & à re originem sumit: & omnia in figura contingebant illis, sacerdotium, scilicet Leviticum fuit propter sacerdotium Christi non autem è converso: & sacerdotium Christi magis fuit causa sacerdotij levitici, quàm è converso. Tertium quidem, quia Melchisedec cùm fuerit functus sacerdotio ante circuncisionem, non fuit unctus oleo visibili secundùm quod mandaverit Moyses, quia tempore illo nondum natus erat Moyses, nec adhuc fuerat data lex: fuit ergo unctus oleo invisibili, & oleo lætitiæ sive exultationis, sicut legitur fuisse unctus Christus. Quartum, quia ipse Melchisedec non obtulit animalia, sed obtulit panem & vinum, ut habetur in lib. Gen. in qua oblatione, ut glossa tangit, Christi sacerdotium figuravit. Quintum, quia Melchisedec habuit patrem & matrem: & fuit sine patre & sine matre. Habuit quidem patrem & matrem secundùm rei veritatem, sed fuit sine patre & sine matre secundùm commemorationem sacræ Scripturæ, quia sacra Scriptura nec de genealogia ejus, nec de patre, nec de matre facit aliquam mentionem: ut quod diximus non carnaliter factum est, sed ut ex hoc Dei filius figuraretur, quia habet & patrem & matrem, & est sine patre, & sine matre. Habet patrem secundùm Deitatem, à qua per generationem æternam accepit naturam divinam: & habet matrem secundùm humanitatem, ex qua accepit naturam humanam; & est sine patre secundùm quod homo, quia nullus homo fuit pater suus: & est sine matre secundùm quod Deus. Propter quòd patet, qualiter Christus est sacerdos in æternum sine initio & fine, sive secundùm ordinem Melchisedec, ideſt, eo ordine & eo modo, quo fuit figuratus in Melchisedec, in quo fuerunt quinque, quæ, ut patuit, possunt Christi sacerdotio congruè adaptari.

1. Corinth. 10. c.

Gen. 14.

CAP. XVIII.

In quo assignantur tres alij modi, quomodo Christi sacerdotium dicitur esse perpetuum & æternum.

QVoniam Christi sacerdotiũ quãtũ ad præsẽs spectat, septẽ modis potest dici æternũ, ut ex verbis Apostoli colligere possumus, ideo declarare volumus, Vnde isti septem modi sumi possunt, quia, cùm de uno illorum modorum tractatum sit in capitulo præcedenti, de tribus alijs modis intendimus tractare in capitulo præsenti: & de reliquis tribus modis in capitulo sequenti. Advertendum ergo, quòd æternitas est quædam res extra terminos, hoc enim æternum est quod est quasi extra terminos: Ergo quia æternitas est res extra terminos, oportet quòd sit quid totale, & quid continens alia, & à nullo contineatur, quia si contineatur, ab aliquo non esset extra terminos, quia esset intra terminos continentis. Rursus, oportet, quòd æternitas sit res eadem & simplex, quia si esset composita, non esset extra terminos, quia esset intra terminos componentium. Intelligemus itaque, quòd æternitas sit quædam res totalis & simplex, sive totalis & eadem: propter quod si volumus probare sacerdotium Christi esse æternum, vel hoc esset ratione totalitatis, quæ competit huic sacerdotio, vel ratione rei, quæ considerandæ est in hoc sacerdotio, vel ratione identitatis, quę reperiri habet in dicto sacerdotio. Primo modo videlicet ratione totalitatis tractabatur de æternitate sacerdotij Christi in cap. præcedenti, ubi ostensum est, quòd quia sacerdotium Christi est remedium totale, ideo est æternum. Nam hujusmodi sacerdotium, remedium est sufficiens, & totale quantum ad omnia peccata, quantum ad omnes personas, & quantum ad omnia tempora tam præterita quàm futura. Quia ergo hujusmodi sacerdotium fuit sufficiens quantum ad omnia peccata quæ fuerunt, quantum ad omnes personas quæ præterierunt, & quantum ad omnia tempora quæ præcesserunt, ideo dicitur hoc sacerdotium fuisse sine initio, quia numquam fuerunt aliqua peccata, numquam fuerunt aliquæ personæ, nec aliqua tempora, quòd hoc sacerdotium non esset sufficiens remedium ex parte ante. Et si dicatur, quòd non omnes personæ sunt salvatæ per tale remedium. Dicemus, quòd hoc non fuit ex insufficientia istius sacerdotij, sed ex malarum personarum. Sic etiam tale sacerdotium est sine fine, quia numquam erunt aliqua peccata, nec aliquæ personæ, nec aliqua tempora, quòd non sit hoc sacerdotium in remedium ex parte post. Ergo ratione totalitatis probabatur æternitas hujus sacerdotij in cap. præcedenti, quod fiebat uno modo. Sed ratione rei, quæ considerandæ est in tali sacerdotio, probabitur ejus æternitas in cap. præsenti, quod fiet tribus modis. Ratione verò identitatis probabitur æternitas dicti sacerdotij in cap. sequenti, quod erit etiam tribus modis. Propter quod septem sunt modi, quibus probatur æternitas sacerdotij Christi. Vel

possumus aliter loqui de æternitate, & levius dicemus, quòd Dionysius decimo cap. de Divinis nominibus, assignat proprietates æternitatis esse antiquum, & invariabile: per esse antiquum intelligit non habere initium, & esse semper: per esse invariabile intelligit esse sine successione. Proprietas itaque æternitatis sunt sempiternitas, & insuccessibilitas: tempus enim quid successivum est, & una pars succedit alteri, sed in æternitate nulla est successio, sed est ibi insuccessibilitas, quia nihil est in ea, quod succedat alteri. Præcedens ergo capitulum arguebat æternitatem sacerdotij Christi ex parte sempiternitatis, quia fuit semper sine initio, & sine fine. Hoc autem capitulum arguit æternitatem illius sacerdotij ex parte rei, quæ consideranda est in hoc sacerdotio, quod, ut dicimus, fit tribus modis. Sequens autem capitulum probabit hujusmodi æternitatem ex parte insuccessibilitatis, quod etiam tripliciter fiet: probabitur enim tripliciter, quòd in sacerdotio Christi est insuccessibilitas, quia nec aliud sacerdotium succedit illi sacerdotio, nec alius sacerdos illi sacerdoti, nec alia oblatio succedit illi oblationi. Ideo, ut dicebatur, septem sunt modi, quibus probabitur æternitas sacerdotij Christi. Notandum ergo, quòd, quantum spectat ad hoc capitulum, in sacerdotio Christi, sive in oblatione ejus triplicem rem considerare possumus, videlicet, rem offerentem, rem oblatam, rem quæ erat oblationis effectus omnibus autem his modis probabimus Christi sacerdotium esse æternum.

Propter primum, sciendum, quòd Christi sacerdotium dicitur esse æternum, si consideramus sacerdotem qui obtulit. Nam in sacerdotio Levitico homines mortales accipiebãt Decimas, & homines mortales, & infimi fiebant sacerdotes, ideo ad Hebræos loquens Apo-
Hebr. 7. b. stolus de sacerdotio Levitico ait: *Homines morientes decimas accipiunt*: & post multa in eodem capitulo, ait: *Lex enim homines constituit sacerdotes infirmitatem habentes.* Arguatur ergo sic. In sacerdotio Levitico homines mortales, & infirmitatem habentes accipiebant Decimas, & erant sacerdotes, & offerebant oblationes: ergo ex parte offerentium illud sacerdotium non erat perpetuum, nec æternum: sed in sacerdotio Christi, ipse Christus, qui est immortalis, qui est æternus, qui est verus Dei filius, obtulit oblationem Deo patri, ergo ex parte offerentis, Christi sacerdotium est æternum, quia persona illa erat æterna, quæ offerebat. Sed dices nonne Christus fuit homo mortalis, & pro nobis passus, mortuus, & sepultus? Respondebimus, quòd sacerdotes Levitici erant simpliciter mortales, sed Christus erat mortalis, & immortalis: erat enim suppositum, & una persona, quæ erat homo & Deus; ergo propter unitatem suppositi, & personæ, erat in Christo, secundùm Damascenum, & secundùm sanctos, communicatio idiomatum, idest communicatio nominum, vel denominationum, quia nomina seu denominationes, quæ illi homini inerant, poterant verè dici de Deo, & èconverso: ut, quia homo ille patiebatur, & fuit mortuus, cùm homo ille esset Deus, & Dei filius, verè dici poterat, quòd Dei filius, patiebatur, & Dei filius fuit mortuus; sic, quia Dei filius erat immortalis, & Dei filius causavit stellas, verè dici poterat, quòd homo ille erat immortalis, & quòd causavit stellas, sed non in eo quòd homo, sed in eo quòd Deus, quia ille homo Deus erat: fuit enim simul in unum dives & pauper, homo & Deus, mortalis & immortalis. Sacerdotium itaque Christi ex parte sacerdotis offerentis poterat dici æternum esse, quia persona illa, quæ offerebat, erat persona Christi, quæ erat persona æterna, & homo ille erat Deus, & poterat dici æternus: sed sacerdotes levitici simpliciter erant mortales, & non poterant dici æterni, cùm essent homines puri. Secundo ad præfatam objectionem possumus respondere, quòd secundùm sententiam Sapientium, Quando modicum deest, intellectus accipit nihil deesse. Propter quod, quando modico tempore est quid tale, ut si modico tempore sit quid mortuum, quasi semper dicitur esse vivum. Dicunt enim plures Sancti de Petro negante, quòd charitas in eo non fuit extincta, sed sopita: certum est tamen, quòd negando peccavit mortaliter, & extincta fuit in eo charitas: sed dicitur charitas non fuisse extincta, sed sopita, quia ita citò fletu culpam delevit, & flens amarè ita citò recuperavit charitatem, ut ex hoc posset dici sua charitas non extincta. Sic etiam dicitur, Christus venturus judicaturus vivos, & mortuos, quòd scilicet illi, qui tunc erunt vivi, ita citò morientur, & resurgent, ut quasi dicatur semper vivi. Sic & in proposito, ita modico tempore Christus jacuit mortuus, ut quasi dicatur semper vivus. Possumus & tertio respondere, quòd Christus ut sacerdos, etiam cùm erat mortuus, dicebatur vivus: nam illud dicitur mortuum quod est inefficax ad agendum: & illud dicitur vivum, quod est efficax ad operandum: cùm ergo Christus tamquam sacerdos obtulit seipsum in cruce, ut nos redimeret, & nobis aperiret cœlestem januam, ut possimus clarè videre

In Petro cur dicitur, fuit sopita charitas nõ extincta, cũ Christum negavit.

Divi-

Divinam eſſentiam, quæ erat nobis occulta, & velata ante paſsionem ejus, numquid eo mortuo erat hæc oblatio inefficax ad hoc agendum? immo dum erat mortuus, & illo die quo fuit mortuus, Latro fuit in Paradiſo, ideſt vidit Divinam eſſentiam: ibi enim poteſt Paradiſus accipi pro aperta viſione Dei. Ergo quantũ ad ſacerdotiũ, & quantum ad oblationem, quam fecit etiam mortuus, poterat dici quòd eſſet vivus, quia erat efficax ad agẽdum id quod tale ſacerdotium requirebat. Sacerdotium ergo ſuum, & oblatio ſua non fuit ſine efficatia; nam efficatiã habuit antequã fieret homo, & antequã moreretur, & efficatiam habuit dum erat mortuus, & efficatiam habet, & habuit poſtquam reſurrexit à mortuis. Ante enim Chriſti adventum hoc ſacerdotium, & hæc oblatio efficatiam habuit in quantum quicumque ſalvati ſunt ante Chriſti adventum, ſalvi facti ſunt in fide Mediatoris, & morientes viderunt Divinam eſſentiam non in re, ſed in firma ſpe. Quicumque enim habentes fidem Mediatoris, & operantes ſecundùm illam fidem, mortui ſunt, firmi erãt, & nullo modo dubitabant, quòd poſt paſsionem Chriſti viſuri eſſent Divinam eſſentiam. Mortuo tamen Chriſto, & eo reſurgente, habet hæc oblatio majorem efficatiam, quia quicumque habent fidem Chriſti, benè moriuntur, & ſi non habent impedimentum particulare, ſtatim vident Divinam eſſentiam. Iſtud ergo ſacerdotium ſemper fuit, & erit efficax, ut ex hoc dicatur eſſe æternum, vel perpetuum. Advertendum tamen, quòd, quantum ad conditionem prædictam ut ratione perſonę offerentis quæ erat æterna, dubitare non poſſumus ſacerdotem illum eſſe æternum, & hoc modo ſacerdotium dici æternum ex parte rei offerentis.

Secundo, Chriſti ſacerdotium poteſt dici æternum ratione rei oblatæ, quia eadem res erat offerens, & oblata, idem erat ſacerdos, & hoſtia, Chriſtus enim ſeipſum obtulit. Igitur ſi ſacerdotium Chriſti ratione rei offerentis poteſt dici eſſe æternum, quia perſona offerens, vel res offerens erat æterna, cùm eadem res eſſet offerens & oblata, conſequens eſt, quòd ratione rei oblatæ, Chriſti ſacerdotium dicatur æternum. Hoc eſt ergo quod ait Apoſtolus ad Hebræos, *Accedens* (vel ut habet alia littera) *Accedentes per ſemetipſum ad Deum ſemper vivens ad interpellandum pro nobis.* Ipſe ergo Chriſtus, ſeipſum offerens Deo patri, per ſeipſum erat accedens ad Deum patrem, & nos ipſi per ipſum Chriſtum ſumus accedentes ad Deum patrem: & ex hoc eſt ſemper vivens ad interpellandum. Quod verum eſt tam ratione offerentis quæ eſt perſona æterna, quàm ratione rei oblatæ, quæ eſt eadem res cum perſona offerente: quia ipſe ſeipſum obtulit, & ipſe per ſeipſum acceſsit. Eſt tamen diligenter notandum, quòd cùm Chriſtus fuit mortuus ſecundùm carnem, non dicebatur mortuus quantum ad ſacerdotium, nec dicebatur mortuus quantum ad ſalutem: quia per mortem illam non erat Chriſtus inefficax ad ſalvandum nos: immo moriendo, nos ſalvavit. Ideo quantũ ad efficatiã ſalvandi, & quantũ ad efficatiã redimendi, & pacificandi Deum patrem, ſemper dicitur vivens: quia moriens non reddebatur inefficax ad hoc agendum, cùm moriendo, nos ſalvaverit, & nobis Deũ patrem reconciliaverit

Tertia via ad hoc idem ſumitur ex parte rei, quę erat effectus oblationis; & hoc Apoſtolus appellat ad Hebræos, virtute inſolubilis, dicens: *Qui non ſecundùm legem mandati carnalis factus eſt, ſed ſecundùm virtutem vitæ inſolubilis.* Conſuetudo enim eſt loquendi, quòd cùm quis loquitur de aliqua re, quæ virtutem habet, intelligit quem effectum efficiat. Et quia ſacerdotium Chriſti habet efficere effectũ ſpiritualem, quia facit in nobis gratiam, & virtutes & alia ſpiritualia bona, quæ non pereunt poſt hanc vitam, ſed perficiuntur in æterna vita, ideo dicitur Chriſti ſacerdotium, quantum ad hanc rem, & quantum ad hunc effectum, habere virtutem vitę inſolubilis: quia, ut diximus, gratia, & virtutes, & hujuſmodi effectus ſpirituales, quos facit in nobis Chriſti ſacerdotium, & ejus oblatio non ſolvuntur cum hac ſolubili vita, ſed perficiuntur in æterna vita: ipſa enim gratia perficietur in patria, ita quòd ipſę virtutes remanent in anima ſeparata non ad hunc uſum, quem habent in hac vita, ſed ad alium uſum. Hoc eſt ergo quod Apoſtolus ait: Manifeſtum eſt, ſi ſecundùm ſimilitudinem Melchiſedec exurgat alius ſacerdos (ideſt Chriſtus) qui factus eſt ſacerdos nõ ſecundùm legem mandati carnalis, ſed ſecundùm virtutem vitæ inſolubilis. In ſacerdotio itaque levitico, nec ſacerdos offerens erat perſona Divina, nec res oblata erat res æterna, nec effectus illius oblationis erat quid ſpirituale, vel quid æternum, ſed erat quid carnale, & quid temporale. Ideo gloſſa exponens illud verbum: *Chriſtus factus eſt ſacerdos ſecundùm virtutem vitæ inſolubilis*, ait: diſtare inter hoc, & illud ſacerdotium, quia illud ſacerdotium, ſcilicet Leviticum, erat carnale, hoc, videlicet ſacerdotium Chriſti, ſpirituale, illud temporale, hoc æternum. Oblationes enim veteris legis non erant ad ſanctificationem ſpiritus, quantum eſt ex opere operato, ſed erant ad emundationem

Luc. 23.

Heb. 7. d.

Heb. 7. c.

Eſt controverſia inter Theol. an fides & ſpes remaneant in patria: quas Ægid. ad ornatum manere purata ſicut de charactere ſentit in animas ſeparatas ut dicebat ſuperiùs: nisi hìc loquatur de virtutibus quæ non repugnant ſtatui patriæ.

carnis, ut dicitur ad Hebræos 9. & non ad emundationem animæ, ut exponit gloſſa: mundabant enim à contactu hominis mortui, ut gloſſa ibidem ait: nam tangens mortuum immundus erat ſeptem diebus, & per oblationes illas mundabatur, ut non reputaretur immundus. Erat ergo illa mundatio quantum ad cœremonias carnales.

CAP. XIX.

Vbi aſsignantur rationes tres reliqui modi, quomodo Chriſti ſacerdotium eſt perpetuum, vel æternum.

DIcebatur in præcedenti capitulo, quòd ſeptem modis declarare poterit, Chriſti ſacerdotium eſſe æternum ſive perpetuum, de quibus ſunt modi quatuor enarrati. Dicebatur enim, quòd æternitas erat quædam res, quæ erat quid totale, & quid ſimplex & idem: ratione ergo totalitatis accipiebatur una probatio, quòd Chriſti ſacerdotium erat æternum, de qua agebatur in 17. capitulo: ratione autem realitatis ſumebantur tres probationes ſive tres modi ad oſtendendum Chriſti ſacerdotium eſſe æternum, de quibus agebatur in præcedenti capitulo: ratione autem identitatis ſumentur tres aliæ probationes ſive tres alij modi, de quibus agetur in hoc capitulo: ita quòd in univerſo, quantum ad præſens ſpectat, ſunt ſeptem probationes, & ſeptem modi ad oſtendendum Chriſti ſacerdotium æternum eſſe: vel poſſumus ſi volumus iſtos ſeptem modos probandi æternitatẽ ſacerdotij Chriſti adaptare ad ea, quæ diximus de Dionyſio. Dicebamus quidem, quòd Dionyſius decimo capitulo de Divinis nominibus aſsignat proprietates æternitatis, ſempiternitatem ſcilicet, & inſucceſsibilitatem. Ergo probationes de æternitate, vel accipiebantur ex ipſa re, cui competit æternitas: vel accipiebantur ex ſempiternitate, quæ eſt proprietas æternitatis, vel ex inſucceſsibilitate, quæ eſt etiam æternitatis proprietas. Ex ſempiternitate quidem ſumebatur una probatio videlicet quòd ſacerdotium Chriſti probabatur æternum, quia erat ſemper ſine initio, & ſine fine: ex parte autẽ rei, quæ conſideranda eſt in ſacerdotio Chriſti, ſumebantur tres rationes, una ex parte rei offerentis, alia ex parte rei oblatæ, & tertia, quæ erat ex parte oblationis effectus. Sed in hoc capitulo ſumentur tres ex parte inſucceſsibilitatis, videlicet, quòd, quia in hoc ſacerdotio non eſt ſucceſsio, ſed eſt ibi inſucceſsibilitas, ideo dicitur eſſe æternum. Dicemus quòd ſicut ſumebantur tres rationes ex parte rei, quæ conſideranda eſt in ſacerdotio Chriſti, ad probandum illud ſacerdotium eſſe æternum, quæ omnia oſtendebantur procedere ſecundùm mentem, & intentionem Apoſtoli. Nam primò ſacerdotium Chriſti dicetur æternum, quia ſacerdotio ejus nullũ aliud ſuccedit ſacerdotium. Secundò, quia ipſi ſacerdoti nullus alius ſuccedit ſacerdos. Tertiò, quia oblationi ejus nulla alia ſuccedit oblatio. In ſacerdotio enim Chriſti eſt unum, & idem ſacerdotium, unus & idem ſacerdos, una & eadem oblatio. Eſt enim diligenter animadvertendum, quòd hæc eſt potiſsima differentia inter temporale, & æternum, ſive inter tempus, & æternitatem, videlicet ſucceſsibilitatem quæ eſt in tempore, & inſucceſsibilitatem quæ eſt in æternitate: nam tempus eſt menſura ſucceſsiva, & æternitas eſt menſura ſine ſucceſsione. Quando ergo in menſura pars una ſuccedit alteri, illa mẽſura eſt temporalis; quando verò nulla eſt ibi ſucceſsio, illa menſura eſt æterna vel ſempiterna. Propter quòd Boetius in ſuo libro de Trinitate, volens aſsignare differentiam inter tempus, & æternitatem, ait: *Nunc currens facit tempus, nunc permanens facit æternitatem.* Tempus ergo eſt menſura currens, & eſt menſura, quę eſt in fluxu, & in motu. Propter quòd ſicut in motu una pars motus ſuccedit alteri, ſic & in tempore una pars temporis ſuccedit alteri: ideo nox & dies, quę ſunt partes temporis, ſuccedunt adinvicem, nam nox ſuccedit diei, & nocti dies: & in ipſa die una pars diei ſuccedit alteri, & in ipſa nocte una pars noctis alteri. In tempore ergo nulla eſt permanentia, ſicut contrario in æternitate nulla eſt ſucceſsio. Sacerdotium itaque Leviticum erat temporale, quia ibi erat omnimoda ſucceſsio: ſed ſacerdotium Chriſti eſt æternum, quia huic nulla eſt ſucceſsio. Nam ſacerdotio Levitico ſucceſsit aliud ſacerdotium, quia ſucceſsit ei ſacerdotiũ Chriſti. Rurſus, ſacerdoti Levitico ſuccedebat alius ſacerdos, & oblationi alia oblatio: ſed in ſacerdotio Chriſti non eſt ſucceſsio, nec ex parte ſacerdotij, nec ex parte ſacerdotis, nec ex parte oblationis. His ergo tribus modis, ex parte ſacerdotij, & ex parte ſacerdotis, & ex parte oblationis probabimus ſecundùm intentionem Apoſtoli, Chriſti ſacerdotium æternum eſſe.

Propter primum, ſciendum, quòd Chriſti ſacerdotium non debet dici temporale, cùm tem-

tempus non sit sine successione : sed debet dici æternum,& hoc ex parte ipsius sacerdotij, quia sicut in æternitate nulla potest esse successio, sic sacerdotio Christi nullum aliud sacerdotium potest succedere. Hoc est ergo, quod ait Apostolus ad Hebræos 7. volens, quòd, quia non erat consummatio, idest non erat perfectio sacerdotium Leviticum, quod fuit acceptum sub lege, ideo necessarium erat, quòd post sacerdotium Leviticum exurgeret aliud sacerdotium, videlicet sacerdotium Christi, quod sacerdotium non fuit secundùm ordinem Aaron, sed secundùm ordinem Melchisedec. Vnde sacerdotium Leviticum appellat sacerdotium translatum : & legem Mosaycam, sub qua fuit datum tale sacerdotium,appellat legem translatam, juxta illud ab Heb. 7. *Translato enim sacerdotio, necesse est, ut & legis translatio fiat.* Dicamus ergo, quòd sacerdotes Levitici facti sunt sacerdotes sine jurejurando, quia sacerdotio Levitico debebat succedere aliud sacerdotium : sed Christus factus fuit sacerdos cum jurejurando,quia sacerdotio Christi nullum aliud debet succedere.Hoc est ergo quod ait Apostolus ad Hebr. 7. *Alij quidem* (idest sacerdotes Levitici) *sine jurejurando sacerdotes facti sunt: hic autem* (idest Christus) *cum jurejurando* (supple factus est sacerdos) *& hoc per eum, qui dixit ad illum, juravit Dominus, & non pœnitebit eum : tu es sacerdos in æternum.* Secundò probare possumus, Christi sacerdotium esse æternum, non solùm ex parte sacerdotij, cui non potest succedere aliud sacerdotium, sed etiam ex parte sacerdotis, cui non potest succedere alius sacerdos. Est enim diligenter notandum, quòd aliud est sacerdotium succedere sacerdotio, & aliud sacerdotem sacerdoti, & aliud oblationem succedere oblationi. Nam sub eodem sacerdotio Levitico fuerunt successivè plures sacerdotes, & sub eodem sacerdote Levitico successivè factæ fuerunt plures oblationes : nam tamdiu dicitur esse idem sacerdotium quamdiu durat idem ritus, idem ordo, & idem offerendi modus.Quamdiu ergo secundùm legem Moysi offerebantur animalia, & durabat ille ritus, & ille ordo, & ille modus offerendi secundùm quod lex præcipiebat, dicebatur esse idem sacerdotium : sed mutato illo ritu, & illo modo, quia modo non offeruntur animalia, sed offertur panis & vinum, idest offertur corpus Christi sub specie panis,& sanguis ejus sub specie vini, prout figuratum fuit in Melchisedec, qui panem & vinum obtulit, dicitur vetus sacerdotium esse translatum, & lex vetus esse translata, & dicitur, quòd illi sacerdotio Levitico successit sacerdotium Christi. Duravit itaque sacerdotium Leviticum usque ad Christum. Sub eodem sacerdotio levitico fuerunt multi sacerdotes, quia nullus sacerdos potuit tantum vivere, vel tantum durare,quantum duravit sacerdotium Leviticum : & sub eodem sacerdotio Levitico fuerunt successivè multæ oblationes, quia idem sacerdos Leviticus quotidie offerebat, & faciebat aliam & aliam oblationem. Probavimus ergo suprà sacerdotium Christi esse æternum ex parte ipsius sacerdotis, quia sacerdoti Christo non potest succedere sacerdos alius. Ideo dicit Apostolus ad Hebræos : *Alij quidem plures facti sunt sacerdotes, idcirco quòd morte prohiberentur permanere.* Alij sacerdotes Levitici erat sacerdotes plures, quia per mortem unus succedebat alij. Mors ergo cogebat,quòd non posset semper permanere idem sacerdos, sed fierent plures sacerdotes saltem successivè. Vult ergo Apostolus, quòd in lege veteri erant plures sacerdotes, sed in lege nova non est nisi unus, & idem sacerdos scilicet Christus. Arguatur ergo sic, Quandocumque semper manet unus, & idem sacerdos (quia sacerdos ibi non succedit sacerdoti) illud sacerdotium est æternum : sed in sacerdotio Christi semper est unus & idem sacerdos, ergo ejus sacerdotium est æternum. Sed dices : Nonne in lege nova sunt multi sacerdotes, & quotidie moriuntur sacerdotes, & alij eis succedunt in sacerdotium, & fiunt quotidie novi sacerdotes? Dici potest, quòd de hoc in sequentibus capitulis diffusiùs pertractabitur. Nunc autem scire sufficiat, quòd sicut probamus æternitatem sacerdotij Christi ex identitate sacerdotij, numquam in posterum exurget aliud sacerdotium: sic etiam probavimus æternitatē dicti sacerdotij ex identitate, & unitate sacerdotis : nam sicut sacerdotio Christi non succedit aliud sacerdotium, ita nec sacerdoti Christo succedit alius sacerdos. Et quia mensura successiva est tempus, consequens est, quòd Christi sacerdotium, quia in eo non cadit successio, per se, & directè non mensuretur tempore. Tertio, possumus hoc idem probare ex identitate, & unitate, sive ex in successibilitate ipsius oblationis. Nam sicut sacerdotio Christi sacerdotium aliud non successit, nec sacerdos alius huic sacerdoti : sic nec oblatio alia succedet huic oblationi. Hoc est ergo, quod Apostolus ait ad Hebr. *Sacerdotes* (Levitici quotidie, idest sæpe sæpius) *prius pro suis delictis, deinde pro populo hostias offerre. Hoc enim fecit* (Christus) *semel, se offerendo.* In sacerdotio ergo Levitico, ubi quotidie fiebant oblationes, oblatio succedit oblationi : sed in sacerdotio

Heb.7.c.

Psalm.109. c.

Heb.7.d.

Heb.7.d.

dotio Christi ; qui non nisi semel seipsum obtulit , oblatio non successit oblationi. Arguatur ergo sic , Vbicumque non est successio, illud non mensuratur mensura successiva, & per consequens non mensuratur tempore,nec est tẽporale : sed in sacerdotio Christi non est successio , quia ejus sacerdotio non potest succedere aliud sacerdotium , nec sacerdoti alius sacerdos , nec ejus oblationi alia oblatio : ergo ipsius sacerdotium non est quid temporale , est ergo perpetuum, vel æternum.

CAP. XX.

Vbi declaratur , quòd duæ ultimæ rationes adversariorum non vadunt secundùm mentem Apostoli & conclusiones nihil arguunt, nec concludunt.



Olumus autem in hoc capitulo declarare , quo modo ultimę duę rationes adversariorum fundantes se super æternitate sacerdotij Christi, de qua loquitur Apostolus ad Hebræos , non vadunt secundùm mentem , & intentionem Apostoli ; & contra nos nihil arguunt , nec concludunt. Verùm quia ad hoc ostendendum sunt quædam alia declaranda,ideo in capitulo quatuor faciemus. Nam primò ostendemus , quòd secundùm intentionem Apostoli , æternitas sacerdotij Christi directè respicit personam Christi. Secundò debemus declarare,quòd si illa quæ dicũtur de æternitate sacerdotij Christi volumus adaptare ad homines mortales , dicemus , quòd per se loquendo non differt in hoc Papa à quocumque Episcopo , nec differt quicumque Episcopus à quolibet simplici sacerdote. Tertiò ostendemus quòd si verba Apostoli de æternitate sacerdotij Christi adaptamus ad alios sacerdotes, non erit ibi cessio nec accessio , nec successio , nec renunciatio , nec per mortem , nec quocumque alio modo. Quartò & ultimò declarabimus quòd adversarij nostri in præfatis rationibus nõ vadunt juxta mentem Apostoli , & contra nos nihil arguunt , nec concludunt.

Heb.7.

Sciendum ergo , quòd probabatur quidem suprà , sacerdotium Christi esse æternum, uno modo ex sua sempiternitate , quæ fuit sine initio , & sine fine : vel ex sua totalitate, quia fuit remedium omnibus personis , & contra omnia peccata. Posteà probabatur hoc idem ex ipsa re , quę consideranda erat in tali sacerdotio ; & hoc tripliciter , videlicet , ex re offerente , & ex re oblata , & ex re , quæ erat oblationis effectus. Posteà probabatur hoc idem ex insuccessibilitate , sive ex identitate ipsius sacerdotij ; & hoc tripliciter. Primò ex parte ipsius sacerdotij , quia nullum sacerdotium successit , nec succedere potest Christi sacerdotio. Secundò ex parte ipsius sacerdotis , quia nullus successit sacerdos , nec succedere potest Christi sacerdotio, qui sit Deus & homo, sicut est Christus. Tertiò ex parte oblationis , quia nulla oblatio successit , nec succedere potest oblationi Christi : ita quòd in sacerdotio Christi semper est idem sacerdotium , idem sacerdos , & eadem oblatio. Si ergo æternitatem sacerdotij Christi volumus referre ad ejus sempiternitatem , quia fuit sine initio, & sine fine, vel ad ejus totalitatem, quia fuit remediũ omnibus personis , & contra omnia peccata , de qua æternitate agebatur in decimoseptimo capitulo , dicendum , quòd per hoc declarabitur primum , quod diximus declarandum in hoc capitulo , videlicet , quòd hoc directè non respicit nisi personam Christi. Sed si æternitatem hujus sacerdotij volumus referre ad multiplicem rem , quæ considerari potest in sacerdotio Christi ; & si talia volumus adaptare ad sacerdotes,qui sunt puri homines , declarabitur secundum , quod dicebatur declarandum in hoc capitulo , videlicet , quòd per se loquendo non differt in hoc Papa à quocumque Episcopo , nec quicumque Episcopus à simplici sacerdote. Sed tertiò , si æternitatem sacerdotij Christi volumus referre ad ejus identitatem, vel ad ejus insuccessibilitatem , quia semper fuit,& est in sacerdotio Christi identitas , quia semper fuit , & est idem sacerdotium , idem sacerdos , & eadem oblatio ; & semper fuit, & est ibi insuccessibilitas , qui numquam sacerdotio Christi succedit , nec succedere potest aliud sacerdotium,nec sacerdoti alius sacerdos, nec oblationi alia oblatio. Ideo si hoc volumus adaptare ad homines puros , & ad mortales sacerdotes , declarabitur tertium quod dicebatur declarandum in hoc capitulo , videlicet quòd in tali sacerdotio non est propriè cessio, nec accessio , nec renunciatio , nec successio, nec per mortem , nec quocumque alio modo. Ex quibus omnibus declarabitur quartum,quod dicebatur declarandum , videlicet quòd adversarij nostri in duabus rationibus suis ultimis, quæ solvendæ restabant , non vadunt secundùm mentem Apostoli, nec contra nos arguunt, nec concludunt.

Propter primum , sciendum quòd , ut

sæpe

ſæpe ſæpius tractatum eſt, ſacerdotium Chriſti probatur eſſe æternum primò ex ſempiternitate ejus, quia eſt ſine initio, & ſine fine, vel probatur hoc ex totalitate, quę fuit in ſacerdotio, quia fuit totale remedium omnibus perſonis, & contra omnia vitia. Ex hoc autem declaratur primum, videlicet, quòd verba Apoſtoli de æternitate ſacerdotij Chriſti, directè reſpiciunt perſonam Chriſti. Nam ſi æternitas hujus ſacerdotij ſumatur, vel ex ſempiternitate, quia reſpicit omnia tempora, & eſt ſine initio, & ſine fine: vel ſumatur ejus æternitas ex quadam totalitate, quia fuit, & eſt ſufficiens remedium omnibus perſonis, & contra omnia vitia, conſtat quòd hæc puro homini competere non poſſunt. Nam nullus purus homo poteſt ſufficienter ſatisfacere pro ſeipſo, quia ſecundùm ſententiam Evangelij: *Cùm omnia benefecerimus debemus dicere: Servi inutiles ſumus, quod debuimus facere, fecimus.* Si ergo nullus purus homo poteſt ſufficienter ſatisfacere pro ſeipſo, quomodo poteſt tantum ſupererogare quòd ſatisfaciat pro omni tempore, pro omnibus perſonis, & pro omnibus peccatis? Ideo ſic accepta æternitas ſacerdotij directè reſpicit ſolam perſonam Chriſti.

Luca 17.

Propter ſecundum, ſciendum quòd ſi æternitatem ſacerdotij Chriſti volumus accipere alio modo, videlicet reſpectu rei quæ conſideranda eſt in tali ſacerdotio, & hoc tripliciter, videlicet reſpectu rei offerentis, rei oblatæ, & rei quæ erat oblationis effectus, & volumus illa adaptare ad homines puros, vel ad ſacerdotes mortales, ex hoc (ut dicebatur) declaratur ſecundum, videlicet quòd Apoſtoli verba non magis verificantur de Papa quàm de quocumque ſimplici Pontifice, nec de ſimplici Pontifice magis quàm de ſimplici ſacerdote. Nam ſi conſiderantur verba Apoſtoli, non loquitur ibi de jurisdictione, ſed de oblatione; loquitur enim ibi de corpore Chriſti vero, quod Chriſtus in cruce obtulit Deo patri. Si autem loquitur ibi de corpore Chriſti myſtico, ſive de ipſis fidelibus, hoc non eſt ratione jurisdictionis, ſed ratione oblationis, inquantum illa oblatio habet ſpiritualem effectum in omnes fideles, ſi volunt ad hunc effectum debitè ſe habere. Vnde & Apoſtolus ſolùm de oblatione loquitur, dicens ad Hebræos 7. *Alij ſacerdotes pro ſe, & pro populo offerebant hoſtias, ſed Chriſtus hoc fecit ſemel ſe offerendo.* Et ad Hebr. 8. dicitur: *Omnis enim Pontifex ad offerendum munera, & hoſtias conſtituitur.* Ergo ſolùm de oblatione, & de corpore Chriſti vero, quod fuit oblatum Deo patri, & quotidie offertur in altari loquitur Apoſtolus. Si autem loquitur de corpore Chriſti myſtico, hoc eſt ratione iſtius oblationis: nam & idem Apoſtolus ad Hebr. 8. vult quòd neceſſe eſt hunc, ideſt ſacerdotem, vel Pontificem habere aliquid quod offerat: ubi vult quòd Chriſtus oblationem habuit, quia obtulit ſemetipſum. Arguatur ergo ſic, Quantum eſt ad conficiendum corpus chriſti verum, & ad offerendum corpus Chriſti verum, quod facit quotidie ſacerdos ſuper altare, non eſt plus Pontifex quàm ſimplex ſacerdos, nec eſt plus Papa per ſe loquendo, quàm quicumque Pontifex, vel quicumque ſacerdos, quia poſt confectum corpus Chriſti verum, quod facit quilibet ſacerdos, nulla eſt alia potentia reſpectu ejusdem corporis Chriſti veri: ergo ſimplices ſacerdotes in hoc ſunt æquales Pontificibus, & quicumque Pontifices in hoc ſunt æquales Papæ: & hoc eſt ſecundum, quod dicebatur declarandum. Advertendum tamè quòd poteſt eſſe major ſolemnitas in miſſa unius ſacerdotis, quàm in miſſa alterius: ſed quantum ad confectionem corporis Chriſti veri, quod offertur in altari, & fuit oblatum in cruce, æqua eſt potentia per ſe loquendo omnium ſacerdotum.

Propter tertium autem, ſciendum, quòd ſi æternitatem ſacerdotij Chriſti volumus referre ad identitatem, quia ibi eſt idem ſacerdos, idem ſacerdotium, & eadem oblatio: vel quòd idem eſt, ſi volumus referre hoc ad inſucceſſibilitatem, quia ut diximus, nec ſacerdotium poteſt ibi ſuccedere ſacerdotio, nec ſacerdos ſacerdoti, nec oblatio oblationi: &, ut dicebatur, ſi volumus hoc adaptare ad homines puros, & ad ſacerdotes mortales, declarabitur tertium, videlicet quòd in talibus nec cedimus, nec accedimus, nec renunciamus, nec alij ſuccedunt nobis. Sed dices, Quid ergo facimus, & quid alij faciunt? Reſpondebimus, quòd Chriſtum induimus, & alij Chriſtum induunt, nam in omni hoc ſacerdotio, ſacerdos non ſuccedit ſacerdoti, & oblatio non ſuccedit oblationi, nec ſacerdotium ſuccedit ſacerdotio. Sacerdos enim in conſecratione corporis Chriſti dicitur non ſuccedere ſacerdoti, quia nullus ſacerdos loquitur in propria perſona, cùm conficit corpus Chriſti: dicit enim ſacerdos cùm hoc facit: *Hoc eſt enim corpus meum.* Conſtat autem quòd illud non eſt corpus ſacerdotis, ſed eſt corpus Chriſti: ergo non loquitur ſacerdos in propria perſona, ſed loquitur in perſona Chriſti. Ergo ſacerdos conficiendo non dicitur cedere Chriſto, nec accedere, ut ipſi de acceſſu loquuntur, ſicut dicitur unus Epiſcopus accedere alij Epiſcopo, quia, alio Epiſcopo vivente, aſſumitur ad curam

Dub. *Reſp.*

ram Ecclesiæ ejus: nec dicitur hìc sacerdos renunciare, vel succedere Christo, sed magis dicitur induere Christum inquantum, loquens in persona Christi, conficit corpus Christi. Non hìc ergo de successione loquimur, prout unus Papa succedit alij: nihil enim tale hìc conspicimus.

Ex his autem omnibus potest declarari quartum, videlicet quòd adversari nostri in suis ultimis rationibus non vadunt secundùm mentem Apostoli, & contra nos nihil arguunt, nec concludunt. Non enim vadunt, ut patuit, secundùm mentem Apostoli, quia omnia præfata de æternitate sacerdotij Christi referenda sunt ad oblationem ipsam: adversarij tamen nostri non intendunt arguere de ipsa oblatione, nec de ipsa confectione corporis Christi veri: sed intendunt arguere de auctoritate papali, & de plenitudine jurisdictionis. Ideo extra mentem Apostoli vadunt, & contra nos nihil arguunt, nec concludunt, quia illæ duæ ultimæ rationes nihil omnino concludunt: vel si concludunt, hoc faciunt de ipsa consecratione, & oblatione corporis Christi veri, de qua hìc non agitur, & in qua per se loquendo simplices sacerdotes sunt æquales Papæ. Sunt enim simplices sacerdotes in hoc æquales Papæ, quia ita possunt conficere corpus Christi verum, sicut & Papa: non autem sunt æquales Papæ, nec æquales Episcopis: quòd possint ordinare alios in sacerdotes, sicut Papa potest, & sicut possunt Episcopi. Simplices itaque sacerdotes quantum ad posse conficere sunt æquales Papæ: sed ad dandam conficiendi potentiam, quod fit, cùm alij ordinantur in sacerdotes, sunt infra Papam, & infra quoscumque Episcopos.

CAP. XXI.

Declarans quomodo sub sacerdotio Christi omnes sacerdotes possunt dici unus, & idem sacerdos

Vamvis ex præcedentibus sit sufficienter ostensum, quòd adversariorum duæ ultimæ rationes vadunt extra mentem Apostoli, & contra nos nihil arguunt, nec concludunt, bonum est tamen rationes illas magis pertractare, & eas clariùs solvere: sed antequam hoc fiat, ostendere volumus, quomodo sub sacerdotio Christi omnes sacerdotes dicuntur esse unus sacerdos, quia in hoc multùm declarabitur mens Apostoli, qui volens dare differentiam inter sacerdotiũ Leviticum, & sacerdotium Christi, ait ad Hebr. 7. quòd in sacerdotio Levitico *plures facti sunt sacerdotes*. Quare si differt sacerdotium Christi à sacerdotio Levitico, quia ibi plures facti sunt sacerdotes, oportet quòd in sacerdotio Christi non sit nisi unus sacerdos. Itaque declarare unitatem sacerdotis in sacerdotio Christi facit ad clariùs intelligere mentem Apostoli, & etiam facit ad clariùs dissolvere duas ultimas rationes. Propter quod sciendum, quòd si sub sacerdotio Christi unitatem ipsius sacerdotis volumus referre ad solam personam Christi, clarum est quod dicitur, quia non est nisi unus Christus, nec umquam fuit, nec umquam erit nisi unus Christus, non enim ipsi Christo umquam accessit alius Christus, nec umquã renunciavit, nec umquam sacerdotium ejus cessavit. Immo etiam moriens poterat dici ejus sacerdotium semper vivere, quia per mortem ejus suum sacerdotium non amisit suam efficatiam, cùm ex sua morte, & ex sua passione habuit hoc sacerdotium efficatiam. Nam hoc modo fuit Christus sacerdos, & hostia, quia moriendo in cruce obtulit se Deo Patri, & solvit prætium pro humana natura, propter quod nos redemit, & Deo patri nos reconciliavit. Possunt enim alij homines fieri sacerdotes, & fieri Pontifices, & esse Vicarij Christi, sed non propriè dicuntur esse Christi successores, quia tunc fierent pares Christo, quod est impossibile. Successor quidem dicitur esse par, & æqualis ei, cui succedit. Referendo igitur verba Apostoli ad ipsam personam Christi sicut referri debent, rationes adversariorum nihil concludunt. Arguunt enim, quòd quia Christus est sacerdos in æternum, ideo tali sacerdote vivente, non potest ibi esse renunciatio, sed nos plus concedimus quàm rationes arguant. Dicimus autem, quòd quantum ad personam Christi, de qua loquitur Apostolus, cùm suum sacerdotium sit æternum, non potest ibi esse renunciatio, nec cessio, quia non potest esse alius Christus: ideo enim quis cedit, vel quis renunciat, ut alius in suo loco instituatur; nec etiam potest ibi esse accessio, quæ sit propter defectum ejus, cui accedit, secundùm quem modum dicimus Augustinum Valerio non successisse, sed accessisse, quia vivente Valerio factus est Augustinus Episcopus Hipponensis, sicut habetur, Cau. 7. q. 4. c. *Non autem*. Hoc enim esse non potest in Christo, quia tunc esset defectivus Christus, & essent duo Christi.

Hebr. 7. d.

Nec

Nec potest ibi esse depositio, quia Christus peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus. Nec potest ibi esse successio quæ fit per mortem, quia, Christo moriente, dici poterat ejus sacerdotium vivum, quia non amisit sacerdotium illud vigorem suum per mortem Christi; immo per mortem, & passionem Christi habuit illud sacerdotium suam vim, & suum vigorem, cùm ex latere Christi dormientis in cruce dicatur esse formata Ecclesia, & exinde sacramenta Ecclesiastica dicantur habere suam virtutem, ut potest patere ex Glossa ad Rom. 5.

Ecclesia unde sumpsit initium.

Verùm quia intellectus hominis non quiescit, cùm sub sacerdotio Christi fiant quotidie novi sacerdotes, & cùm sub tali sacerdotio homines mortales fiant sacerdotes, meritò dubitatur, quomodo dicat Apostolus, quòd sub sacerdotio Levitico *plures facti sunt sacerdotes*, volens ex hoc illud sacerdotium distinguere à sacerdotio Christi, cùm & sub sacerdotio Christi plures facti sint sacerdotes? Sciendum ergo, quòd sub sacerdotio Christi omnes sacerdotes possunt dici unus sacerdos propter tria. Primò ratione oblationis. Secúdò ratione rei oblatæ. Tertiò ratione commemorationis, sive annuntiationis. Primò quidem omnes sacerdotes sunt unus sacerdos ratione oblationis, quia omnes offerunt in persona unius sacerdotis, & omnes conficiunt in persona unius sacerdotis, idest in persona Christi quia, ut suprà tetigimus, quilibet sacerdos cùm conficit, dicit *Hoc est enim corpus meum.* Constat autem quòd corpus quod conficit sacerdos, non est corpus ipsius sacerdotis, sed est corpus Christi, ergo cùm quilibet sacerdos conficiendo dicat: Hoc est corpus, & illud non sit corpus suum, sed sit corpus Christi, ergo nullus sacerdos cùm conficit, loquitur in persona sua, sed quilibet loquitur in persona Christi: ergo cùm conficiunt offerendo, & conficiendo corpus Christi, omnes dicuntur unus sacerdos, quia omnes induunt personam unius sacerdotis, idest Christi. Non autem sic erat in sacerdotio Levitico, quòd ipsi offerrent in persona unius, & ejusdem sacerdotis: tot ergo erant tunc sacerdotes, quot erant offerentes, & ideo dicuntur ibi plures facti sacerdotes, & dicuntur ibi homines mortales fieri sacerdotes: sed sub sacerdotio Christi, cùm omnes sacerdotes offerant in persona Christi qui est æternus, & immortalis, dicuntur omnes sacerdotes esse unus sacerdos, & quantum ad hoc possunt dici immortales, quia conficiunt in persona ejus qui æternus est & immortalis.

Heb. 7. d.

Secúdò sub sacerdotio Christi dicuntur ónes sacerdotes esse unus sacerdos non solùm ratione rei offerentis, sed etiam ratione rei oblatæ, quia omnes offerunt unam, & eandem rem, videlicet corpus Christi verum. Non autem sic erat in sacerdotio Levitico, quia non offerebant ipsam rem, nec ipsum verum corpus Christi, sed offerebant animalia quæ erant figura ejus. Constat autem, quòd psa res in se non est nisi una & eadem, sed unius, & ejusdem rei possunt esse multæ figuræ. Ideo ratione rei oblatę sub sacerdotio Levitico unus sacerdos, erat multi sacerdotes quia unus sacerdos multas res offerebat, & iterando oblationes, semper aliá & aliam rem offerebat, quia non erat idem animal quod offerabatur uno die, & quod offerebatur alio: & si erat idem specie, non erat idem numero. Sed sub sacerdotio Christi multi sacerdotes, immo omnes sacerdotes, & ratione rei offerentis, & ratione rei oblatæ sunt unus, & idem sacerdos, quia omnes offerunt in persona unius Christi, & omnes offerunt unum, & idem corpus, non solùm unum, & idem specie, sed etiam unum, & idem numero: omnes enim sacerdotes offerunt, & omnes conficiunt illud idem corpus numero, quod Christus traxit de Virgine, quod fuit elevatum in cruce, quod resurrexit à mortuis, & cum quo Christus ascendit in cœlum.

Tertio sub sacerdotio Christi omnes sacerdotes possunt dici unus sacerdos ratione cõmemorationis, sive ratione annuntiationis: cùm enim hoc sacramentum celebramus, commemoramus mortem Christi, vel annuntiamus mortem ejus, juxta illud Lucæ 22. *Accepto pane gratias egit, & fregit, & dedit eis dicens: Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur: hoc facite in meam commemorationem.* Et prima ad Corinth. *Quotiescumque enim manducabitis panem hunc, & calicem bibetis mortem Domini annuntiabitis.* Sed si quæratur quare in hoc sacramento commemoratur, vel annuntiatur mors Christi? Dici potest, quòd imminente morte, instituit hoc sacramentum, ideo hoc facimus in memoriam mortis ejus, & hoc faciendo annuntiamus mortem ejus. Vel possumus dicere quòd ex vi Sacramenti, in hoc Sacramento corpus est separatum à sanguine, & èconverso: est enim sub utraque specie totus Christus: sed hoc non est ex vi Sacramenti, sed ex naturali concomitantia. Id enim ibi dicitur esse ex vi Sacramenti in quod facta est cõversio, vel in quod facta est transubstantiatio: & quia substantia panis non convertitur, nec transubstantiatur nisi in corpus Christi, ideo ex vi sacramenti sub specie panis non est nisi solum corpus: sed quia illud corpus habet sanguinem suum sibi naturaliter

Cap. 11. f.

Dub.

Resp.

conjunctum, & est animatum, ideo ex natu. A rali concomitantia etiam sub specie panis est sanguis anima, & totus Christus. Sic sub specie vini ex vi Sacramenti non est nisi sanguis tantum, quia substantia vini non convertitur nisi in sanguinem, attamen quia ille sanguis est conjunctus corpori, quod est animatum, ideo etiam sub specie vini est sanguis, corpus, anima, & totus Christus. Igitur quia ex vi sacramenti sub specie panis est corpus tantùm, sub specie vini est sanguis tantùm, ideo dicitur quòd in hoc Sacramento conficitur corpus ex vi Sacramenti separatum à sanguine, & è converso. Et quia hoc fuit in morte, quòd sanguis fuit separatus à corpore, ideo quotiescumque hoc facimus, agimus memoriam mortis Christi, & annuncia- B mus mortem ejus.

Ex his ergo patere potest, quòd in hoc Sacramento idem commemorat, & annunciat seipsum; ut quia sub specie panis ex vi Sacramenti non est nisi corpus tantùm, ideo corpus Christi sub specie panis commemorat, & annuntiat seipsum ut fuit separatum à sanguine, quod fuit in morte Christi. Sic etiam quia sub specie vini ex vi sacramenti non est nisi sanguis tantùm, ideo sanguis sub specie vini commemorat, & annuntiat seipsum prout fuit fusus in passione, & prout fuit separatus à corpore. Ergo quia in hoc sacramento idem commemorat, & annuntiat seipsum, eadē est commemoratio, & eadē annunciatio & ratione rei com- C memorantis sive annuntiantis, & ratione rei cōmemoratę sive annuntiatę: quia (ut diximus) idem commemorat, & annuntiat seipsum: sed in sacerdotio Levitico commemoratio ibi esse nō poterat quæ est de re præterita, quia Christus nondum erat passus: si verò illa animalia oblata annuntiabant, vel significabant mortem Christi, hæc annunciatio non erat per eandem rem, sed per aliam, & aliam, quia non erat eadem res annuntians, & annuntiata, & figurans, & figurata, quia res figurans erat agnus, res figurata erat christus: & quia semper assumebatur alius, & alius agnus, qui immolatus D figurabat, & annuntiabat mortem Christi, poterat dici alia, & alia annunciatio. Patet ergo ex dictis, quòd sub sacerdotio Christi omnes sacerdotes possunt dici unus sacerdos ratione eorum qui conficiunt, vel qui offerunt, quia omnes conficiunt in persona unius Christi: & ratione rei quam offerunt: & ratione ejus quod commemorant & annuntiant, quia omnes commemorant, & annuntiant eandem mortem Christi. Hoc fit idemper idem, ut est per habita manifestum, & declaratum.

CAP. XXII.

In quo specialiter pertractantur adversariorum duæ ultimæ rationes, & per jam dicta clarè, & manifestè solvuntur.

DEclarata mente Apostoli quomodo Christi sacerdotium sit æternū, & quomodo sub sacerdotio Levitico plures facti sunt sacerdotes: sed sub sacerdotio Christi ommnes sacerdotes possunt dici unus sacerdos, volumus ex his descendere ad solvendum adversariorum duas ultimas rationes, undecimam, videlicet, & duodecimam. Ostendebatur quidem in præcedentibus, quòd præfatæ rationes non erant secundùm mentem Apostoli, & contra nos nihil concludebant, sed hìc volumus dictas rationes specialiter pertractare. Arguebat quidem undecima ratio, quòd quia Apostolus vult, & probat sacerdotium Christi esse æternum, sequitur ipsum esse sacerdotem æternum: ergo, ut dicunt nullo modo potest esse vita summi Pontificis, & summi sacerdotis sine summo sacerdotio: ideo concludunt quòd Papa renunciare non potest. Addunt quidem quòd videtur nimis extraneum, & à ratione remotum quòd summus Pontifex, qui est verus successor, & Vicarius Jesu-Christi qui est sacerdos in æternum, possit absolvi ab alio quàm ab ipso Deo, quia aliquo modo posset vita summi sacerdotis esse sine summo sacerdotio. Adducunt autem duodecimam rationem, quòd si potest renunciare summi Pontifex quòd Apostolus nihil concluderet. Dicunt enim quòd si vita summi sacerdotis potest esse sine summo sacerdotio, argumentum Pauli, ubi dicit quòd secundùm legem Mosaycam *plures facti sunt sacerdotes &c.* penitus nullum videretur esse, sed falsitatem contineret: nam posset argui contra Apostolum. Quare Christus sempiternum habet sacerdotium? Respondet Apostolus eo quòd manet in æternum: Dico tibi Apostole non est verum, quia potest in sua vita renunciare, & non erit sacerdos amplius. Præmissis ergo his duabus rationibus eo modo quo adversarij eas formant, & sub eisdem verbis, sub quibus eas formant, volumus dictas rationes solvere. Solvemus quidem eas quadrupliciter. Primò prout verba Apostoli directè tangunt personam Christi. Secundò

prout

prout illa verba si applicentur ad sacerdotes, A qui sunt puri homines, non arguunt de his quę sunt jurisdictionis, sed de his quæ sunt oblationis: vel arguunt de his quæ sunt ordinis, & de his quæ respiciunt characterem sacerdotalem, quem habent etiam sacerdotes simplices. Tertiò. solvemus rationes præfatas prout Apostolus loquitur de successione per mortem, nullam mentionem faciens de successione per renunciationem. Quartò, solvemus rationes illas prout secundùm mentem Apostoli sub sacerdotio Levitico multi facti sunt sacerdotes, non autem sub sacerdotio Christi, sub quo omnes sacerdotes sunt quasi unus sacerdos.

Propter primum sciendum, quòd sicut B suprà tetigimus verba Apostoli de æternitate sacerdotij directè non respiciunt aliquem hominem purum, sed solam personam Christi: *Heb.7. c.* Loquitur enim Apostolus, ut patet ad Heb.7. de Sacerdotio, quod jurejurando firmatum est, illud Psalmi adducens: *Juravit Dominus &c.* *Psalm.109.* Cùm ergo sic habeatur in Psalmo, *ex utero ante luciferum genui te*, quod propriè cõpetit Filio: posteà sequitur: *juravit Dominus, & non pœnitebit eum, tu es sacerdos &c.* Ille ergo Deus Pater qui genuit te ex utero, ideſt ex sua substantia, & ex sua natura fœcunda, ille juravit, ideſt inconcussa veritate firmavit, & non pœnitebit eum, quia non mutabit suum firmum propositum, sed semper erit sacerdos in æternum. Cùm ergo C hoc non possit competere nisi Personæ Christi, verba Apostoli non sunt referenda directè ad purum hominem, sed ad personam Christi. Nihil ergo concludit de renunciatione Papæ, qui erat homo purus. Optimè ergo concludit ratio penultima, sive ratio undecima, quòd quia Christus est sacerdos in æternum, ideo ibi non potest esse renunciatio: quia si renunciaret, non esset sacerdos in æternum: immo nec per mortem, nec quocumque alio modo potest esse successio sub tali sacerdotio. Sic etiam optimè arguit ratio duodecima, quia si potest Christus renunciare, posset ei alius succedere, qui esset verus Christus sicut ipse, & sic non esset sacerdos in æternum. Concludunt ergo rationes præfatæ quamdam veritatem de persona Christi, sed si ad aliquem purum hominem adaptentur, non arguunt, nec concludunt. Secundò possumus præfatas rationes solvere, quia si illa verba Apostoli adaptentur ad sacerdotes, qui sunt homines puri, cùm Apostolus non loquatur de sacerdotio quantũ ad ea quæ sunt jurisdictionis; sed quantum ad ea quæ sunt oblationis, patet quòd dictæ rationes nihil arguunt, nec concludunt. Cùm enim Apostolus loquitur de hujusmodi sacerdotio æterno solùm de oblatione loquitur, juxta illud ad Hebr. 7. quòd *Christus fecit hoc*, ideſt oblationem hujusmodi, *semel se offerendo*, *Heb.cap.7.* & 8. c. dicitur, *omnis enim Pontifex ad of-* *d.cap.8.a.* *ferendum munera, & hostias constituitur*: & no- *cap.9.c.* no cap. scribitur, quòd *neque per sanguinem hircorum aut vitulorum, sed per proprium sanguinem introivit semel in sancta.* Ergo non loquitur Apostolus de sacerdotio, nisi quantum ad oblationem prout Chtistus se semel obtulit, prout factus est sacerdos, & Pontifex ad offerendum seipsum hostiã prout non per alienum sanguinẽ sed per propriũ sanguinẽ seipsũ oblationẽ fecit. Hæc ergo si volumus adaptare ad alios sacerdotes, qui quotidie in altari cõficiunt corpus Christi, & offerunt illud idem corpus, quod Christus obtulit: licèt Christus obtulit suum proprium corpus in cruce sub propria specie, sacerdotes autem offerunt illud idem corpus non sub propria specie, sed sub specie panis, quia ista respiciunt ipsam confectionem corporis Christi vel oblationem ejus, cùm ad hoc sufficiat similis sacerdotalis character, quia simplices sacerdotes verè conficiunt: patet quòd præfatæ rationes si aliquid arguunt, vel concludunt de charactere sacerdotali, per quem quis conficit verum corpus Christi, quòd fiat oblatio, & hostia pro peccato: non arguunt, quòd Papa non possit renunciare papatui. Et cùm directè non potest renunciare suo characteri sacerdotali, quem quis suscepit, ex quo numquam potest ipsum deponere, quia hujusmodi character remanet etiam in anima separata, licèt non ad hunc usum, ad quem est in præsenti vita: nec arguunt dictæ rationes plus de Papa, quàm de quocumque sacerdote, quia nullus sacerdos potest renunciare suo characteri, cùm non possit suum characterem deponere, vel quòd possit ipsum à se removere.

Tertio possumus præfatas rationes solvere, quia Apostolus loquitur de successione per mortem, & nullam expressionem facit de successione per renunciationem: propter quod adversarij nostri petunt quod est in contrarium, & cùm credunt contra nos arguere, contra seipsos arguunt. Volunt enim ipsi quòd potest esse successio in Papatu per mortem, ita quòd cùm Papa moritur, potest ei alius succedere, quod verum est, & negare non possumus: volunt etiam quòd potest fieri talis successio per renunciationem, & hoc volunt probare per Apostolum dicentem, Christi sacerdotium esse æternum: sed Apostolus probat æternitatem sacerdotij Christi per immortalitatem, non probat autem hujusmodi æternitatem per non pos-

se renunciare, sed per non posse mori. Ideo si volunt isti sequi Apostolum, non concludunt, quòd Papa non potest renunciare, sed quòd est immortalis, & non potest mori. Nam si Christus est sacerdos in æternum, oportet quòd semper vivat, & quòd non possit mori, ut se fundabat ratio undecima. Sic etiam ratio duodecima, quia secundùm legem Mosaycam plures facti sunt sacerdotes, fundat se super semper vivere, & non posse mori. Ideo ad Heb. 7. unde sumpta sunt illa verba, sicut jacet textus, quòd *alij quidem*, supplent (sub lege Mosayca, vel sub sacerdotio Levitico) *plures facti sunt sacerdotes, idcirco quòd morte prohiberentur permanere: hic autem* (videlicet Christus) *eo quòd maneat in æternum sempiternum habet sacerdotium.* Hæc ergo concludunt. Si volumus hoc adaptare ad Papam, concludetur quòd Papa maneat in æternum, & concluditur quòd non possunt plures assumi ad Papatum, ita quòd uno moriente succedat alius. Propter quod cùm adversarij volunt, quòd Papæ morienti potest alius succedere, & nolunt quòd renuncianti possit hoc fieri, cùm Apostolus expressè velit quòd sub sacerdotio Christi sacerdoti morienti non potest alius succedere, patet, quòd non vadunt ad mentem Apostoli, sed potius ad oppositum mentis ejus. Sed dices, si non potest in Papatu esse successio per mortem ut quòd unus succedat alij morienti, multò magis non poterit esse per renunciationem ut quòd unus succedat alteri renuncianti. Respondebimus quòd detis nobis Papam immortalem, vel summum sacerdotem immortalem, tunc dicemus quòd ille renunciare non potest: sed nulla persona (per se loquendo) potest esse talis nisi persona Christi, quæ est æterna: ille autem cùm sit sacerdos jurejurando, quia juravit Deus & non pœnitebit eum, quia numquam illud juramentum mutabit, nec infringet, quòd Christus est sacerdos in æternum, nec potest renunciare, nec potest cedere, quia si hoc posset, non esset sacerdos in æternum.

Heb. 7. d.

Dub.

Resp.

Quarto possumus solvere rationes præfatas prout sub sacerdotio Levitico plures facti sunt sacerdotes, sed sub sacerdotio Christi omnes sacerdotes possunt dici unus sacerdos. Dicebatur quidem in præcedenti cap. quòd omnes sacerdotes sub sacerdotio Christi sunt unus sacerdos ratione confectionis, quia omnes conficiunt in persona Christi: & ratione rei oblatæ, quia omnes offerunt eandem rem, videlicet verum corpus Christi: & ratione annunciationis, quia in hoc Sacramento, ubi corpus Christi, quod ex vi Sacramenti dicitur esse separatum à sanguine, annunciat seipsum in morte, quod fuit sic separatum: & sanguis Christi, qui ex vi Sacramenti conficitur separatus à corpore, annuntiat seipsum in morte, qui fuit effusus, & separatus à corpore. Igitur si istam æternitatem sacerdotij volumus adaptare ad alios sacerdotes, dicemus quòd omnes sacerdotes, in quantum conficiunt, sunt immortales, quia omnes conficiunt in persona Christi, qui est persona immortalis: & in quantum offerunt sunt immortales, quia offerunt rem immortalem, quia totum Christum: & in quantum annunciat, & in quantum illud faciunt in commemorationem Christi, sunt immortales, quia rem immortalem annunciat.

Sacerdos no vi testamenti sunt immortales.

Sed dices: Quomodo annunciant, & quomodo commemorant rem immortalem, cùm hoc faciendo mortem Christi annuncient, & passionis Christi memoriam faciant? Dicemus quòd Christus moriens erat immortalis, quia si erat moriens ut homo, erat immortalis ut Deus: &, ut suprà diximus, possumus dicere melius, & magis ad propositum, quia licèt Christus moreretur per separationem animæ à corpore, tamen non moriebatur quãtum ad efficatiam moriendi, immo moriendo fuit efficax remedium ad nos salvandum. Ideo Apostolus loquens de sacerdotio Christi, ait: *Accedens ad Deum per semetipsum, semper vivens ad interpellandum pro nobis.* Cùm ergo per mortem accesserit ad Deum, quia per proprium sanguinem introivit in sancta, ideo moriens in carne, erat vivus ad interpellandum: & quia ut sacerdos interpellat pro nobis, & offert, oblatus pro nobis quantum ad sacerdotium potest dici semper vivere, & esse sacerdos in æternum. Ex hoc autem patere potest illud quod dicebatur in cap. 19. quomodo in sacerdotio Christi non est nisi unus sacerdos, cùm in lege nova multi sint sacerdotes, & quotidie novi sacerdotes fiant, quia, ut patet, licèt hujusmodi sacerdotes sint multi, & mortales, tamen ut conficiunt non sunt mortales, sed immortales, quia conficiunt in persona Christi, qui est immortalis. Non solùm itaque ex tribus præhabitis, sed etiam ex eo quòd nunc quartò diximus, patet solutio ad illas duas objectiones fundantes se super æternitate sacerdotij Christi: quia cùm verba Apostoli intelligenda sint de oblatione, prout Christus seipsum obtulit, patet quòd Papa quantum ad hujusmodi oblationem, & in quantum conficit corpus Christi, est immortalis, quia hoc conficit in persona Christi, sicut & alij sacerdotes, qui est persona immortalis. Cùm ergo omnes sacerdotes secundùm hunc modum sint unus,

Dub.

Resp.

Heb. 7. d.

&

& idem ſacerdos, & cùm in uno; & eodem non popriè ſit ceſsio, nec acceſsio, nec renunciatio, nec depoſitio, nec translatio, nec ſucceſsio: quoniam omnia iſta alietatem important: nam ſi quis cedit, hoc fit ut alius ſit loco ſui: & ſi quis accedit, hoc fit ut locum ejus teneat; & ſi quis deponitur, hoc fit ut alius præponatur: & ſi quis renunciat, hoc fit ut alius illud officium habeat: & ſi quis transfertur, hoc eſt ut ipſe alium locum teneat, & alius locum ejus habeat: & ſi quis ſuccedit, hoc eſt quia ipſe ponitur ubi alius ſtetit. Cùm ergo iſta alietatem importent, ubi ergo erit unitas, & identitas, talia propriè reperiri non poſſunt: eo ergo modo quo ſacerdotium Chriſti eſt æternum, & prout omnes ſacerdotes ſunt unus, & idem ſacerdos, talia propriè non reperiuntur: & per hoc ſunt ſolutæ adverſariorum rationes duæ ultimæ. Et quia in prioribus capitulis ſolvebantur aliæ rationes decem, ideo jam ſolutæ ſunt omnes adverſariorum duodecim rationes.

CAP. XXIII.

In quo præter præhabitas 12. rationes adducuntur quædam obviationes aliæ, quibus obviationibus per præſens capitulum reſpondetur.

DIcebatur quidem in ſecundo cap. in quo tractabatur de ordine dicendorum, quòd in toto hoc opere quinque agere volebamus, quia primò narrare volebamus omnes rationes, quas adverſarij faciebant, quod fuit factum, in uno & eodem cap. Secundò volebamus illis rationibus reſpondere, quod valde diffusè factum eſt, & per multa, & varia capitula rationes illæ ſunt ſolutæ, & pertractatæ, & ad nihilum redactæ. Tertiò quidem quia præter narratas duodecim rationes, adverſarij adducebant quasdam alias falſitates, & quasdam alias obviationes, ideo volebamus illas falſitates, & obviationes deſcribere, & narrare. Quartò volebamus dictis falſitatibus, & obviationibus reſpondere. Quintò & ultimò intendebamus adducere rationes ad propoſitũ: & imponere finem dictis. Verùm quia illæ falſitates, & obviationes, quas ſuis rationibus adverſarij addiderunt, ſunt modici ponderis, & quaſi nullius momenti, ideo in hoc cap. combinabimus illa duo, & deſcribemus falſitates, & obviationes illas, & reſpondebimus ad easdem.

Sciendum ergo quòd falſitates, & obviationes, de quibus locuti ſumus, & quas faciunt adverſarij noſtri, ad duo reducuntur, videlicet ad ea quæ fuerunt in renunciatione ſummi Pontificis, & ad ea quæ ſunt poſt renunciationem hujusmodi ſubſequuta, quæ credimus referenda eſſe ad electionem: ita quòd adverſarij dupliciter obviant noſtro propoſito, & veritati, uno modo ex parte renunciationis, & inde dicunt ſe accipere tertiamdecimam rationem: & alio modo ex parte electionis, & inde dicunt quartamdecimam rationem facere. Ita quòd ex hoc duplici modo obviandi dicunt ſe facere duas rationes, quas numerant in duodecim rationibus antedictis, ut in univerſo dicant eſſe 14. rationes. Ex parte ergo renunciationis benè ſumunt tertiamdecimam rationem. Dicunt quòd in renunciatione ipſius multæ fraudes, & doli conditiones, & intendimẽta, & machinamenta, & talia interveniſſe mille, ita quòd eſto, quòd poſſet fieri renunciatio, iſta tamen, quæ intervenerunt, vitiarunt ipſam renunciationem, & reddiderunt eam illegitimam, inefficacem, & nullam. Volunt ergo per hoc concludere, quòd renunciatio ſic machinata, & tot doloſitatibus perpetrata, non debet dici renunciatio: propter quod dato quòd potuerit renunciare prout per habita declaratum eſt, non tamen renunciavit, quia falſa renunciatio non eſt renunciatio, ſicut falſus denarius non eſt denarius, & homo mortuus non eſt homo: ut ex his verbis fortificetur dictum adverſariorum, ut fortificatum pleniùs deſtruatur: nam quantò aliquid eſt magis elevatum in altũ, ſi caſum patiatur, magis colliditur, & majorem patitur fractionem, juxta illud Job: *Elevaſti me, & quaſi ſuper ventum ponens eliſiſti me validè.* Hæ autem obviationes de renũciatione ſunt quaſi ſupra ventum poſitæ, & faciliter elidentur. Ex parte etiam electionis, unde ſumunt quartamdecimam rationem, dicunt, quòd eſto, quòd renũciatio tenuiſſet (quod nullo modo ſe dicunt aſſerere, neque credere) multa tamen, ut ajunt, poſteà intervenerunt conſequuta, quæ electionem inefficacem, & nullam reddiderunt omnino. Job. 30. c.

His itaque prælibatis, volumus primò ſolvere rationem terciamdecimam, in qua narrantur obviationes ſumptæ ex parte renunciationis, ad quam quadrupliciter reſpondebimus. Primò quia obviationes illæ ſunt falſæ, & peccant in materia: ſecundò quia non ſyllogizãt, & peccant in forma: tertiò quia non ſunt ad

pro-

propoſitum, & in noſtra materia non concludunt: quartò quia quod dicunt non eſſe renunciationem, eſt renunciatio: nam non ſolùm doloſa, & fraudulenta renunciatio (dato quòd ſic eſſet, quod non eſt credendum fuiſſe) poteſt dici renunciatio, ſed etiam renunciatio coacta eſt dicenda renunciatio, cùm voluntas coacta ſit voluntas ſecundùm ſententiam Sapiẽtum. Primò quidem ſolvimus dictas obviationes per interemptionem, dicentes quòd ſunt falſę, & peccant in materia. Poteſt quidem ex pluribus adhuc viventibus comprobari Dominum Bonifatium Papam VIII. tunc in minoribus agentem, & Cardinalem exiſtentem perſuaſiſſe Domino tunc Cœleſtino, quòd non renunciaret: quia ſufficiebat collegio quòd noſ mẽ ſuæ ſanctitatis invocaretur ſuper eos. Etquia etiam pluribus audientibus hoc factum fuit, ideo in renunciatione non fuerunt illæ doloſitates, nec illa machinamenta, nec illæ fraudes, ut adverſarij aſſerebant. Secundò poſſumus ſolvere dictas obviationes, quia non ſolùm recipiunt falſa, & peccant in materia, ſed etiam non ſyllogizant, & peccant in forma. Nam cùm aliquid perſuadetur alicui, vel illud eſt ad bonum non ſolùm perſonæ, ſed totius Eccleſiæ: vel eſt ad malum perſonæ, vel (quod pejus eſt) ad malum Eccleſiæ. Si autem ſit ad bonum Eccleſiæ & perſonæ, nullo modo debent dici fraudes, nec doloſitates, nec machinamenta, niſi fortè ſecundùm reputationem hominum, qui ea, quæ bonitates ſunt, fraudes & doloſitates nominant. Nam in quibus ſumus Dei miniſtri, non debemus curare, ſi ex hoc famemur apud bonos, & infamemur apud alios: & ſi ex hoc vocemur veraces apud peritos, & ſeductores apud alios, juxta illud ad Cor. 6. *In omnibus exhibeamus noſmetipſos, ſicut Dei miniſtros* (& poſt multa verba idem ſubditur) *per infamiam, & bonam famam: & ut ſeductores, & veraces.* Manifeſtè enim patet, quòd inducentes Cœleſtinum ad renunciandum, erant Dei miniſtri, cùm hoc expediret Eccleſiæ & perſonæ. Vbi ergo erat tantus profectus, fraus & doloſitas dici non debet, niſi fortè ſecundùm reputationem hominum, quibus ſi vellemus in omnibus placere, non eſſemus ſervi Chriſti, juxta illud Apoſtoli: *Si adhuc hominibus placerem, Chriſti ſervus non eſſem.* In his ergo quæ ſunt ſecundùm reputationem hominum, ſumtamen agamus quæ ſunt in Dei miniſterium, non debemus curare utrùm dicamur veraces, vel ſeductores: nec etiam utrùm inde ſimus famoſi, vel infames. Tertiò poſſumus ſolvere obviationes habitas, dicentes, quòd non ſunt ad propoſitum, & in materia noſtra non arguunt, nec concludunt. Nam in electionibus alijs, vel renunciationibus alijs talia locum haberent, quia ibi eſt ſuperior, qui poteſt de talibus cognoſcere: ſed in renunciatione papali, & in electione papali nulla talia ſunt admittenda, niſi fortè eſſet hæreticus qui eſſet electus in Papam, quia tunc eſſet in deſtructionem Eccleſiæ talem exceptionem non admittere, cùm ad ipſum ſpectet determinare quæſtiones de his quę ſunt fidei; ſed ſi aliæ exceptiones admitterentur, hoc eſſet in malum, & in deſtructionem Eccleſiæ tales exceptiones admittere, quia tunc non eſſet ſuperior, qui judicare poſſet: eſſet Eccleſia acephala, & ſub magno periculo vacillaret. Quartò ſolvere poſſumus objectiones jam dictas, quia dicunt non eſſe renunciationem ubi eſt renunciatio: ajunt enim quòd renunciatio cum talibus, quas vocam doloſitates & fraudes, eſt inefficax, & nulla. Ad quod dicere poſſumus, quòd plus habet de involuntario id quod fit per coactionem, quàm quod fit per inductionem, vel per ſuggeſtionem: & ſuggeſtio, vel perſuaſio tunc eſt dicenda fraudulenta, quando eſt in malum perſonæ, & quando ſcienter perſuadetur quod eſt in malum alicujus, & potiſsimè perſuaſio eſt dicenda doloſa, quando eſt in malum Eccleſiæ: ſed hęc non fuerunt in renunciatione Cœleſtini, ut ſuprà tetigimus: propter quod quæ ibi fuerunt commiſſa, fraudes vel doloſitates, vel machinationes, vel aliqua hujuſmodi non debent dici. Revertamur autem ad propoſitum, & dicamus, quòd plus habet de involuntario quod fit per coactionem, & tamen voluntas coacta voluntas eſt, non quòd in coactione ſit aliquid de involuntario, & de diſplicentia. Tamen voluntas coacta dicitur voluntas, quia plus eſt ibi de voluntario quàm de involuntario, ut ſi quis metu naufragij dicatur coactus projicere merces in mari, Vel ſi quis metu mortis coactus dicatur ſacrificari Idolis. Licèt hoc vel illud, vel quodcumque ſimile habeat aliquid de involuntario, plus tamen habet de voluntario, quia etſi diſplicet ſibi projicere merces in mari, plus diſplicet ſibi perdere vitam. Et quia potius vult habere vitam quàm habere res, ideo illa projectio, ut ſalvet vitam, licèt ſit voluntaria, & involuntaria, plus eſt tamen voluntaria quàm involũtaria. Sic etiam dicendum eſt de ſacrificatione Idolorum, & de quocũque ſimili. Immo cùm aliquis projicit merces in mari, cùm in poteſtate ſua, & in volũtate ſua ſit accipere res, & projicere, vel non accipere, & non projicere, quis umquam dicere poſſet, quòd hoc non ſit magis voluntarium quàm involuntarium? Voluntas ergo coacta

Dilutio 1.

Non ergo tã tum in hoc Bonifacio fuit ambitionis & arrogantiæ, quã tum ei impoſuit Platina.

2. *Corinth.* 6 *a. b.*

Gal. 1. b.

Eſt ſpeciale in Papa, ut nulla exceptio admittatur. Gloſſ. in c. Licet, de electione & electi poteſtate, inver. Abſque ulla exceptione.

cta voluntas est. Ideo in tertio Ethicorum, ubi Cap. 2. Philosophus determinat de factis per violentiam, ait: *Talia sunt voluntaria, & involuntaria* (& subdit) *magis assimilantur voluntarijs*, ideſt plus habent de voluntario quàm de involuntario. Igitur, ut diximus, si voluntas coacta est voluntas, renunciatio coacta debet dici renunciatio: maltò ergo magis renunciatio persuasa dicenda est renunciatio. Sed dices quòd licèt renunciatio persuasa sit renunciatio, tamen cùm sic agens ignoret, quid renuncians faciat, & dolo inducatur ad hoc agendum, quamvis hoc non faciat quòd illa renũciatio non sit renunciatio, hoc tamen facit quòd nihil valeat, & nihil teneat quod per talem renunciationem efficitur. Simile enim videmus de voluntate coacta, quia licèt voluntas coacta sit voluntas, tamen non videntur tenere, nec valere quæ fuerint per coactionem, vel per metum facta, & maximè si esset metus qui posset cadere in constantem virum. Sed quidquid de coactione sit, quia hoc non tangit nostram materiam: quantum autem ad renunciationem dicere possumus, quòd ut suprà tetigimus, renunciatio illa non debet dici dolosa, quæ sit in bonum Ecclesiæ, & personæ: immo quod plus est intantum fortè talia non tenent, vel non valent, in quantum habent aliquid de involuntario. Sed ostendere volumus quòd dato quòd per circunventionem, & per pulchra verba fuisset inductus ad renunciandũ, non deberet dici quòd renunciatio habuisset aliquid de involuntario. Nam in tantum qui sunt hujusmodi habent de involuntario, in quantum habent de ignorantia, ut quia sic agens nescit, & ignorat quid faciat: sed ut probat Philosophus 3. Ethic. non omne quod fit per ignorantiam debet dici involuntarium, sed quod est triste, & quod fit cum pœnitudine: quando enim quis aliquid facit per ignorantiam, si posteà cùm recognoscit se, & cogitat, & videt quid fecit, si tristatur & pœnitet, potest illud dici involuntarium, quia participat aliquid de involuntario. Dato ergo quòd Cœlestinus fuisset inductus ad renunciandum, quantumcumque posteà cogitaret, & quantumcumque adverteret de hoc quod fecit, quia renunciavit, non debuisset tristari, nec pœnitere: & si tristaretur, vel pœniteret, malè faceret cùm hoc esset bonum animæ suæ, quod præponderat omni bono corporali. Et cùm esset bonum otius Ecclesiæ, quod prępõderat omni bono causato, ergo sicut de jure non debebat tristari nec pœnitere, & injustè fuisset tristatus, vel pœnituisset, sic dato, quòd per ignorantiam, & inductus hoc fecisset, non deberet de illa ignorantia habere aliquid de involuntario, dato quòd haberet de involuntario sibi facto; non tamen haberet de jure: quia justior esset, & magis secundùm jus, & magis secundùm rationem ageret, non pœnitendo de hoc, quàm pœnitendo: nam etsi fortè talia essent admittenda, quæ rem involuntariam rationabiliter facerent, quia dolosa fuisset illa inductio, & fraudulenta fuisset illa persuasio, attamen præfata nihil tale habent, cùm non sit rationale quòd quis de bono opere doleat.

Quod autem addebatur, quòd homo mortuus non est homo, & quòd falsus denarius non est denarius. Dicemus quòd non debet dici illa renunciatio mortua, immo debet dici viva, & secundùm jus, & secundùm rationem valere, cùm secundùm jus, & rationem ageret renunciando, & non exponendo se periculo in cõmune bonum. Nec debet dici illa renunciatio falsa, nec fraudulenta, quæ erat in bonum Ecclesiæ & personæ. Hæc autem non dicimus, quòd homo sapiens & peritus, & qui benè sciat gubernare Ecclesiam, renunciare non possit, sed hoc ideo diximus quòd præfata renunciatio non solùm fieri potuit, sed sine peccato, & cùm merito facta fuit: sed sciens & peritus quamvis potest hoc facere, peccaret fortè id faciendo. Diximus quidem hæc omnia, ut semper concludamus contra adversarios qui falsum asserunt. Nam si dicant quòd illa renunciatio non fuit renunciatio, asserunt falsum, cùm & coacta voluntas sit voluntas. Si verò dicant, quòd fuit renunciatio, sed non quòd teneret, & valeret, quia ex parte inducentium fuit dolosa, & fraudulenta, ex parte inducti fuit per ignorantiam perpetrata, patet quòd non debet dici dolus neque fraus quod est in bonum Ecclesiæ, & personæ. Quod verò de ignorantia additur, dicemus, quòd dictat ratio naturalis quòd nec de renunciatione, nec de quacumque re dici potest, quòd facta per ignorantiam non valeat, vel non teneat, si ea cognita, & ignorantia amota, non potest dici quòd hoc faciens rationabiliter pœniteat, vel rationabiliter tristetur, quæ omnia sunt per habita manifesta, & maximè si non sit ignorantia, quam habent amentes vel ebrij, sed quam habent simplices & grossi, qui cognoscunt quid agunt, licèt cogitare nesciant quæ cogitanda sunt.

Solutis ergo obviationibus sumptis ex parte renunciationis, primò quia falsæ erant, & peccabant in materia, secundò quia procedebãt in æquivoco, & peccabant in forma, quia non quælibet inductio debet dici dolosa, & maximè si sit ad bonum: tertio quia non erant ad

pro-

propositum, quia non sunt talia audienda in renunciatione, vel in electione Papæ: & quia erat renunciatio, & de jure, ubi non dicebãt esse renunciationem, vel non esse de jure, volumus, omnibus his rationibus tactis, solvere ea quæ dicebant de electione. Primò quidem solvemus obviationes de electione, videlicet quòd talia intervenerunt quæ electionem vitiabant. Respondebimus enim per interemptionem, quia falsa recipiunt, & peccant in materia, quia non est credibile quòd in tanto negotio talia committantur. Secundò solvemus rationes illas, quia procedunt in æquivoco, & peccant in forma. Æquivocatur enim ibi de electione, quia est aliqua electio, quæ per talia vitiatur, sicut est electio inferiorum prælatorum, qui cùm habeant superiorem, potest sine periculo communis boni, & sine periculo Ecclesiæ de talibus cognosci: & visum est quòd tales electiones per talia vitiantur. Sed in electione summi Põtificis hæc locum non habent, quia cùm non sit aliquis superior qui possit de talibus cognoscere, non possunt sine periculo communis boni, & sine periculo Ecclesiæ tales exemptiones admitti. Ideo dicitur extra de electione, & electi potestate cap. *Licet*, quòd duabus partibus scilicet cardinalium concordantibus, si tertia pars concordare noluerit, aut sibi alium præsumpserit nominare, ille, absque ulla exceptione ab universali Ecclesia Rom. Pontifex habeatur, qui à duabus partibus electus fuerit, & receptus. In alijs itaque electionibus possunt hæc habere locum, in electione autem summi Pontificis, ubi non est superior qui cognoscat ubi publicum bonum exponeretur periculo, duabus partibus Cardinalium consentientibus, nulla est exceptio admittenda, nisi tantum pro hæresi, cujus causa est superiùs allegata. Tertiò possumus solvere obviationes præfatas, quòd ratione proponentiũ non sunt ad propositum quæ proponuntur: nam cùm ipsi fuerint de eligentibus, contra istud propositum, cùm fuerit eorum propositum, facere non possunt. Dicentes enim quòd in ipsa electione aliqua talia intervenerunt, cùm ipsi fuerint de eligentibus, sunt minimè audiendi. Quartò possumus easdem objectiones solvere, quia dicunt electionem illam nullam esse: nam quidquid sit de alijs electionibus ubi ex vitio personæ vitiatur electio, hic autem tenet electio, nec sic vitiatur, nec sic cassari potest electio summi Pontificis, sicut electiones aliæ imò tenet de jure, & valet hujusmodi electio, ubi non valerent electiones aliæ. Falsa ergo recipiunt; quia non est credibile talia intervenisse: peccant in forma, quia non est simile de hac electione, & de alijs: ratione igitur proponentium hæ objectiones non sunt ad propositum, cùm ipsi proponentes fuerint de eligentibus. Quintò, & ultimò per præfata verba, vel per præfatas objectiones, non arguũt dato quòd vera essent, cùm non sit electionis vitium, sed potius personarum. Veram ergo auctoritatem habet sanctissimus Pater Dominus Bonifacius Papa VIII. & est verus, & legitimus sponsus Ecclesiæ, & ei tenentur omnes humiliter obedire: quia allegare falsa, & quæ non sunt ad propositum: & quæ si intervenissent, non vitiarent electionem; & maximè quòd ille allegare audeant qui fuerunt de eligentibus, recta ratio non admittit.

§. *Statuimus.*

Dist. 40. c. Si Papa.

CAP. XXIIII.

In quo adducuntur rationes ad propositum secundùm quatuor genera causarum, & etiam secundùm auctoritates, quòd Papa renunciare potest.

POstquam adduximus rationes adversariorum: quòd Papa renunciare non potest, & eas solvimus, & narravimus quasdam alias obviationes tam ex parte renunciationis quàm ex parte electionis, & ad illas respondimus, volumus in hoc capitulo adducere rationes ad propositum, quòd Papa renunciare potest: sed hoc breviùs pertransibimus, quia in omnibus capitulis præcedentibus ubi solvebamus adversariorum rationes, tetigimus aliqua, immo multa, & varia, unde formabuntur rationes ad propositum, quòd Papa renunciare potest. In hoc ergo capitulo de illis aliqua resumentes arguemus propositum quod est toties replicatũ, videlicet quòd Papa renunciare potest. Dicendus quidem, quòd apud sapientes quatuor causarum genera distinguuntur (unde & in octavo Metaphys. laudantur definitiones Aristarchi, quę erant secundùm omne genus causarum) & discurrendo per omnia genera causarum ostendemus, quòd omnes causæ concordãt nostro proposito, & nullum genus causæ nostro proposito contradicit.

Propter quod sciendum, quòd quatuor genera causarum sunt allegata à sapientibus, videlicet causa formalis, materialis, efficiens, & finalis. Expedit considerare in ipso Papatu, quid se habet ut formale, quid ut materiale, quid

2. *Phys. c. 3*
1. *Met. c. 2*

quid, ut finis; quid, ut efficiens. Formale autem est ipsa ratio rei: ideo si videre volumus quid est formale in ipso Papatu, considerare debemus in quibus consistit ipse Papatus: nam cùm omnis auctoritas, & Ecclesiastica potestas, vel dicat ea quæ sunt ordinis, vel ea quæ sunt jurisdictionis, oportet quòd ratio papalis potestatis in aliquo illorum existat. Materiale autem in ipso Papatu sunt personæ, in quibus habet esse Papatus, vel quæ assumuntur ad Papatum: nam potestates, virtutes, & similiter omnes perfectiones non habent materiam ex qua fiant, sed in qua recipiuntur: cùm ergo Papatus sit quædam potestas, & quædam auctoritas, &quædam perfectio, non habet materiam ex qua, sed in qua: ipsæ ergo personæ, quæ assumuntur ad Papatum, & in quibus recipitur Papatus, dicuntur esse quid materiale respecta Papatus. Causa autem efficiens ipsius Papatus est consensus eligentium, & consensus electi: & si dicatur quòd est causa efficiens etiam confirmatio ipsius Dei: dicemus quòd Deus sic administrat res, ut eas proprios cursus agere sinat: ex quo ergo hoc requirit cursus rerum, quòd si eligientes eligunt, & intellectus assentit quòd ille sit Papa, debemus supponere quòd fiat ex Divina voluntate. Finis autem, ad quem ordinatur Papatus, est commune bonum, & regimen totius Ecclesiæ. Quòd ergo Papa renunciare possit, vel quòd renunciare non possit, ex aliquo genere causarum debet hoc argui, & concludi. Ea propter si probare poterimus ex eo quod est formale in Papatu, & ex eo quod est materiale, & ex causa efficiente, & finali quòd Papa renunciare posset: & posteà ad hoc adducere auctoritates, credimus nostrum propositum sufficienter fore probatum.

Volumus ergo primò probare nostrum propositum ex eo quod est formale in Papatu, vel ex his in quibus consistit Papatus. Dicebamus autem quòd omnis auctoritas, & omnis potestas Ecclesiastica consistit in his quæ sunt ordinis, vel in his quæ sunt jurisdictionis. Sufficienter autem patere potest per habita quòd Papa ultra simpliceem Pontificem non dicit ea quæ sunt ordinis, sed quæ sunt jurisdictionis: quod multis modis suprà declarabatur, videlicet ex quolibet simplici Pontifice. Dicebatur quidem quòd quilibet Pontifex potest dici A summus sacerdos; ut ostendebatur tam auctoritate Magistri Sententiarum, quàm auctoritate Decreti. Arguatur ergo sic, Quilibet Pontifex potest dici summus sacerdos, vel ergo hoc est quantum ad ea quæ sunt ordinis, vel quantum ad ea quæ sunt jurisdictionis: non quantum ad ea quæ sunt jurisdictionis, quia tunc quilibet Pontifex haberet plenitudinem potestatis, & esset summus quantum ad jurisdictionem, quod soli Papæ competit: est ergo quilibet Pontifex summus sacerdos quantum ad ea quæ sunt ordinis: habet itaque Papa plus alijs Pontificibus quæ sunt ordinis, cùm quilibet Pontifex quantum ad talia sit summus, B Ostendebatur etiam hoc idem non solùm ex utraque potestate, sed etiam ex ipso charactere, & ex perfectione characteris: nam quæ sunt ordinis cùm sint indelebilia, oportet quòd indelebilibus innitantur, hujusmodi autem sunt character, & perfectio characteris: sed ut planè patet character, & perfectio characteris non plus dicunt in summo Pontifice, quàm in quocumque simplici Pontifice, quia si character qui imprimitur Papæ, & perfectio characteris in Papa, quibus innituntur ea quæ sunt ordinis, dicerent aliquid plus quàm in alijs C potestatibus, tunc electus in Papam à nullo Pontifice posset ordinari in sacerdotem, nec consecrari in Episcopum, quia cùm positum sit quòd character, qui imprimitur Papæ, vel perfectio characteris in alijs potestatibus, cùm nihil agat ultra suam speciem, nullus Pontifex posset ordinare Papam in sacerdotem, nec imprimere sibi characterem, nec posset ipsum consecrare in Papam nec dare sibi perfectionem characteris: sed cùm Papa ordinetur, & consecretur ab alijs Pontificibus, consequens est quòd character, & perfectio characteD ris in eo nihil plus dicant quàm in alijs Pontificibus: & consequens etiam est quòd quantum ad ea quæ sunt ordinis nihil est plus in eo quàm in alijs. Et quia, ut diximus, ea quæ sunt jurisdictionis non innituntur rebus indelebilibus, sicut ea quæ sunt ordinis, ideo possunt tolli, vel possunt desinere esse: potest ergo Papa renunciare quantum ad ea quæ sunt jurisdictionis, quibus renunciando dicitur renunciare Papatui, cùm nihil habeat ultra simplices Pontifices: nisi quæ sunt jurisdictionis tantum. Adhuc ostendebatur hoc idem ex parte ipsius commissionis: nam ea quæ sunt ordi-

nis non poſſunt ſimpliciter committi. Nam nullus ſacerdos poteſt committere non ſacerdoti quòd conficeret corpus Chriſti: nec aliquis Epiſcopus poſſet committere alicui non Epiſcopo, quòd conſecraret aliquem in Epiſcopum: ſed nihil habet Papa ultra ea quæ habent ſimplices Pontifices, quæ non poſſunt committere his qui non ſint Papa, vel his qui non ſint Pontifices, ergo nihil habet Papa quantum ad ea quæ ſunt ordinis ultra ſimplices Pontifices: habet ergo ſupra eos ſolùm quæ ſunt jurisdictionis, quę, ut diximus, poſſunt tolli, & poſſunt deſinere eſſe: talia enim eo modo quæ fiunt poſſunt deſinere eſſe, propter quod per quæ poteſt quis præfici in Papam, ſic, illis contrario modo ſe habentibus, poteſt deſinere eſſe Papa. Inſuper oſtendebatur hoc idem ex parte potentiæ papalis, vel ex parte eorum in quibus reſidet potentia Papalis, vacante Papali ſede. Dicebatur quidem quòd Eccleſia numquam moritur, ideo vacante ſede, remanet poteſtas Papalis in Eccleſia, vel collegio Cardinalium. Cùm ergo Eccleſia multitudinem, quamdam dicat, & cùm quodcumque collegium ſit etiam multitudo quædam, conſequens eſt, quòd, vacante ſede, poteſtas Papalis reſideat in aliqua multitudine: numquam autem ea quæ ſunt ordinis, nec character, nec perfectio characteris reſpiciunt multitudinem ſecundùm ſe, ſed ſemper reſpiciunt ſingulares perſonas. Idem enim dicemus de jis quę ſunt ordinis, & de charactere, & de perfectione characteris, & de ipſis animabus ſive de creatione animarum. Dicit enim Pſalmiſta de Deo: quòd *finxit ſigillatim corda eorum*. Nam Deus ſigillatim fingit corda noſtra, quia cuilibet ſigillatim imprimit ſuum cor, ideſt ſuam mentem, & ſuam animam: infuſio enim animæ non reſpicit multitudinem ſecundùm ſe: verum eſt enim, quòd multi ſunt animati, ſed anima non infunditur ipſi multitudini ſecundùm ſe, ſed ſigillatim infunditur anima ſua. Sic & in propoſito character, & perfectio characteris non imprimitur ipſi multitudini ſecundùm ſe, ſed cuilibet ſigillatim imprimitur ſuus character, & ſua perfectio characteris. Ea ergo quæ ſunt ordinis, & character, & perfectio characteris non reſpiciunt per ſe multitudinem, ſed ſigillatim reſpiciunt perſonas, quæ ſunt in multitudine. Papalis ergo poteſtas, quæ, vacante ſede, reſidet in ipſa multitudine,

Pſalm. 32. c.

A non dicit ea quæ ſunt ordinis, nec dicit characterem, nec dicit perfectionem characteris; ſed ſolùm dicit quæ ſunt jurisdictionis. Talia ergo, ut eſt ſuperiùs replicatum, per ea quæ fiunt, contrario modo ſe habentia, poſſunt tolli & deſinere eſſe. Conſideremus ergo naturam rerum, vel conſideremus ea quæ ſunt de ratione rei, vel quod eſt formale in rebus, per quod differt una res ab alia, quia talia argumenta, & tales rationes ſunt potiſsimæ in omni genere rerum, apparebit quòd Papa renunciare poteſt. Ex parte ergo cauſæ formalis, ſive ex parte naturæ rerum, ex quibus ſumitur ratio rei (quia & natura rei, & ea ex quibus ſumitur, ratio rei potiſsimè ad formam vel ad cauſam formalem pertinet) formavimus, ut patuit, quatuor rationes. Ad cujus evidentiam, ſciendum, quòd ratio rei multis modis inveſtigari poteſt, & multis vijs animadvertere poſſumus quæ ſunt de ratione rei, propter quod quæ ſunt de ratione Papatus venari poſſumus multis modis: primo quidem ex his quæ videmus in alijs Pontificibus, & ex hoc ſumebatur ratio prima: ſecundo poſſumus id facere ex his quæ videmus in charactere, vel in perfectione characteris, & ex hoc ſumebatur ratio ſecunda: tertio poſſumus id facere ex his quæ videmus in ipſa commiſsione prout quæ ſunt Papæ poſſunt alijs committi, & ex hoc ſumebatur ratio tertia: quarto poſſumus idem advertere ex his quæ videmus in ipſa poteſtate Papali quantum ad eos in quibus remanet talis poteſtas, vacante ſede, quia remanet, vel reſidet in aliqua multitudine, vel in aliquo collegio, & ex hoc ſumebatur ratio quarta. Omnes autem hę rationes, ſumptæ ſunt ex natura rei, vel ex ratione rei de qua agitur. Omnes etiam rationes hæ ſuperiùs tangebantur, licèt fortè non hoc ordine, nec ita clarè, ut hic ſunt poſitæ: immo non ſolùm hæ rationes quatuor, ſed etiam multæ aliæ tangebantur, quia ferè omnia capitula ſunt plena talibus rationibus: ſed de illis multis ſufficiat commemoraſſe has præfatas rationes, ex quibus oſtenſum eſt quòd ea, quę poteſt Papa ultra quemcumque ſimplicem Pontificem, non dicunt quæ ſunt ordinis, nec dicunt characterem, nec perfectionem characteris: ſed ſolùm quæ ſunt jurisdictionis, quæ, cùm non inhæreant rebus indelebilibus, non ſunt indelebilia: ſed per ea contrario modo facta, per quæ fiunt, poſ-

ſunt

sunt tollí, vel desinere esse ; & exinde Papa renunciare potest Papatui, vel potestati Papali, quod declarare volebamus.

Secunda pars Capituli. In qua probatur per tria genera causarum, & per auctoritates doctorum quòd Papa renunciare potest.

ROBavimus in prima parte hujus capituli, per ea quæ respectu Papatus se habent quasi formalia, vel per ea quæ possunt reduci ad causam formalem, quòd Papa renunciare potest. Volumus autem in hac parte secunda hujus capituli, per tria reliqua genera caularum, videlicet per ea quæ possunt reduci ad causam materialem, efficientem & finalem, & etiam per auctoritates doctorum probare hoc idem, videlicet quòd Papa renunciare potest. Primò ergo probabimus nostrum propositum per ea quæ reduci possunt ad causam materialem. Dicebatur quidem suprà quòd Papatus, & omnis potentia activa, & omnis perfectio, & quæcumque forma, non habent materiam ex qua, sed in qua : ideo probaverunt Philosophi quòd forma nec est elementum, nec ex elementis, forma quidem nec est materia, nec ex materia, non enim habet materiam ex qua est, sed in qua est. Ipsi ergo potestati Papali, quę est quædam perfectio, si volumus quærere materiam, quæremus ei materiam in qua est, vel in qua recipitur : hujusmodi autem materia sunt homines, qui assumuntur ad Papatum, in quibus habet esse talis potestas. Probare ergo quòd Papa possit renunciare per ea quæ reducuntur ad causam materialem, est probare hoc per ipsos homines, in quibus fuit Papalis potestas, qui renunciaverunt præfatæ potestati. Possumus ergo de multis dare exemplum. Nam in gestis Rom. Pontificum legitur, quòd Clemens renunciavit, & post Linum, & Cletum cathedram recepit : ita quòd Clemens fuit secundus post Petrum, & eo renunciante, susceperunt Papatum Linus, & Cletus: post quos iterum Clemens cathedram susceepit, quam susciplens, fuit quartus post Petrum, ita quòd juxta duplicem susceptionem biscomputatur fuisse Papa, ut primò fuerit post Petrum secundas, & posteà quartus. Exemplum etiam habemus de Marcellino qui renunciavit, sicut dici Glossa ordinaria Cau. 7. q. 1. super illo cap. *Non autem.* Sed dices quòd Marcellinus non renunciavit, sed seipsum deposuit, ut patet per sententiam quam contra se dictavit. Nam dist. in c. *Non autem*, ubi tangitur hæc materia, satis expresè habetur, quòd nullus fuit ausus in eum proferre sententiam, sed omnes dicebant ore tuo judica causam tuam : & ore tuo condemnaberis : sed quomodo se condemnavit, vel quomodo se judicavit, ibidem non traditur. Sed Hug. dicit quòd in gestis Rom. Pontificum scriptum est, quòd Marcellinus dictavit sententiam in se, & se deposuit, dicens : *Ego Marcellinus ob scelus idolatriæ, quod infelix commisi, judico me deponendum, anathematizo etiam quicumque corpus meum tradiderit sepulturæ.* Verba ergo Marcellini non sonant quòd renunciaverit, sed quòd deposuerit se. Ideo meritò quæritur quomodo Iuristæ notant quòd renunciavit. Dicemus ergo, quòd negotium summi Pontificis qui non habet superiorem, non est simile cum negotijs alijs : nam in alijs Pontificibus, aliud est renunciatio, aliud est depositio : nam renunciatio est cùm spontè cedit, sed depositio est etiam si invitè moveatur. Sed in summo Pontifice non potest esse depositio, nisi ibi sit renunciatio, nisi in uno casu tantum, videlicet propter hæresim, & non propter hæresim quocumque modo, sed propter hæresim in qua vellet pertinaciter persistere, ut etiam Iuristæ notant. Dicamus itaque quòd nullus debet condemnare Papam, sed ipse in sinu suo debet recolligere causam suam, & ipse ore suo debet se judicare, & ipse debet seipsum deponere, si videat hoc expedire Ecclesiæ, vel ratione sceleris quod commisit, vel ratione suæ insufficientiæ : qualitercumque ergo hoc fiat, cùm ipsemet hoc faciat, ideo voluntariè se deponet. Ista ergo depositio cùm fiat spontè, & cùm fiat à seipso, renunciatio dici potest. Potest ergo Papa renunciare, si consideramus personas, in quibus habet esse ratio Papatus, quia renunciavit Clemens, & Marcellinus. Nullus enim dubitare potest, quòd si Papa potest se deponere, sicut Marcellinus se deposuit, & sicut omnes concedunt quòd potest se deponere, consequens

In ver. Vt non succederet.

Cur non tuleriat scientiam Episcopi in Papâ notat. glos. in ver. Marcellinus. c. eodem.

Pont. paratus corrigi non deponitur 24. q. 3. c. Dixit. Apostolus.

Glos. 8. q. 1. c. Si Petrus in ver. Autlinagdi.

quens est quòd potest renunciare. Nam quilibet potest cedere in manibus ejus, qui potest eum deponere : nam successio Episcopi non potest esse in manibus Metropolitani, qui potest eum confirmare, potest tamè esse in manibus ejus, qui potest eum deponere. Si ergo Papa potest seipsum deponere potest per seipsum renunciare: plus enim est deponere quàm renúciationem suscipere, quia ut habetur Cau. 7. q. 1. c. *Sicut*, quòd nisi Episcopus petat quòd debeat ab Episcopali honore vacare, & nisi hoc det in scriptis, illud aliter facere non valemus: nam fortè secundùm jura tunc scripta, nisi fortè pro delicto: sed propter senectutem, vel propter insufficientiam non poterat Papa Episcopum deponere, nisi ipse vellet renunciare. Plus est ergo deponere quàm renunciationem suscipere, & plus deponere, vel renunciare, quàm confirmare. Si ergo Papa potest seipsum deponere, potest renunciare. Dicamus ergo quòd Papa seipsum deponit, per seipsum renunciavit, sicut etiam dicere possumus quòd seipsum confirmat. Adductis duobus exemplis quòd potest Papa renunciare, ut non solùm in ore duorum, sed etiam in ore trium stet omne verbum, possumus, & tertium exemplum adducere de Cyriaco, de quo scriptum est, quòd cum Vrsula, & cum XI. millibus Virginum martyrio coronatus. Scribitur enim de eo quòd nocte quadam sibi revelatum est, quòd esset cum illis Virginibus palmam martyrij recepturus : tunc congregato clero, & Cardinalibus, invitis civibus, & potissimè Cardinalibus, coram omnibus renunciavit dignitati, & officio.

In fine. Verba sunt Gratiani exponentis sentẽtiam Gregorij positam. in c. Scripsit eisdem Cau. & q.

Cyriacus ponitur inter Antherum & Pontianũ ut legitur in Chron. Mart.

Vide primã partem Ch d Antonini Titulo 7 ca.

7. §. 2. Postquam ergo ostendimus quòd Papa renunciare potest per ea quæ reduci possunt ad causam materialem, volumus tertio, hoc idem ostendere per ea quæ pertinent ad causam efficientem. Tetigimus enim suprà, quòd duo sunt per quæ quis habet potestatem Papalem, videlicet assensus eligentium, assensus electi. Dicebatur etiam suprà, quòd in his quæ non sunt supra naturam negotij, nec supra exigentiam rerum, quòd per eadem contrario modo facta, res constituitur, & destruitur. Cùm ergo hoc sit secundùm naturam negotij, & secundùm exigentiam rerum quòd etiam præficiat sibi caput, & quòd aliquis sit postulatus, vel electus assentiat quòd sit caput, consequens est quòd per hæc per quę quis est Papa, si contrario modo fiant, desinat esse Papa. Sed dices quòd spiritualia faciliùs construuntur quàm destruuntur, licèt corporalia se habeant èconverso, ut habetur in illa decretali inter corporalia. Et quia spiritualia faciliùs construuntur quàm destruuntur, ideo, ut videtur, non valet si consensus eligentium, & electi faciunt quòd aliquis sit Papa, quòd per hæc contrariè se habentia, desinat esse Papa. Sciendum ergo quòd aliquando invenimus quòd spiritualia difficiliùs destruuntur quàm corporalia, & spirituale vinculum est fortius quàm carnale, ut patet ex decretali prælegata. Aliquando verò invenimus quòd conjugium spirituale citiùs corrumpitur, & ad terram trahitur, nisi legaliter servetur, nisi justè laudetur vivendo, ut habetur dist. 40. c. *Sicut vir*. Distinguemus ergo spiritualia, quia aliquãdo res spiritualis fit ex opere operato, aliquando requiritur ibi voluntas vel devotio operantis, vel suscipientis. Dicimus autem aliquid fieri ex opere operato, quando ipsa res habet hoc efficere, dato quòd non sit ibi voluntas suscipientis, ut ignis ex seipso quæ sunt sibi propinqua. Dato ergo, quòd quis non appropinquet igni ut calefiat sed ut præparet fercula, sed quia hoc habet ex se ignis quòd calefaciat, oportet quòd sic appropinquans, velit, nolit, calefiat. Sic & in proposito, aliquando spiritualia fiunt ex ipso opere operato, aliquando præter opus operatum sive præter opus exterius, requiritur ibi voluntas, & devotio operantis, vel suscipientis, secundùm quem modum dicimus quòd aqua Baptismi habet duplicem effectum, videlicet imprimere characterem, & conferre gratiam : sed quantum ad impressionem characteris habet hoc aqua Baptismi ex solo opere operato : sufficit enim ad hoc quòd aliquis recipiat characterem quòd baptizetur in forma Ecclesiæ, & quòd suscipiat in se hoc opus operatum quod est Baptismus : sed ad hoc, quòd suscipiat gratiam, si est adultus, non sufficit quòd baptizetur, sed requiritur quòd amoveat omnem fictionem, & quòd accedat voluntarius, & devotus. Et si dicatur quòd parvuli non possunt habere hujusmodi devotionem, & tamen suscipiunt gratiam in Baptismo, Dicemus quòd hoc est ex Divina dispensatione, quę vult quòd sicut parvuli in alio peccaverunt : quia in Adam, ita posset eis per alios subvenire, ut per fidem parentum. Advertendum tamen nos dixisse, quòd

Baptismus.

quòd ignis ex opere operato, & ex ipsa re habet quòd calefaciat, & aqua Baptismi ex opere operato, vel ex ipsa re habet quòd characterem imprimat: sed hoc non est eodem modo, quia ignis hoc habet ex naturali origine, & ut est agens naturale: aqua verò Baptismi hoc habet ex Divina dispensatione, & ut est instrumentum Divinæ naturę.

Revertamur ergo ad propositum, & dicamus quòd illa quæ fiunt spiritualiter ex solo opere operato, non solùm difficillimè destruuntur, sed etiam non possunt tolli, sicut est ipse character, sive sit Baptismi, sive Confirmationis, sive Ordinis, quia in his tribus Sacramentis character imprimitur: sed si illud spirituale non fiat solùm ex opere operato, sed requiratur ibi voluntas operantis, & suscipientis, non dicimus quòd non possit tolli, nec dicimus quòd difficillimè destruatur, sed dicimus quòd facillimè perdatur: nam potest quis valde de facili gratiam perdere. Talia quidem sicut construuntur, sic destruuntur, nam sicut convertendo se ad Deum tamquam ad lumen luminis, verè illuminatur, & habet gratiam: sic se avertendo ab illo lumine, verè obtenebratur, & perdit gratiam: immo talia facilius destruuntur quàm construuntur propter nostram malitiam, juxta illud Matth. 7, *Lata porta, & spatiosa est via, quæ ducit ad perditionem: quàm angusta porta, & arcta via, quæ ducit ad vitam.* Quòd si volumus difficultatem, & facilitatem in talibus ad spirituale conjugium adaptare, ut patet ex capitulis antedictis, semper sic se habet, quando omnia contrario modo facta concurrunt ad destruendum, quę requiruntur ad construendum, hujusmodi conjugium est destructum, loquendo de conjugio quantum ad ea quæ sunt Iurisdictionis, non quantum ad ea quæ sunt Ordinis. Hoc ergo dictum est quantum ad posse destrui: sed quantum ad facile, vel difficile destrui, dici potest quòd taliter potest accipi tale conjugium, quòd semper facilius destruetur quàm construatur: & taliter potest accipi quòd in aliquibus, & quantum ad aliqua facilior est constructio quàm destructio. In aliquo autem etiam simpliciter est èconversò: nam si accipiatur tale conjugium ut est meritorium; semper facillimè destruitur, quia semper potest quis facilius perdere gratiam, sine qua nullum potest esse meritum: sed si accipiatur tale conjugium ut est auctoritativum, & ut habet jurisdictionem, sive hoc fiat meritoriè sive non, in aliquibus quantum ad aliqua facilior est constructio quàm destructio, quod patet quia Episcopi possunt confirmari per Metropolitanos, tamen non possunt renunciare, nisi ex speciali consensu Papæ: ergo in talibus quantum ad hoc facilior est constructio quàm destructio: quod ideo est, quia Papa sic ordinavit: si autem vellet aliter ordinare, aliter esset. Sed in conjugio Papali prout est sponsus Ecclesiæ & habet jurisdictionem in totam Ecclesiam, facilior est destructio quàm constructio. Nam ad hoc quòd quis præficiatur in Papam, requiritur consensus eligentium, & electi: sed ad hoc quòd desinat esse Papa, sufficit sola renunciatio ejus. Nam invitis Cardinalibus, & Clero, posset etiam eis renúciare; ut poluimus exemplum de Cyriaco. Igitur non solùm ex jis quæ adducuntur ad causam formalem, & materialem, sed etiam ex his quę respiciunt causam efficientem, possumus hoc ostẽdere, & probare quòd Papa renunciare potest,

Quarto volumus hoc idem ostendere ex parte causæ finalis, quod faciliùs probatur. Nam illud, quod ad hunc finem, videlicet propter bonum publicum, constitutum est, contra bonum publicum militare non debet: sed ille qui factus est caput Ecclesiæ, propter bonum publicũ factus est: si ergo est insufficiens ad regendã Ecclesiam, & renunciare non posset, contra bonum publicum militaret. Quis enim esset tantæ dementiæ, quòd diceret Papam renunciare non posse, quidquid de eo esset, aut quidquid de eo contingeret, utputà si fieret fatuus, si esset ita debilis, & impotens corpore, quòd nihil de suo officio exercere posset, quòd ergo sic teneret Ecclesiam impeditam; & quòd renunciare non posset? Advertendum tamen quòd esse sufficiens vel insufficiẽs ad regendũ sive ad quæcumque talia, si referantur ad renunciationem, possunt facere ad meritum, vel ad demeritum, quia renunciando potest quis mereri, vel demereri: tamen quantum ad valere de jure, vel non valere, quicumque sit ille, qui renunciat, & quandocumque renunciat, si hoc faciat coram collegio Cardinalium, vel etiam coram Clerò, renunciatum erit, & desinet esse Papa, NOTA dato quòd illi contradicant. Nam ex superabundanti est, quòd fiat statutum quòd Papa renunciare possit, vel assentiat Clerus,

vel

vel quòd assentiant eligentes : hoc enim possunt facere ad quandam claritatem Iuris: ipsis tamen renitentibus , & invitis , potest Papa renunciare , & potest desinere esse Papa , quod (ut suprà diximus) Cyriacus fecit. Bonum tamen est talia statuere , & laudabile est in talibus assensum collegij Cardinalium advenire , ut talia ardua cum majori maturitate fiant , & utilitas publica plenius inde eveniat , & conscientia simplicium, qui nesciunt de tam arduis judicare , magis quiescat , & huic veritati magis consentiat: multa enim de se vera sunt , & de jure fieri possunt , quæ propter nos homines , qui malè nati sumus ad sciendum , & multum tempus apponimus in ignorantia , indigent quòd elucidentur , & quòd per quædam additamenta in notitiam publicam veniant.

His itaque prælibatis , postquam per quatuor genera causarũ declaravimus quòd Papa renunciare potest , volumus hoc idem quinta via declarare , adducendo auctoritates Doctorum Iuris , quid de hac materia decreverunt. Nam Cau. 7. q. 1. in c. *Non autem*, ub agitur , quòd cùm Aug. Valerio Episcopo adhuc vivente , factus esset Episcopus Hipponensis , quòd ei non succesit , sed potius accesit. Glossa ordinaria quæstionem movet in propria forma , Vtrùm Papa renunciare possit , & determinat quòd renunciare possit , assignans pro ratione, quoniam Marcellinus renunciavit, & etiam Clemens. Et Hug. dist. 21. in c. *Nunc autem*, hanc quæstionem in propria forma movet, quærens , An Papa posset hodie seipsum deponere , vel abrenunciare , & intrare Monasterium? Respondet quòd credit quòd sic, addit tamen , si expediret , & quòd aliàs peccaret. Quæ verba addita nihil faciunt ad posse renunciare , vel non posse, sed ad mereri , vel demereri : quia si crederet hoc expedire Ecclesiæ , & sic ageret , mereretur; si verò crederet non expedire , demereretur: sive tamen Ecclesiæ expediat , sive non expediat , ipse potest renunciare , sed videat quo animo id faciat , ne renunciando peccet. Idem etiam Hug. Cau. 7. q. 1. c. *Non autem*, hanc quæstionem movet in propria forma, dicens : Sed quid de renunciatione Papæ? numquid potest renunciare , quia vult transire ad religionem , vel quia est æger , vel senex? Et respondet quòd utique , ideſt quòd potest renunciare , assignans pro causa , quia Marcellinus renunciavit , ut habetur dist. 21. *Nunc autem*. Et Clemens etiam renunciavit , sicut habetur in gestis Rom. Pontificum.

CAP. VLTIMVM.

In quo imponitur finis huic libro, vel huic operi, quod intitulari volumus de Renuntiatione Papæ.

QVoniã huic operi , quòd intitulare volumus de Renunciatione Papę, volumus finem impone re , assumemus auctoritatem. Nam prima ad Corinth. 14. 1. *Corinth* 14. d. *Sed in Ecclesia volo quinque verba sensu meo loqui, ut & alios instruam : quàm decem millia verborum in lingua.* Hæc autem quinque verba , de quibus loquitur Apostolus , adaptare possumus ad quinque modos probandi , quos in præcedenti cap. adduximus quòd Papa renunciare potest. Vult enim Philosophus in 1. *Phys. t.* 1 1. Physicorum quòd *tunc arbitramur cognoscere unumquodque , cùm causas primas , & prima principia cognoscimus usque ad elementa.* Quæ secundùm Commentatorem non sunt accipienda synonimè , quia nomina synonima (ut ait) non utrantur in doctrina demonstrativa. Propter quod Philosophus cùm voluit declarare , qualiter habeatur scientia de rebus , dicens quòd habetur hujusmodi scientia , cognoscendo causas , principia & elementa , arbitrari debemus quòd ista non accepit synonimè , & quòd nec pro eodem accipit causas , principia , & elementa : sed , ut Commentator ait , per causas intelligit causam finalem , quæ antonomaticè dicitur causa, quia est causa causarum. Nam finis est causa omnium , quia forma est causa materiæ , cùm materia sit propter formam : & efficiens est causa formę , cùm efficiens introducat formam : & finis est causa efficientis , cùm finis moveat agentem , & faciat efficientem. Dicemus ergo quòd quia finis est causa ipsius efficientis , efficiens verò est causa formæ , & forma materiæ, ideo finis est causa causarum , ea propter per causas intelligit causam finalem , per principia intelligit causam efficientem , per elementa intelligit causas intrinsecas, quæ sunt materia , & forma : cognitio ergo rei ex suis causis est : eo ergo modo, quo possunt

rei

rei asſignari cauſa materialis, formalis, efficiens, & finalis, ſic res habet per illas cauſas cognoſci, & declarari. Sicut ergo procedebamus, ſed procedebamus per ſe, & ex his quæ ſunt conſona rei, quando probavimus per ea quæ reduci poſſunt ad cauſam formalem, materialem efficientem, & finalem, quòd Papa renunciare poteſt, ita quòd hujuſmodi quatuor cauſæ ſunt quatuor bona verba ad probandum propoſitum: ſuper addidimus tamen & quintum bonũ verbum, videlicet auctoritates Doctorum. Nam quæſtio propoſita de renunciatione Papæ poteſt dici Theologica, & poteſt dici Iuritalis, propter quod licèt apud Philoſophos debiliſsimus locus eſſe dicatur ab auctoritate, quia ipſi Philoſophi non innituntur niſi rationi: immo dicunt Philoſophi eſſe impedimentum ad ſcientiam credere teſtimonio famoſorum, ut ideo credat quis ſic eſſe, quia ſic dixit Ariſtoteles: ſed ſi videat rationes ejus, quare dicat ſic eſſe, plus credit rationi, quàm Ariſtoteli. In ſcientia tamen Theologiæ, & in ſcientia Iuris multùm valent auctoritates. Nam de ſacra pagina dicit Auguſt. 2. ſuper Gen. ad litteram, quòd *major eſt quippe ſcripturæ hujus auctoritas, quam omnis humani ingenij capacitas.* Et juriſtæ, leges & auctoritates Doctorum pro ratione accipiuntur. Vnde hæc dicunt de legibus, & hæc dicerent de auctoritatibus Doctorum juris, quòd dicerent Philoſophi de rationibus. Diceret enim quicumque Philoſophus, quòd verecundaretur quòd aliquid diceret, & rationem aſsignare neſciret: ſic etiam diceret Legiſta, quòd verecundaretur, ſi aliquid diceret, & legem aſsignare neſciret. Hoc idem ergo cenſendum eſt de auctoritatibus Doctorum juris, quia hujuſmodi doctores nihil dicunt, quod non innitantur legibus. Reſumamus ergo ſermonem noſtrum, & dicamus quòd ad inſtructionem, ideſt ad ædificationem aliorum ſenſu Pauli, ideſt clarè (& intelligere ſicut volebat clarè: & intelligit loqui Paulus in Eccleſia, quæ eſt una, & unita, ideſt ad unitatem Eccleſiæ, ne fieret ſciſſura in Eccleſia, & ne aliqui vellent ſibi præficere aliud caput) ad probandum, & oſtendendum eſſe verum, & legitimum ſponſum Eccleſiæ Sanctiſsimum Patrem D. Bonifacium Papam octavum, diximus quinque verba, quia quinque modis, videlicet per quatuor genera cauſarum, & per auctoritates Doctorum Iuris, probavimus,

Locus ab auctoritate humana infirmus: à divinaverò validiſsimè ſavet.

Aug. 2. ſup. Gen. ad litt.

quòd Papa Cœleſtinus renunciare potuit: quo probato, conſequens eſt quòd ipſe ſit verus, & legitimus ſponſus Eccleſiæ: quæ quinque verba prævalent decem millibus verborum in lingua. Diximus autem, quòd quæ loquimur in Eccleſia debere loqui ſenſu Pauli, ideſt intelligibiliter, ſicut loquebatur Paulus. Nam intelligibile poteſt dici dupliciter, primò ex parte rei de qua loquitur, & ſic quicumque dicit verum loquitur intelligibiliter: & quicumque loquitur falſum, loquitur non intelligibiliter: nam falſum non intelligitur, quia non eſt, propter quòd Auguſtinus 83. quæſtionum q. 33. ait: *Quiſquis ullam rem aliter, quàm ea quæſt. q. 33 res eſt intelligit, fallitur: & omnis qui fallitur, id, in quo fallitur, non intelligit.* Propter quod ſequitur quòd nullum falſum ſit intelligibile. Alio autem modo dicitur quis loqui intelligibiliter, non ſolùm ex parte rei de qua loquitur ſi loquitur verum, ſed etiam ex parte modi ſecundùm quem loquitur, ſi veritatem illam proponat clarè, non obſcurè. Quantum autem ad primum modũ ſemper Paulus loquebatur intelligibiliter, & ſemper nos debemus loqui intelligibiliter: quia ſemper debemus dicere veritatem: ſed quantum ad ſecundum modum, ut utrùm veritatem illam proponamus clarè, & faciliter: vel obſcurè, & difficulter, relinquitur judicio prudentis. Nam Paulus in ſuis Epiſtolis locutus eſt non faciliter, ſed habuit gravem ſtilum, & fortem ad intelligendum. Quod ideo fecit, ne ſanctum daretur canibus, ideſt ne ſua ſancta verba exponerentur morſibus hæreticorum, vel morſibus Pſeudoapoſtolorum: ſed in ſuo ſermone loquebatur ita clarè, & ſine difficultate ut Pſeudoapoſtoli eum inde contemnerent, & reputarent eum idiotam. Ideo dicitur 2. Corinth. 10. *Epiſtolæ (inquiunt) graves ſunt & fortes*, ſupple ad intelligendum: *præſentia autem corporis infirma, & ſermo contemptibilis.* Dicebant enim alij de Paulo (ut ipſemet ait) quòd Epiſtolæ ſuæ erant graves, & fortes ad intelligendum, ſed ſermo ſuus erat ita communis, & planus, ut diceretur ab alijs eſſe contemptibilis.

Matth. 7. dd

2. Cor. 10. c.

Revertamur ergo ad auctoritatem propoſitam, & dicamus quòd nos debemus loqui in Eccleſia non extra Eccleſiam, quia debemus loqui ad Eccleſiæ unitatem. Debemus loqui verba, ideſt verum boantia, quia debemus loqui veritatem. Dicitur enim

ver-

verbum ; quasi verum boans , quia nostrum dictum si debet approbari , oportet quòd contineat veritatem. Et ista verba , si volumus aliquid probare & aliquid ostendere , possunt esse quinque , quatuor scilicet juxta quatuor genera causarum , & quinto per auctoritates, Dicuntur etiam hujusmodi quinque verba esse dicta sensu Pauli quàtum ad intelligibilitatem : ut exinde adversarij evidentiùs confundantur. Et dicuntur esse hujusmodi verba ut alios instruamus quantum ad profectum & utilitatem , quia hic est profectus , & utilitas doctrinæ , ut alij inde instructionem suscipiant. Ex his autem omnibus concludamus , quòd quicúque asserunt Dominum Bonifacium Papam VIII. esse sponsum Ecclesiæ , ipsi non loquuntur extra Ecclesiam , sed in Ecclesia, quia quæ loquuntur , sunt ad Ecclesiæ unitatem, Nam Ecclesia figurata est per illam tunicam Christi inconsutilem , quę erat desuper contexta per totum, quæ non fuit scissa , sed indivisa remansit. Fecerunt enim milites de vestibus Christi quatuor partes: tunicam autem illam inconsutilem noluerunt scindere, quia , ut exponit Augustinus, quadripartita vestis Domini nostri Jesu Christi quadripartitam significavit ejus Ecclesiam , quatuor , scilicet partibus diffusam , & in eisdem concorditer distributam: tunica vero illa sortita , omnium partium significat unitatem. Non enim casualiter, sed Divina providentia factum est , quòd tunica illa non scinderetur , ut cognoscant quàm gravissimæ peccant , qui volunt scindere sanctam Ecclesiam matrem nostram. Secundò , ea quæ loquimur , dicuntur esse verba , ideſt verum boantia , quia dicuntur continere veritatem. Et si non possumus loqui omnia quinque verba , quia fortè nescimus per omnia quatuor genera causarum discurrere , & nescimus quintum verbum addere , quia nescimus sufficienter auctoritates ad propositum enarrare : ea tantum quæ diximus dicuntur esse verba , ideſt verum boantia , quia dicuntur coutine veritatem , ut cognoscatur quàm gravissimè peccant , qui non in Ecclesia , sed extra Ecclesiam , vel quod pejus est contra Ecclesiam asserunt falsitatem. Tertiò hujusmodi verba dicuntur esse prolata sensu Pauli quantum ad intelligibilitatem , quia non debemus rationes ponere intricatas , ut possimus personas simplices involvere : nam quamvis apud intelligentes de rationibus illis nulla sit difficultas, simplices tamen possent per eas decipi , & involvi. Quartò & ultimò sunt hujusmodi verba proponenda, ut alios instruamus , & ad aliorum utilitatem , & ad Ecclesiæ ædificationem , non ad animarum argumentum , & ad Ecclesiæ destructionem. Nam quanta utilitas provenire habet ex capite ad membra : quãtum etiam nocumentum , & quàm periculosum est impingere in caput Ecclesiæ , Deus nos instruit , cùm ait : *Estote ergo prudentes sicut serpentes.* Vbi Hieronymus ait , quòd serpentis astutia ponitur in exemplum , quia toto corpore occultat caput : exponit enim totum corpus periculo pro custodia capitis. Et quia caput nostrum est Christus , cujus Vicarius est summus Pontifex Dominus Bonifacius , ideo contra impugnantes ipsum non solùm corpus , sed & vires nostras , & animam nostram debemus exponere. Et in hoc terminatur hìc liber , in quo agitur de Renunciatione Papæ. Laus sit inde Domino Jesu Christo , qui cum Patre , & Spiritu Sancto est unus Deus benedictus in sæcula sæculorum, Amen.

Ecclesia.

Joh. 19. c.

Verbum cũ dicimus, prima ejus syllaba verum significat,

secunda sonum : hæc enim idem est quòd sonus. Virg. lib. 3. Greg. Roboant sylvæ. Vnde verbum dictum est à verum boando , hoc est, verum sonando.

Matth. 10. b



B. ÆGIDII ROMANI

ARCHIEPISCOPI BITURICENSIS ECCLESIÆ, ET PRIMATIS AQVITANIÆ, ORDINIS FRATRUM EREMITARUM SANCTI AUGUSTINI, GENERALIS MAGISTRI, ET DOCTORIS FVNDATISSIMI, TRACTATUS DE DIVINA INFLUENTIA IN BEATOS.

CAP. I.

In quo probatur quinque vijs, quòd influentiam illam, qua beatificantur omnes Angeli tam superiores, quàm inferiores, & etiam homines, Deus non per aliùm, sed immediatè facit per se ipsum.

DIGNATVS est Venerabilis Pater Dominus Legionum per interpositam personam de quæstione quadã prægnante, & ad triumphantem Ecclesiã pertinente, nostrum animum commovere, videlicet: Vtrum Angeli inferiores, & quilibet eorum recipiat aliquam influentiam specialé à Deo, præter influentiam, quam recipiunt mediantibus superioribus Angelis? Diximus autem hanc quæstionem fore prægnantem: quia fortè per eam poterit descendi ad Ecclesiam militantem: Vtrum scilicet expediat Santissimum Patrem Dominum nostrum summum Pontificem exemptionem facere in Ecclesia Dei: ut immediatè influat, & immediatè regat aliquos in Dei Ecclesia, non mediantibus Prælatis medijs? Nam licèt Deus regat substãtiam corporalem, mediante spirituali, & corpora inferiora mediantibus superioribus: facit tamen aliquando præter hunc ordinem, quia sanavit multos ægrotos, qui secundùm ordinem superiorum corporum erant insanabiles: & suscitavit Lazarum in monumento quatriduanum, habentem illud idem esse numero, quod priùs habebat: quod est contra ordinẽ influentiæ Cœli, dicente Philosopho in de Generat. Quorum substantia deperit, non redeunt eadem numero. Dicendum ergo ad quæstionem primò, quòd cùm quæritur: Vtrũ Angeli inferiores, & quilibet eorum recipiat aliquam influẽtiam specialem à Deo præter influentiam quam recipit mediantibus superioribus Angelis; non est quæstiõ de influentia beatifica, quia illa est generalis, & non pertinet ad propositam quæstionem: quoniã loquentes de influentia secundùm quàm habet esse beatitudo beatorũ quæ est ipse Deus, illa immediatè derivatur à Deo in singulos Angelos, & beatos: nam Deus ipse per se ipsum, & sine alio medio est beatitudo nostra, juxta illud Genes. 15. *Noli timere Abraham, ego protector tuus, & merces tua magna nimis.* Ipse ergo Deus est merces nostra: unde servimus Deo non propter aliud præmium habendum, sed propter habendũ ipsum Deũ. Primò ergo debemus quærere regnum Dei quod est ipse Deus, posteà omnia alia adjiciẽtur nobis: propter quod tanquam adjecta debemus quærere alia à Deo, sed propter se ipsum tanquam beatitudinem nostram, & tanquam principalem mercedem nostram debemus quærere ipsum Deum, juxta illud Aug. 1. Confess. Ad te nos fecisti Domine, & inquietum est cor nostrum donec requiescat in te. Oportet ergo quòd beatitudo nostra, in qua quiescit cor nostrum, & mens nostra, sit ipse Deus. Possumus autem enumerare quinque vias, per quas irrefragabiliter ostendi poterit, quòd beatitudo nostra est ipse Deus per se ipsum: & quòd nihil infra Deum, & nihil aliud à Deo potest beatificare non solùm nos, sed etiam Angelos, de quibus est mota principalis quæstio: ut prima via sumatur ex Divina immensitate: secunda ex ejus interioritate: tertia ex ejus realitate: quarta ex ejus universitate: quinta ex ejus quietatione, & satietate. Prima via sic patet: Est enim per se notum, quòd si aliquod vas potest capere tantum vinum, minus vinum quàm illud, non potest illud vas replere: ut si potest capere vas aliquod quintam vini, vel modium, vel quantumcumque vinum, minus vinum quàm illud, non potest vas illud replere. Cùm ergo anima, & Angelus possit capere tantum bonum, quantum est ipse Deus, minus bonum quàm ipse Deus nõ potest nec ani-

animam nec Angelum replere ; & quia secũ- A dùm Augusti. 10. Confess. non sumus beati, donec dicamus satis est, idest donec simus gaudio, & bonitate Dei impleti : ideò potentes capere tantum bonum quantum est Deus, minus bonum quàm Deus nos beatificare & replere non potest. Quòd autem nos possimus tantum bonum capere quantum est Deus, patet ex hoc quòd sumus ad imaginem, & similitudinem Dei. Nam secundùm August. anima est imago Dei, ex eo quòd ejus capax, & particeps esse potest. Secunda via ad hoc idẽ sumitur ex Divina interioritate vel intimitate. Nam secundùm August. in lib. Confess. & in pluribus locis, Deus est intimior cuilibet rei quàm ipsa res sibi. Est enim Deus, secundùm eundem ibidem, intimior intimo nostro. Cùm ergo quilibet Angelus, & quælibet intelligentia non sit quanta, nec sit quid extensum, nec quid divisibile, juxta illud Magistri de Causis, intelligentia est substantia, quæ non dividitur : nihil potest illabi Angelo vel animæ sive cuicumque substantiæ spirituali, nisi illud quod potest illabi substantiæ ejus : hoc autem est solùm Deus, qui illabitur substantiæ vel essentiæ etiã spirituali. Dicemus ergo quòd Angelum vel animam vel quamcumque substantiam spiritualem velle beatificari vel satiari aliquo bono quàm Divino, est velle satiari bono, quod non illabitur sibi nec intrat in ipsum : sed, ut patet, C si tota aqua maris projiceretur circa testam unius ovi, vel circa testam unius nucis, & nihil de illa aqua intraret in hujusmodi testam, tota talis aqua non satiaret talẽ testam. Magna est ergo fatuitas cujuscumque hominis volẽtis satiare animam suam de pecunijs, vel de quibuscumque bonis exterioribus, cùm hujus. modi bona in animam intrare non possint : possunt enim talia bona satiare bursam, in quã intrare possunt : sed Angelum vel animam in quam intrare non possunt, nequeunt satiare. Solus ergo Deus, qui potest illabi nobis, & subintrat essentiam Angeli vel animæ, potest D Angelum vel animam satiare, & beatificare. Tertia via ad hoc idem sumitur ex Divina realitate : nam magna differentia est inter habere principaliter ipsam rem, vel rei speciẽ sive intentionem. Experitur enim quilibet in se ipso, secundùm quod habetur in primo cap. can. Jacobi, de homine considerante vultum nativitatis suæ in speculo : consideravit enim se, & abjit, & statim oblitus est qualis fuerit. Quisque enim experitur in se ipso, quòd si centies, vel pluries consideraret imaginem suæ faciei in speculo, non ita recordaretur de ea, sicut recordaretur semel videndo faciẽ alicujus alterius. Ex quo apparere potest quãta differentia sit inter rem, & speciem vel imaginem rei. Cùm ergo secundùm Philosophum in 3. de Anima. Res non sunt in anima, sed species vel similitudines rerum : quantumcumque istæ species vel similitudines multiplicentur, non implebunt vel satiabunt animam. Solus ergo Deus, qui secundùm se ipsum & realiter potest esse in anima, poterit animam satiare, & beatificare, juxta illud August. 4. Confess. loquentis ad Dominum in se ipso & suprà, ubi ergo te inveniam ut me docentem nisi in te & supra me ? Anima ergo invenit Deum in se ipsa, & supra se ipB sam, & intra se ipsam : quia anima non est in Deo, nisi quia Deus est in anima, juxta illud Qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo. Non quæramus ergo Deũ realiter longinquum à nobis, quia ipse Deus per se ipsum realiter est in nobis : immò secundùm August. 3. lib. Confess. Cùm sumus longinqui à Deo per peccatum, nos avertendo, ipse est propinquus nobis piè & misericorditer nos in nostro esse manutenendo, & conservando. Quarta via ad hoc idem sumi. potest ex Divina universitate : nam quælibet creatura est quoddam particulare bonum : solus autem Deus est universale bonum : quam materiam diffusè tractat August. 8. de Trinit. cap. 3. ubi ait : Quid plura & plura ? Bonum hoc, & bonum illud, tolle hoc & illud, & vide ipsum bonum si potes, ita Deum videbis, non alio bono bonum, sed omnis boni bonũ. Quælibet ergo creatura est quoddam bonum particulare, quia est bonum hoc, & bonum illud : sed solus Deus est bonum universale, quia non est particulariter bonum hoc vel bonum illud, sed est universaliter omne bonum, & omnis boni bonum, ut patet ex sententia auctoritatis præfatæ. Arguatur ergo sic : anima vel Angelus habens rationem, & intellectum, est apta nata ferri in bonum universale : quia, ut ait Commentator in de Anima. Intellectus est qui facit universalitatem in rebus : nullum ergo bonum particulare poterit Angelum, vel animam satiare vel beatificare : cùm bonum universale sit longè quid majus quàm bonum particulare : solus ergo Deus, qui est bonum universale, & nulla creatura, quia quælibet est quoddam bonum particulare, poterit animam satiare vel beatificare. Quinta via ad hoc idem sumitur ex Divina quietatione, & satietate : nam quandiu aliquid est in motu, non quiescit : cùm ergo per ea quæ sunt ad finem, tendimus in ipsum

sum finem, quamdiu sistimus in his quę sunt ad finem, tandiu sumus in motu, & non quiescimus. Cùm ergo omnes creaturæ ordinentur ad Deum tanquã ad finem, in nulla creatura, simpliciter loquendo, potest esse quies: quia nulla creatura est finis simpliciter vel finis omnium: solus autem Deus est finis omnium, quia solus ipse, ut vult Comment. in 1. Metaphys. se habet in triplici genere causæ respectu omnium, quia ipse est omniũ causa efficiens, omnium causa formalis exemplaris, & ipse solus est causa finalis vel finis omnium. In ipso ergo solo potest esse quies, & beatitudo nostra: nam cùm omnis creatura sit quid labile, & quid mobile, in nulla creatura potest simpliciter esse quies: quia qui labenti innititur, oportet quòd cum labente labatur. Redeamus ergo ad quæstionem propositam, & dicamus quòd cùm Deus per se ipsum, & sine aliqua creatura media tam Angelos, quàm animas lætificet, ideò cùm quæritur: Vtrum Angeli inferiores, & quilibet eorum recipiat aliquam influentiam specialem à Deo præter influentiam quam recipit mediantibus superioribus Angelis: si hujusmodi quæstio quærat de influẽtia Divina, per quam fumus à Deo beati, quia talis influentia esse nõ potest sine collatione gratię consũmatæ vel sine collatione gloriæ, secundùm quam Deus per se ipsum nos beatificat, & glorificat, patet quæstionem nullam esse: quia Deus per se ipsum quemlibet Angelum, & quamlibet animam glorificat, & beatificat. Non ergo quantum ad hujusmodi influentiam, & beatificationem beatificat Angelos inferiores per superiores, sed quemlibet Angelum tam inferiorem quàm superiorem, & etiam quãlibet animam beatificat per se ipsum.

CAP. II.

Quòd licèt Angeli fuerint beati videndo, & diligendo Deum trinum & unum: homines tamen nunquam fuerunt beati in re, licèt fuerint beati in spe, non videndo Deitatem, & Humanitatem Christi.

POstquam declaravimus quid tenendum sit de influentia, quam facit Deus in Angelos, secundùm quam sunt beati, quia Deus beatificat Angelos omnes tam superiores quàm inferiores, & etiã animas omnes immediatè per se ipsum: volumus declarare quid dicendum sit de influẽtia vel impetu, quem facit Deus in Angelos, vel secundùm quem Deus revelat Angelis quę spectant ad regimen universi. Sed antequam hoc fiat, quia quidam circa beatitudinem erraverunt, dicentes quòd non oportet ad hoc quòd aliqui sint beati, quòd videant Personarum trinitatem: sed sufficit quòd videant essentiæ unitatem. Sed hoc stare non potest: nam visio succedet fidei, juxta illud Psalm. *Sicut audivimus, sic vidimus in civitate Dei nostri.* Ea ergo quæ nunc per fidem audimus (quia ut dicitur ad Rom. 10. Fides est ex auditu) in civitate Dei nostri, ideſt in Patria videbimus, & dicemus illud Psalmi, sicut audivimus in via, sic vidimus & videmus in Patria. Consuetudo enim est Scripturæ sacræ, sępè ponere præteritum pro præsenti, vel etiam pro futuro, ad notandum stabilitatem, & firmitatem eorum, quæ dicuntur in sacra Scriptura. Nam sicut quod factum pro infacto haberi non potest, quia tanta est immutabilitas rei factæ vel rei præteritæ, quòd etiam ab ipso Deo negamus non posse facere, facta non esse facta, vel præterita non esse præterita, juxta illud quod dicitur in Ethicis de Agatone, *Hoc enim solo Deus privatur, ingenita facere, quæ utique facta sunt.* Ad hanc ergo stabilitatem, & immutabilitatem insinuandam, quod potuit dici in præsenti, quia cùm erimus in Patria, dicimus: sicut audivimus in via de unitate essentiæ, & trinitate Personarum, sic videmus in Patria: Scriptura tamen sacra posuit in præterito quod ibi dici poterit in præsenti, sicut audivimus, sic vidimus, tamen verè ibi dici poterit, sic videmus. Redeamus ergo ad propositum, & dicamus, quòd fidei viæ succedet visio Patriæ, quæ visio erit tota merces, ut potest patere per August. 1. de Trinit. cap. 8. & 9. Quod non sic intelligendum est, quòd visio sit tota merces prout est separata ab amore, & delectatione: nam videre quod non diligitur, vel quod non delectat, magis esset ad pœnam quàm ad gaudiũ, & magis esset miseria quàm beatitudo. Concedimus enim (& semper hæc positio nobis placuit) quòd beatitudo nostra principaliùs consistit in amore, & delectatione, quæ est actus voluntatis, quàm in cognitione, & visione, quæ est actus intellectus. In utroque enim consistit beatitudo nostra tam in actu intellectus, quàm in actu voluntatis: sed principaliùs consistit in amore, qui est actus voluntatis, quàm in visione, quæ est actus intellectus. Consuevit enim dici in vulgari nostro, cùm quis videt quod non diligit, forrè odit, & sibi displicet, quod oculos habeat.

quando videt illud. Vnde quia impossibile est, quòd aliquis videat tantum bonum, quantum est Deus, & non diligat illud vel non delectetur in illo, ubi nihil est non amabile, & non delectabile: ideò dicit Augustinus in locis præassignatis, quòd visio est tota merces, accipiendo visionem, ut includit dilectionem, & delectationem. His itaque prælibatis, quòd fidei succedet visio, cùm sint articuli fidei, non solùm de Deo uno in essentia, sed de Deo trino in Personis, visio nostra beata in Patria succedens fidei in via, non solùm erit de Deo uno in essentia, sed de Deo trino in Personis. Vtrumque ergo videbimus clarè & apertè, Deum unum essentialiter, & trinum personaliter. Immò hæc visio non sufficiet ad beatitudinem, sicut non sufficit ad fidem credere Deum unum, & trinum, nisi credamus ipsum incarnatum quantum ad Personam Filij, quia sola Persona Filij est incarnata. Nam licèt tota Trinitas induerit Filium carne, quia Pater, & Spiritus sanctus induerunt Filium carne, & Filius induit se ipsum carne: propter quod licèt fuerint tres induentes: una tamen sola Persona est induta carne, juxta illud Symboli Athanasij: qui vult ergo salvus esse, ita de Trinitate sentiat. Sed necessarium est ad æternam salutem, ut incarnationē quoque Domini nostri Iesu Christi fideliter credat. Non ergo sufficit credere Deum unum, & trinum, nisi credamus Dei Filium incarnatum, passum, mortuum, sepultum, & resurrexisse: quæ omnia, Dominus Ioan. 17. volens tractare de nostra vita æterna, quæ est beatitudo nostra, tangit, cùm ait: Hæc est vita æterna, ut cognoscant te solum verum Deum, & quem misisti Iesum Christum. In quibus verbis, ut per Augustinum patet super Ioannem, & habetur in Glosis communibus, oportet, quòd intelligatur Spiritus sanctus, qui est charitas substantialis amborum, scilicet Patris, & Filij: tota ergo Trinitas, Pater, Filius, & Spiritus sanctus, est solus, & unus Deus, ut exponit Augustinus *ibidem*. Sed cōtra omnia hæc dici posset: quia videtur, quòd visio unius Personæ sufficiat ad beatitudinē, juxta illud Ioannis 14. *Ostende nobis Patrem, & sufficit nobis*. Sed hoc satis est solutum per verba ipsius Christi respondentis Philippo, dicenti: Ostende nobis Patrem, &c. Philippe, qui videt me, videt, & Patrem. Nam quantū ad Deitatem non potest una Persona videri sine alia: sicut non potest una Persona operari sine alia. Nam cùm omnes tres Personæ habeant unam & eandem essentiam, habēt unam & eandem virtutem, & unam & eādem operationem: igitur propter unitatem essentiæ non videtur una Persona sine alia. Immò, quia relativa sunt simul natura, ideſt naturali intelligentia, non solùm propter unitatem essentiæ nō videtur una Persona sine alia, quia quod quid est, est objectum intellectus: sed etiam propter oppositionē relativam non videtur vel non intelligitur una Persona sine alia, cùm relativè opposita, sint simul natura. Rursus etiam objici posset, quòd cùm Deitas sit principale objectum beatitudinis, videtur quòd humanitas non pertineat ad hujusmodi objectum. Ad quod dici potest, quòd etsi humanitas non est objectum principale beatitudinis nostræ, est tamen objectum annexum, sine quo non potest esse beatitudo nostra. Nā usque ad passionem Christi, quotquot objerunt de sanctis Patribus, non fuerunt beati in re, quia non videbant Deum: sed fuerunt beati in spe, quia habebant firmam spem videndi Deum. Propter quod decedentes ante passionem Christi, si quid habebant purgandum, ibant ad Purgatorium: postquam erant purgati ibant ad sinum Abrahæ, ideſt ad Limbum sanctorum Patrum. Nam, ut communiter dicitur, ordo conversus fuit in Adam, & in nobis: nam ibi persona infecta infecit naturam: in nobis autem natura infecta infecit personam. Et ideò non possumus videre Deum, nisi sit satisfactum pro utraque infectione, naturæ scilicet, & personæ. Cùm autem omnis natura generabilis, & corruptibilis, ut apparet in natura humana, quantum est de se quodammodo sit infinita saltem potentia, quia de se est multiplicabilis in infinitum, licèt non possit esse actu multiplicata in infinitum: & cùm solus Deus sit quid infinitum, non poterit pro tota natura nostra satisfacere, nisi Deus. Nam secundùm August. lib. 12. de Trinit. cap. 10. Si alius modus fuit possibilis, nostræ tamen sanandæ miseriæ nullus fuit congruentior. Vsque ergo ad diem passionis Christi, qui fuit mortuus pro salute nostra, non fuit satisfactum sufficienter pro natura nostra: eo autem mortuo, aperta fuit janua cœlestis; & omnes, qui erant in Limbo sanctorum Patrum, viderunt Deum: & ideò dictum fuit Latroni, hodie mecum eris in Paradiso: quia eodem die, quo mortuus fuit Christus, mortuo latrone, anima ejus vidit Deum. In utroque ergo stabit beatitudo nostra, in visione Deitatis, & humanitatis Christi, licèt principaliùs sit in visione Deitatis. In visione tamen humanitatis, & si non erit simpliciter, erit saltem tanquam in illo sine quo non contingit nostra beatitudo: cùm ante in-

carnationem Christi, & ante ejus passionem, & mortem, nullus purus homo fuerit beatus. De hoc ergo poterit exponi quod dicitur Ioã. 10. *Ego sum ostium, per me si quis introierit, salvabitur* : ingredietur, videndo Deitatem; & egredietur, videndo humanitatem : & pascua inveniet, quia utrobique erit gaudium, & delectatio nostra. Sciendum tamen quòd ante resurrectionem Christi, sancti in Limbo viderunt humanitatem Christi saltem quantum ad animam illuc descendentem : sed post resurrectionem Christi, viderunt humanitatem secundùm se ipsam, & quantum ad totũ. Concludamus ergo, & dicamus quòd aliqua sunt, quæ omnes beati vident, videlicet, unitatem essentiæ, trinitatem Personarum, & humanitatem Christi, sine qua, & si fuit beatitudo Angelorum, non tamen fuit beatitudo hominum. Quantum ergo ad unitatem essentię, & trinitatem Personarum, quilibet, tam Angelus, quàm homo, est beatus ab ipso Deo per ipsum Deum, & in ipso Deo per se ipsum. Sed quantum ad regimen universi propter salutem electorum, non solùm ordo superior Angelorum illuminat ordinem inferiorem, sed etiam in uno & eodem ordine Angelus superior illuminat inferiorem. Nam cùm legitur quòd Seraphim clamabant alter ad alterum, potest exponi ille clamor de eo quòd petebat doceri alter ab altero. Quantum ad hoc ergo potest adaptari quæstio proposita, videlicet : Vtrum Angeli inferiores, & quilibet eorum recipiat aliquam influentiam specialem &c. quæ quæstio in sequenti capitulo poterit determinari.

Isai. 6.

CAP. III.

Quòd licèt Deus beatificat omnes Angelos, & homines immediatè per se ipsum, tamen quàtum ad ea quæ spectant ad regimen universi illuminat, & docet medios Angelos per supremos : & inferiores per medios.

QVM quæsitum sit de influentia sive de illuminatione inferiorum Angelorum per superiores; ideò ad evidentiam quæstionis propositæ sciendum, quòd super illo verbo 1. ad Corint. 15. *Deinde finis : cùm tradiderit regnum Deo, & Patri, & evacuaverit omnẽ principatum, & potestatẽ, & virtutẽ*, &c. Vult Glosa quòd dũ durat mundus, Angeli Angelis, dæmones dæmonibus, & homines hominibus præsunt ad utilitatem viventiũ, vel ad deceptionem : sed omnibus collectis, cessabit omnis prælatio, quia non erit amplius necessaria. In consummatione quidem sęculi, quando perfectus erit numerus electorũ, cessabunt omnes hujusmodi illuminationes, secundùm quas inferiores Angeli docentur à superioribus de regimine universi, ut hereditatem capiant electi. Ideò dicitur ad Hebr. 1. quòd omnes sunt administratorij spiritus, in ministerium missi propter eos qui hereditatem capiunt salutis, ideſt, propter electos. Advertendum ergo, quòd in Angelis est duplex missio, ad exteriora, & interiora : quod satis potest haberi per id quod dicitur Isai. 6. Et volavit ad me unus de Seraphim, & in manu ejus calculus, quem forcipe tulerat de altari &c. Constat autem quòd non fuit de ordine Seraphim Angelus missus ad Isaiam : quia tota prima Hierarchia continens tres ordines, quorum supremus est Seraphim, est in vestibulis Dei secundùm Dionys. Nullus ergo illorum ordinum mittitur ad hæc exteriora. Ideò secundùm Dionys. 8. de Angelica Hiararch. ille Angelus fuit de inferioribus ordinibus, quia soli inferiores ordines mittuntur, non superiores : vel saltem nullus de suprema Hierarchia mittitur ad hęc exteriora. Dictus autem est Seraphim ille Angelus missus, non ratione ordinis, quia de inferioribus erat : sed ratione administrationis, ideſt ratione officij. Nam Seraphim interpretantur incendentes, ideſt, igniti, quia toti ardent amore charitatis. Ille ergo Angelus missus ad Isaiam, qui forcipe accepit calculum de altari, ideſt, lapillum, qui calculus vel qui lapillus erat ardens, & ignitus, de igne qui erat in thuribulo illius altaris, & cũ illo calculo ignito tetigit labia Isaiæ, & incendit, & combussit ea, & hoc modo purgavit labia ejus : propter hujusmodi incendium, & adustionem dictus est Seraphim, ideſt incẽdés. Ergo secundùm Dionys. non omnes Angeli, sed soli inferiores mittuntur. Sed quia Apostolus dicit ad Hebr. 1. quòd omnes Angeli sunt administratorij spiritus, in ministeriũ missi propter eos, qui hereditatem capient salutis, ideſt, propter electorum salutem : ideò, ut diximus, oportet nos distinguere de missione, ut dicamus, quòd omnes Angeli mittuntur vel ad interiora, & sic mittuntur quãtumcumque supremi : vel ad exteriorã, & sic mittuntur soli inferiores. Nam & Personę Divinæ dicuntur mitti. Solus enim Pater secundùm Augustũ, non dicitur missus, quia non est ab alio : Filius autem, & Spiritus sanctus dicũtur missi visibiliter, & invisibiliter. Filius enim missus est visibiliter in carnem, cùm fa-

cus est homo. Et Spiritus sanctus missus est A invisibiliter in specie flatus, cùm Christus insufflavit in discipulos suos, dicés: *Accipite Spiritũ sanctum.* Et in specie columbæ, cùm à Ioanne Christus baptizabatur. Et in specie ignis, in die Pentecostes. Et sicut utrique tam Spiritus sanctus, quàm Filius, missi sunt visibiliter: sic utrique mittuntur quotidie invisibiliter. Nam Filius mittitur invisibiliter ad illuminandum intellectum, Spiritus sanctus ad inflammandũ affectum. Sed cùm mittuntur Personæ Divinæ, non mittuntur ubi non erant, sed qualiter nõ erant, non mutando loci situm, sed supplendo nostræ naturæ defectum, ut Beda dicit. Hoc ergo modo possumus intelligere, quomodo mittuntur Angeli quantũcumque superiores. B Nam cùm Angeli superiores illuminant inferiores, dicuntur mitti ad illos, quos illuminant de gubernatione mundi, & de regimine universi. Cùm ergo quæritur: Vtrum Angeli inferiores, & quilibet eorum recipiat aliquam influentiam specialem à Deo præter influentiam, quam recipit mediantibus superioribus Angelis. Dici potest quòd si loquamur de influentia, per quam fit homo vel Angelus beatus, illam causat in nobis per se ipsum immediatè solus Deus. Sed si loquamur de influentia illuminationis quantum ad regimen universi, quia illam causat Deus in Angelos inferiores mediantibus superioribus, juxta illud Dionys. 4. de Ang. Hierar. dicentis: TanquãC Divino legali ordine promulgato per prima secunda in Deum reduci. Et idem ibidẽ cap. 8. Hoc est enim omninò Divino ordine divinitus promulgatum per prima secunda participare Divinis illuminationibus. Est ergo ordo, & lex Divinitatis infima per media in suprema reducere. Quilibet enim Angelus vidẽdo Deum, & diligendo Deum est beatus immediatè per Deum. Sed licèt quilibet Angelus videat Deum tanquam quoddam speculũ, non tamen quilibet videt in illo speculo omnia quæ relucent in ipso: sed continuẽ quandiu durabit mundus, Deus revelat Angelis superioribus D ea quæ disposuit facere in universo pro salute electorum. Et ibi est tantus ordo, & tanta armonia, ut illuminationes de regimine universi fiant in Angelos medios per superiores, & perveniãt hujusmodi illuminationes usque ad inferiores per medios. Et non solùm secundùm hujusmodi illuminationes ordo superior illuminat inferiorem, sed etiam in uno, & eodem ordine Angelus superior illuminat inferiorem; quia legitur ipios Seraphim clamare alterũ ad alterũ, qui clamor non est aliud nisi quòd unus petit doceri, & illuminari ab altero. Verùm quia non videtur quæstio adhuc esse soluta, cũ quærat, utrum aliquam influentiam recipiant Angeli inferiores immediatè à Deo, præter illã, quã recipiunt mediantibus superioribus Angelis; quòd si dicatur quòd recipiunt hujusmodi influentiã, per quã fiunt beati immediatè à Deo omnes Angeli, quia Deus omnes beatificat immediatè per se ipsum; adhuc remaneret quæstio de illuminatione quãtũ ad regimen universi: Vtrũ quantũ ad hujusmodi regimen Deus immediatè illuminet inferiores Angelos per se ipsũ. Ad quod dici potest, quòd sicut est unus magister in Cathedra, qui loquitur, & movet aures omniũ discipulorum; sic unus est Deus magister in cœlis, qui facit impetũ, & movet intellectũ omnium Angelorum. Et sicut aliqua sunt in doctrina magistri sic cõvenientia, & levia, quòd ea omnes capiunt; aliqua verò quę soli perspicaciores capiunt: & de illis perspicaciores docẽt, & illuminãt minùs perspicaces. Sic Deus stabilis in se manens dat cuncta moveri, & movet, & facit impetũ de isto regimine universi, quomodo vult, quòd universũ regatur, & gubernetur: & per hujusmodi motũ, & impetũ aliqua sunt quæ omnes Angeli percipiunt; aliqua verò quæ soli perspicaciores percipiũt: & de illis qui sunt perspicaciores, & superiores illuminant inferiores, & minus perspicaces. Vnde Dion. 4. de Div. Nom. Deũ assimilat soli: quia sicut sol illuminat omnia: tamẽ qui habẽt oculos magis claros, magis percipiũt lumẽ solis; & per hujusmodi lumẽ vidẽt multa, quæ non vident alij. Sic & in proposito, ut hoc modo per dictũ modũ quæstio sit soluta, prout tangit Ecclesiã triumphantẽ. Advertendũ tamẽ quòd prout prędicta quæstio erat prægnans, & prout per eã poterat descendi ad Ecclesiã militantẽ quantũ ad exemptionẽ per quã fit magis immediatũ, quod non erat sic immediatũ. Nã semper summus Pontifex intelligitur esse ordinarius ubique, & posse ad se reservare ordinariã, & immediatã cognitionẽ cujuslibet Ecclesiæ. Hoc tamen non obstante, quilibet Prælatus in Diœcesi habet cognoscere causas illius Diœcesis, & est ordinarius in tota sua Diœcesi: quod ideò cõtingit, quia Prędati sunt assumpti in partẽ solicitudinis: sed summus Pontifex assumptus est in totalẽ plenitudinẽ potestatis. Et quia totum stat simul cũ parte, ideò simul stat immediata jurisdictio etiã ordinaria summi Põtificis cũ ordinaria jurisdictione cujuscumque Prælati. Et quia exẽptio hoc tollit, & privat jurisdictionẽ mediam Prælatorũ, ideò quædã inordinatio dici potest: quia facit de jure Prælatorũ non jus. Sed quia de hac materia plenius diximus in quodam libello, quẽ fecimus contra exemptos, ideò in hoc tractatu hanc materiam possumus silentio prætereire.

B. ÆGIDIJ COLUMNÆ ROMANI, BITURICENSIS ARCHIEPISCOPI, ET AQUITANIÆ PRIMATIS, ORDINIS FRATRVM EREMITARVM SANCTI AVGVSTINI, DOCTORIS FVNDATISSIMI

TRACTATUS DE LAUDIBUS DIVINÆ SAPIENTIÆ.

Super Psal. XLIIII. Eructavit cor meum verbum bonum, dico ego opera mea Regi: lingua mea calamus scribæ velociter scribentis, &c.

CAP. I.

In quo ostenditur quæ & quot sunt tractanda in in hoc opere, & qui sit ordo dicendorum.

INTER multas, & varias occupationes nostras requisiti à vobis de quæstionibus quibusdam, decrevimus pro modulo nostræ scientiæ, vestræ piæ petitioni parere. Quærebantur enim in septenario numero propositæ quæstiones, videlicet, Qualiter est credendum? Qualiter sperandum? Qualiter confitendum, & de peccatis pœnitendum? Qualiter debemus Deum diligere? Quomodo debemus eum timere, ac sibi obedire? Qualiter pro susceptis beneficijs debeamus sibi gratias agere? Et ultimò, qualiter debemus sibi servire? Post has quæstiones quærebatis specialiter de expositione auctoritatis præpositæ, quomodo intelligendum sit (*Eructavit cor meum verbum bonum, &c.*) & de donis Spiritus sancti.

Ad hæc autem omnia intelligenda, & declaranda, cum Dionysio, circa principium Ecclesiasticæ Hierarchiæ, Iesum invocemus omnium Hierarchiarum principium, & perfectionem, ipsiusque adjutorium postulantes, & supponentes. Dicamus in nobis duos esse motores contrarios, sensum, scilicet, & rationem, (ut sapientes Philosophi protulerunt, prout est in 3. de Anima declaratum.) Quam veritatem Paulus ad Roman. septimo lucidiùs narrat, cùm ait: *Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ.* Ratio igitur, quæ est lex mentis, tanquam motor, & incitator bonus deprecatur ad optima: sensualitas autem, & lex membrorum ad opposita nititur inclinare, juxta id quòd dicitur Gen. 8. *Proni sunt sensus hominis ad malum ab adolescentia sua.* Prætermissa itaque sensualitate A sive lege membrorum, quæ inclinat ad malũ, de ratione agendum est, quæ inclinat ad bonum.

Verùm, quia hìc intendimus agere de salute nostra, quæ supra naturam est, ad quam adipiscendã, ratio non potest sufficere, oportet præter rationẽ movẽtẽ, dare motorem Divinum, ut hoc modo salutem nostram, & hereditatem illam æternam adipiscamur, tanquam moti à Deo, & tanquam Filij Dei: quia *Qui spiritu Dei aguntur, hi filij Dei sunt, & si filij, & heredes.* Rom. 8. Et quia utrumque motorem bonum dicere debemus, rationem scilicet tanquam Deo servientem, & etiam ipsum Deum tanquam principantẽ, duo genera habituum in nobis ponenda esse, communis locutio atque opinio protestatur, videlicèt, virtutes, ut vires animæ obediant rationi movẽti: & dona, ut omnes potentiæ animæ Deo moventi atque impellenti obtemperent. In his ergo quæ agenda sunt, magis ad impulsum divinum debemus recurrere (quod fit per donum ejus) quàm ad rationem. Quod fit clarè, & manifestè ex eo, quòd etiam Philosophus in de bona fortuna, loquens de hominibus qui moventur ex divino impulsu, ait, quòd *Consiliari non expedit ipsis, habent enim principium tale, quod est melius intellectu, & consilio.* Spiritus itaque sancti impulsui innitentes, in hoc tractatu hoc ordine procedemus. Quia primò exponemus auctoritatẽ propositam, cujus expositio ultimò quærebatur: quia in ea sunt septem conditiones laudabiles, sive septem laudes Divinæ sapientiæ, quas adaptabimus ad septem dona, ex quibus solvemus septem propositas quæstiones,

CAP. II.

In quo ostenditur, quòd septem sunt laudes Divinæ sapientiæ, & adaptantur ad expositionem hujus auctoritatis: Eructavit cor meum, &c.

PRÆMISSO ordine dicendorum, volumus primò agere de septé laudibus Divinæ sapientiæ, & eas adaptare ad expositionē auctoritatis prædictę; & per hoc distinguere septem donā, & sol B vere septem propositas quæstiones. Sciendum ergo quòd Divina sapientia primò est plena, & copiosa: secundò est alta, & profunda. Tertiò est recta, & vera. Quartò est bona, & sancta. Quintò est omnibus propinqua. Sextò est fœcunda. Septimò est efficax, & prompta. Si igitur volumus propositas quæstiones solvere, oportet nos aliquid de Divina sapientia gustare, & participare, & omnes has bonas conditiones debemus in illa alta sapientia recognoscere, ut possimus de divinis donis aliqua percipere, & omnes præfatas quæstiones solvere. Dicemus quidem præfata septem, in auctoritate præposita per ordinem denotari, ut scilicet plenitudo, & copiositas Divinæ sa-C pientię notentur, cùm dicitur, *Eructavit*. Altitudo, & profunditas, cùm subditur, *Cor meum*. Rectitudo, & veritas, cùm subjungitur, *Verbum*. Bonitas, & sanctitas, cùm additur, *Bonum*. Ad omnia propinqaitas, cùm sequitur, *Dico ego*. Fœcunditas, cùm annectitur, *Opera mea regi*. Efficacitas, cùm ultimò sequitur, *Lingua mea calamus scribæ velociter scribentis*. Secundùm quidem hæc septem, sumuntur septem gradus sapientiæ, ut in prosequendo patebit.

Primò ergo describitur illius Divinæ sapientiæ abundantia & copiositas, cùm dici-D tur, *Eructavit*. Sic enim cor Prophetæ repletū erat sapientia illa divina, ut quasi eam eructare compelleretur, sicut vas nimis plenum compellitur eructare de eo, quo est sic repletum. Vnde & Glossa exponens hoc, ait: *Eructavit quidem de pleno, quia mens Prophetæ* (ut ibidem dicitur) *intus plena erat, idcò eructabat*. Nec mirum si sic mentem Prophetæ replebat, ut eam quasi eructare compelleretur, quia thesauri Divinæ sapientiæ, atque scientiæ à nullo comprehendi possunt, sed omnia replent. Secundò, istius Divinæ sapientiæ describitur altitudo, & profunditas, cùm dicitur, *Cor meū*. Quod enim profertur ex ore, videtur quasi ex superficie proferri: sed quod procedit ex corde, ex intimo, & profundo videtur procedere. Hæc enim est tam alta profunditas, ut nullus eam possit explicare sermone. Tertiò circa hujusmodi sapientiam describitur rectitudo, & veritas, cùm dicitur, *Verbum*. Est enim verbum, quasi verum boans, sive dicens. Nomine enim verbi, intelligimus aliquid verum, & perfectum. Propter quod August. 15. lib. de Trinit. cap. 16. volens à Deo omnem imperfectionem excludere, dicebat, quòd *In Deo non est cogitatio, sed verbum*. Sapientia enim Divina, quia falli non potest, nec aliquā imperfectionem habet, ideò nomine (*verbi*) exprimitur: ut & ipse Dei Filius, cui appropriatur Divina sapientia, Verbum propriè nūcupetur. Inde est etiam, quòd ratione hujus perfectionis, & veritatis, Scriptura sacra divina sapientia nuncupatur, quia est Divina sapientia exemplata: quæ ratione talis veritatis contentæ, tantam auctoritatem habere dicitur, ut Augustinus 2. super Genes. dicat, quòd *Major est auctoritas hujus Scripturæ, quàm omnis humani ingenij capacitas*. Quartò circa Divinam sapientiam describitur bonitas, atque sanctitas, cùm subinfertur, *Bonum*. Verbū enim quod eructare volebat Propheta de Divina sapientia, non erat verbum quodcumque, sed bonum & sanctum, ut de eo verificatur, quod dicitur 3. Reg. 17. *Verbum Domini in ore tuo, verum est*. Hujusmodi autem verbum est id, in quo vivit homo secundùm animam: quod non esset, nisi esset bonum, & sanctum, juxta illud Deut. 8. & Matth. 4. *Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo, quod egreditur de ore Dei*. Quintò circa Divinam sapientiam describitur propinquitas quātum ad omnia, cùm dicitur, *Dico ego*. Nā per nuntios consuevit aliquis loqui ad remotos, sed per se ipsum ad propinquos. Et quia quilibet per se ipsum ad propinquos potest dicere, quod dicit Propheta: *Dico opera mea regi*, cuilibet Divina sapientia est propinqua. Nec mirum, quia (ut dicitur Sapient. 8. cap.) *Attingit à fine usque ad finem fortiter, & disponit omnia suaviter*. Sextò circa Divinam sapiētiam notatur fœcunditas, cùm additur, *Opera mea regi*. Sicut enim dicitur aliquid fœcundū, quantum ad prolem, cùm filios generat, sic quantum ad actus dicitur aliquid fœcundum, cùm in opera progreditur. Vnde Philosophus in 3. Ethic. vult, quòd ita habeamus nos ad opera nostra, sicut se habent progenitores ad filios. Cùm enim Divina sapientia eos quos

Cap. 8.

re-

replet, faciat in opera progredi, ut quilibet talis posit dicere opera sua regi, ad magnam fœcunditatem videtur pertinere. Septimò, & ultimò circa Divinam sapientiam describitur potentia, & efficacitas, cùm subinfertur, *Lingua mea calamus scribæ velociter scribentis.* Nam facere aliquem velociter pronunciare, & sine impedimento aliquo verba eructare, ad virtutem, & efficaciam pertinet.

CAP. III.

In quo ostenditur quomodo ex præfatis septem laudibus Divinæ sapientiæ possimus accipere septem gradus, per quos ascenditur ad Divinam sapientiam, & ex hoc accipere septem dona Spiritus sancti.

EX his autem septem laudibus possunt haberi septé gradus, per quos pergitur ad Divinam sapientiam, & ex hoc accipere septem dona Spiritus sancti, ut Aug. 2. de Doct. Christiana videtur invenire. Nam si consideraverimus Divinæ sapientiæ abundantiam. & plenitudinem, quæ prima conditio laudabilis, sive prima laus est, deberemus ab omnibus delectationibus carnalibus recedere: quod ad donum timoris pertinet. Vel dicamus cum Propheta (sicut August. ibidem narrat) *Confige timore tuo carnes meas.* Tunc enim carnes nostræ, id est, carnales affectiones timore Domini configuntur, quando ceteræ sensibiles delectationes sunt quasi nobis abominabiles, & solùm dominicæ sunt nobis delectabiles. Hoc autem debet facere abundantia, & plenitudo Divinæ sapientiæ, quòd solùm in ea delectari debemus. Nam, ut dicitur Ecclesiastes 2. *Tantum præcedit sapientia stultitiam, quantum differt lux à tenebris.* Habet ergo sapientia rationem lucis. Si ergo dulce est lumen istud corporale: & delectabile est oculis videre solem (ut dicitur Ecclesiastes 11.) multò magis est delectabile lumen sapientiæ, quia est inextinguibile, juxta illud Sapi. 7. *Diligite sapientiam quoniam inextinguibile est lumen illius.* Et si delectabile est considerare de lumine sapientiæ creatæ, multò magis incomparabiliter est delectabile considerare de lumine illius sapientiæ increatæ. Tanta ergo, & talis debet esse delectatio, cùm consideraverimus plenitudinem Divinę sapientiæ, quòd die, nocteque non deberemus de hoc posse

Cap. 7.

A satiari; sed deberemus propter talem delectationem omnes alias delectationes sensibiles spernere. Plenitudo itaque Divinæ sapientiæ debet nos inducere ut delectationes sensibiles fugiamus, quod pertinet ad donum timoris.

Secunda autem conditio laudabilis, sive secunda laus, videlicet, altitudo illius Divinæ sapientię, debet nos inducere, ut mites simus, quod pertinet ad donum pietatis. Ex hoc enim quis se humiliat, & mitis efficitur, cùm consideret infirmitatem suam, & sublimitatem alterius. Propter quod si consideraverimus quanta sit altitudo, & sublimitas Divinæ sapientiæ, & quanta est imbecillitas, & infirmitas intellectus nostri, quia in genere intelligibilium, est sicut materia prima in genere entium, nihil reputabimus nos esse, & quasi jumenta intellectu carentia, dicemusque ad ipsum Dominum: *Ut jumentum factus sum apud te, & ad nihilum redactus sum.* Hujusmodi autè altitudo Divinæ sapientiæ potissimè debet nos facere humiles, & mites, quod pertinet ad donum pietatis. Nam secundùm August. 2. de Doctr. Christiana cap. 7. *Sicut delectationes fugere, pertinet ad timorem; sic mitescere pertinet ad pietatem.* Facit enim donum timoris in nobis, quòd benè nos habeamus circa delectabilia sensibilia, ea detestando, & fugiendo. Sic & donum pietatis (largè accipiendo pietatem) facit in nobis, quòd benè nos habeamus circa alias personas, eis debitam reverentiam exhibendo. Quod potissimè fit si simus mites, & humiles.

Tertia autem laudabilis conditio illius Divinæ sapientiæ est rectitudo, & veritas, quę debet nos inducere ad studiositatem. Quilibet enim debet esse intentus, & studiosus circa ea, quę scit recta esse, & vera, per quæ potissimè habetur donum scientię, est enim scientia de humanis, de Divinis verò sapientia. Nã benè sentire, vel judicare de humanis, pertinet ad scientiam: de Divinis autem ad sapientiam. Et quia nullus benè potest judicare de aliquibus nisi sit intentus, sedulus, & studiosus, dicere possumus cum August. 2. de Doct. Christ. quòd *Sicut delectationes fugere pertinet ad timorem, mites esse, ad pietatem*, sic studiosos esse ad scientiam: nam benè judicare de humanis (quod pertinet ad donum scientiæ) non possumus sine studiositate.

Quarta quidem laus sive quarta conditio laudabilis Divinæ sapientiæ est ejus bonitas, per quam debemus induci, ne in adversitatibus frangamur, quod pertinet ad donum fortitudinis. Nam (secundùm Apostolum 2.

Cor. 4.) *Id enim quod in præsenti est momentaneum, & leve tribulationis nostræ: supra modũ in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis, non contemplantibus nobis quæ videntur, sed quæ non videntur. Quæ enim videntur, temporalia sunt: quæ autem non videntur, æterna sunt.* Diuina enim bonitas, & illa gloriæ sublimitas, id esse bonum ostendit nobis, quod oportet nos facere, & tribulationes superare.

Quinta laudabilis conditio Diuinæ sapientiæ est ad nos propinquitas. Nam sicut Diuina sapientia, & Diuina virtus est intra omnia non inclusa, & extra omnia non exclusa: sic est altissima non separata, & proxima, ac propinquissima non contracta. Hujusmodi autem propinquitas debet nos inducere ad amorem, & dilectionem diuinorum, sive æternorũ: quod secundùm August. 2. de Doctr. Christ. cap. 7. spectat ad donum consilij. Sexta autem laus, seu laudabilis conditio Diuinæ sapientiæ est ejus fœcunditas. Quia, ut dicitur in lib. Sapientiæ cap. 7. *Omnibus mobilibus mobilior est sapientia.* Est enim Diuina sapientia immobilis, & mobilis: immobilis in se, mobilis in effectibus: quia ad omnes effectus pertingit. Et quantum ad plures pertingit, tantò secundùm hunc modum dicitur esse mobilior & fœcundior. Ex hujusmodi autem fœcunditate debemus induci ad mentis puritatẽ, quod pertinet ad donum intellectus. Nam quantò purior est oculus mentis, tantò magis fœcundatur in cognitione sapientiæ. Septima autem & ultima laus superius tacta de Diuina sapientia est ejus efficacitas, & virtuositas, quæ debet nos inducere ad mentis tranquillitatem. Nam in eo, qui est omnium artifex, omnem habens virtutem, debemus tranquilli, & pacifici permanere, quod pertinet ad donum sapientiæ. Vnde Augustin. 2. de Doctr. Christ. ait: Talis Filius ascendit ad sapientiam, quæ ultima, & septima est, quia placatus tranquillusque perfruitur.

CAP. IV.

Vbi clarè agitur de sufficientia donorum, & ubi clarius ostenditur, quomodo secundùm præassignatos septem gradus, accipiuntur septem dona.

AD pleniorem autem intelligentiã prædictorum, & ut hæc omnia clariùs videantur, dicimus septem dona Spiritus sancti sic debere accipi. Quia quædã pertinent ad perfectionem partis intellectivæ: quædam autem ad perfectionem partis appetitivæ. Ad perfectionem autẽ partis intellectivæ (quantum ad præsens spectat) quatuor pertinent, videlicet, veritatem apprehendere, secundùm apprehensionẽ factam benè judicare de rebus humanis sive de rebus creatis, & benè judicare de rebus divinis, & secundùm omnia hæc, in suas actiones, & in sua opera rectè dirigi. Benè autem apprehendere pertinet ad donum intellectus: benè judicare de humanis, ad donum scientiæ: benè autem judicare de divinis ad donũ sapientiæ: secundùm hæc autem benè in operationes dirigi ad donum consilij.

Ad partem autem appetitivam (quantum ad præsens spectat) pertinent tria, videlicet, delectationes carnales fugere, quod fit per donum timoris: in adversis non frangi, quod fit per donum fortitudinis: ad alios debitè se habere, quod fit per donum pietatis. His autem sic assignatis, fit sufficientia donorum. Talis tamen est ordo (ut innuit Aug. in verbis prędictis assignatis:) quia primò debemus delectationes carnales fugere. Secundò debemus esse humiles, non nobis intendere, sed mitescere. Tertiò debemus attendere, & studiosi esse. Quartò in adversis non debemus frangi. Quintò ad delectationem æternorum debemus nos convertere. Sextò oculum mentis debemus omninò purgatum habere. Non enim statim cùm delectationes carnales fugimus, ex hoc omninò purgati sumus, quia adhuc possunt remanere aliquæ reliquiæ peccatorum. Cùm enim vinum remotum est à vase, adhuc remanet odor vini in vase. Et cùm febris recessit ab ægroto, adhuc remanent reliquiæ morbi. Ita cùm aliquis recessit à peccatis, adhuc remanent incentiva ad peccandum, à quibus purgamur per dilectionem æternorum, quia quantò magis æterna diligimus, ad peccandum minus incitamur. Septimò, & ultimò ex his omnibus sumus mente tranquilli.

Per quæ septem, colliguntur septem dona, ut per delectationes carnales fugere, habeatur donum timoris: per mites esse, donum pietatis: per esse sedulos, donum scientiæ: per nõ frangi in adversis, donum fortitudinis: per æterna diligere, donum consilij: per purgatos oculos mentis habere donum intellectus per esse mente tranquillos, donum sapientiæ. Quia ergo non potest quis devenire ad donũ sapientiæ, & esse in mente tranquillus, nisi priùs carnalia fugiat, quod est initium omniũ aliorum, quod pertinet ad timorem: ex isto initio, scilicet, carnalia fugiendo, perveni-

tur, ut quis se ipsum cognoscat, & humilis

est cia-

efficiatur, & reverentiam exhibeat debitam a-
lijs; quod pertinet ad pietatem. Fugiens au-
tem carnalia, & jam factus humilis, & reve-
rens, jam non est ampliùs vana cogitans, sed
magis est attentus, & sedulus, & incipit sal-
tem judicare de rebus creatis, quod pertinet
ad donum scientiæ. Benè autem judicando de
rebus creatis, nihil appretiantur ista tempo-
ralia, nec frangitur rebus adversis, quod per-
tinet ad donum fortitudinis. Quibus omnibus
sic se habentibus, gravia omnia ista tempora-
lia despicit, & inducitur ad amorem æterno-
rum, quod pertinet ad donum consilij, nam
3. *Eth.* 8. donum consilij est, ut benè quis dirigatur in
operibus suis, quod potissimè fit per amorem
æternorum: quia qualis vitæ quisque est, ta-
lis finis sibi videtur, & talia operatur, & lo-
quitur. Et ideò si habeamus amorem carna-
lium, carnalia operabimur, & carnalia loque-
mur: quia carnales carnalia tractant. Si verò
habebimus amorem spiritua um, tractabimus
spiritualia opera, loquemur, & ea faciemus,
& in nostris operibus dirigemur. Ex dilectio-
ne autem æternorum purgabitur oculus men-
Psal. 18. tis, quia *Præceptum Domini lucidum illuminans
oculos*: Potissimum autem præceptum est de
dilectione sive de charitate, per quam purga-
tur oculus mentis nostræ. Nam sicut diligen-
do carnalia, convertimur ad ea, & inficimur:
sic, diligendo spiritualia, convertimur ad ea,
& purgamur per ipsa. Habere autem purga-
tos oculos mentis pertinet ad donum intellectus. Nam per hujusmodi donum fit quòd be-
nè apprehendamus veritates: sicut per scien-
tiam, & sapientiam fit quòd benè judicemus
de eis. Sicut ergo oculus carnis impurus non
potest benè videre, sic oculus mentis non be-
nè depuratus, non potest benè apprehendere.
Ex his omnibus fit homo in mente tranquillus,
quod pertinet ad donum sapientiæ. Nam qui
benè vult judicare de tantis, & tam arduis
rebus, (sicut sunt res divinæ,) oportet ipsum
esse in mente tranquillum, & pacificum. Benè
ergo dictum est quòd initium sapientiæ est
timor Domini, quia incipimus à timore de-
lectationes carnales fugere, ut pos-
simus devenire ad sapien-
tiam, & tran-
quillitatem
men-
tis.

CAPIT. V.

In quo est continuatio ad dicenda, & in quo ostenditur, quomodo ex prima laude Divinæ sapientiæ, videlicet, ex plenitudine ejus, scire possumus qualiter debeamus credere, & quæ, & quot sint credenda.

TAQVE his omnibus prælibatis, patet expositam esse auctoritatem illam, (*Eructavit cor meum verbum bonum, &c.*) Cujus expositio specialiter petebatur. Ad expositionem etiam illius auctoritatis adaptata sunt omnia dona Spiritus sancti, de quibus aliqua scire desiderabatis. Volumus nunc (secundùm illam eandem auctoritatem, & secundùm illas septem laudes Divinæ sapientiæ) solvere omnes septem propositas quæstiones. Nam ex plenitudine Divinæ sapientiæ ostendemus qualiter debeamus credere: ex ejus altitudine, qualiter sperare: ex ipsius rectitudine, & veritate, qualiter debeamus de peccatis nostris pœnitere: ex ejus bonitate, qualiter debeamus Deum diligere: ex propinquitate ejus ad nos, qualiter debeamus ipsum timere, & ei obedire: ex fœcunditate autem ejus, qualiter debemus ei gratias agere. Septimò, & ultimò, ex virtuositate Divinæ sapientiæ declarabimus, quomodo debemus ei servire. Ita quòd ex septem laudibus Divinæ sapientiæ, quas expressimus, ex auctoritate proposita Psal. 44. solvemus omnes septem præhabitas quæstiones.

Sciendum itaque quòd potissimè credendum est alicui de aliquo, si plenè sciat de re quæsita veritatem. Et quia Deitas, & Trinitas, solùm sibi nota est: per revelationem divinam, & per doctrinam Christi, oportet nos credere quæ credenda sunt. Ipsa itaque plenitudo Divinæ sapientiæ, in qua plenè cognoscuntur, quę divina sunt, sufficienter nos monet, quomodo debeamus credere, quia debemus credere, eo modo, quo revelata sunt à Divina sapientia. Ideò Dionysius 1. de Divinis Nom. dicit: *De hac igitur supersubstantiali, & occulta Deitate, non est audendum dicere, nec cogitare aliquid, præter illa, quæ nobis divinitus ex sacris eloquis, sunt expressa.* Cùm ergo quæritur, qualiter est credendum, vel quæ sunt credenda, brevis responsio fieri potest. Quia omninò credendum est, & omnia credenda sunt, prout nobis divinitus sunt expressa, sive expressa sint multifariè, multisque modis, secundùm quod olim locutus est Deus

Patribus in Prophetis : sive sint expressa secundùm quod clarè, & apertè locutus est nobis in Filio, quem constituit heredem universorum, per quem fecit, & sæcula. Heb. 1. Quæ ergo & in veteri & in novo testamento continentur, credenda sunt. Nec alia continentur hìc, & ibi, sed est rota in rota, juxta visionem Ezec. cap. 1. Quæ enim in veteri testamento exprimebantur velatè, & per figuram, in novo pãduntur clarè, & per veritatem.

Fit autem duplex distinctio de credendis, una de modo credendi, alia de articulis creditis. De modo quidem credendi distinguitur : quia debemus credere Deum, Deo, & in Deum. Nam fides à Deo est efficienter : de Deo est, & Deum habet sicut objectum : & in Deum tendit finaliter. Prout ergo fides tendit in Deum, tanquam in objectum, & terminũ : sic credimus ea quæ sunt credenda de Deo : sed prout fides à Deo est efficienter, & exemplariter, sic credimus ipsi Deo omnia, quæ proponuntur nobis credenda : omnia enim clarè relucent in Divina sapientia, à qua sunt derivata, & exemplata. Ideò quæ nunc audimus per fidem, in Patria videbimus per speciem. Tunc ergo dicemus illud Psalmi : *Sicut audivimus, sic vidimus in civitate Domini.* Psal. 47. Cùm enim erimus in civitate Domini, id est, in Patria : quę nobis nunc proponuntur ut credẽda, & audienda, ibi nobis offerentur tanquam inspicienda, & videnda. Hoc est ergo credere Deum, & Deo ; credere Divina eo modo, quo inspirata sunt à Deo. Sed prout fides tendit in Deum finaliter : sic credimus in Deum prout credendo, finaliter in ipsum tendimus.

Hęc autem tria adaptare possumus ad tria genera hominum, videlicet ad Gentiles, ad Fideles peccatores, & ad Justos. Gentiles quidem, & si credunt Deum ; non credunt Deo, nec in Deum. Possunt enim Gentiles credere Deum, habendo aliquam notitiam de divinis, quia, ut dicitur ad Rom. 1. *Quod notum est Dei, manifestum est in illis* : tamen non ex hoc propriè credunt Deo : quia notitiam quam habent de divinis, non accipiunt à sacra Scriptura, quam inspiravit Deus, sed solùm ex sensibus, & per res creatas quas creavit Deus. Accipiendo ergo credere testimonijs sanctorum, per quos locutus est Deus : sic Gentiles non credebant Deo, quia etsi credebant Deum habendo aliquam notitiam de divinis, non credebant Deo : quia non recipiebant testimonia sacrarum Scripturarum. Fideles autem peccatores, & si per amplius credunt Deum, quàm Gentiles, quia ampliorem notitiam habent quàm ipsi : & si credũt Deo recipiendo testimonia Scripturæ sanctæ, tamen non credunt in Deum : quia sic credendo, non tendunt in Deum tanquam in finem : nec proponunt sibi finem, bonum Divinum.

Sed fideles justi, omnia ista habent. Et licèt quantum ad fidem possimus ista tria distinguere, ut sancti distinxerunt ; formalius tamen est credere Deo, quàm Deum, & in Deum. Nam si per fidem credimus in Deum, & tanquam in objectum tendimus in ipsum, isto modo debemus hoc facere, sicut Deus revelavit nobis, & sicut ipse nos docuit, per fidem : ergo hoc modo credimus Deum, quia credimus Deo, ea quæ de se ipso locutus est nobis. Sic etiam prout credimus in Deum, debemus hoc facere, prout credimus Deo ea, quę de se ipso nobis locutus est. Nam hoc modo debemus in Deum finaliter tendere, prout ipse nos docuit. Et quia hoc est formale credendi credere eo modo, quo docti sumus à Deo, benè dictum est, quòd qualiter debeamus credere, ex plenitudine sapientiæ debemus accipere : nam quia solus Deus plenè se cognoscit, & plenam habet sui notitiam : ideò sibi de se ipso debemus credere. Sic ergo dicendum est de modis credendi.

Sed si fiat quæstio de ipsis creditis, quæ, & quot sint credenda, dicemus, omnes articulos fidei quos debemus credere, ad quartũ decimum numerum, (secundùm communem sententiam) reductos esse. Quorum septem ad Divinitatem pertinent, & septem ad humanitatem. Circa Divinitatem quidem est consideranda unitas essentiæ : trinitas Personarum, Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, & triplex genus operis, quod propriè solius Dei est, videlicet, creare, dando naturam : recreare, infundendo gratiam : & glorificare, dando gloriam. Erunt ergo septem articuli, ad Divinitatem pertinentes. Primus de unitate essentiæ : *Credo in unum.* Secundus de persona Patris : *Patrem omnipotentem.* Tertius de persona Filij : *Et in Iesum Christum Filium ejus.* Quartus de persona Spiritus sancti : *Credo in Spiritum sanctum.* Quintus de opere creationis : *Creatorem Cœli, & terræ.* Sextus de opere recreationis : *Sanctam Ecclesiam Catholicam, sanctorum communionem, remissionem peccatorum.* Septimus de opere glorificationis : *Carnis resurrectionem, vitam æternam.* Septem etiã sunt pertinentes ad humanitatem Christi, quia primò credendum est, quòd fuerit conceptus de Spiritu sancto. Secundò, quòd natus ex Maria Virgine. Tertiò, quòd fuerit passus, mortuus, & sepultus. Quartò, quòd descendit ad

Fidei art. 14.

in-

inferna. Quintò, credendum eſt quòd tertia die reſurrexit. Sextò, quòd aſcendit in cœlum. Septimò, quòd inde venturus eſt judicare vivos, & mortuos. Et quia omnia iſta revelata ſunt nobis ex plenitudine Divinæ ſapientiæ, benè dictum eſt, quòd ex plenitudine illa debemus induci qualiter, & quid credamus.

CAPVT VI.

In quo oſtenditur quomodo ex ſecunda laude Divinæ ſapientiæ, videlicet ex altitudine ejus, ſolvitur ſecunda quæſtio, quomodo ſcire poſſumus quid ſperandum?

******ISO quomodo ex prima laude Divinæ ſapientiæ, quia eſt ſic plena & copioſa, poteſt ſolvi prima quæſtio: Qualiter, & quid credendum ſit: volumus nunc oſtendere qualiter ex ſecunda laude: quia ſcilicet illa Divina ſapientia eſt ita ſublimis & alta, ſolvitur ſecunda quæſtio, videlicet quid ſit ſperandum? Advertendum ergo, quòd ſemper ſpes tendit in arduum, & in altum, non eſt enim propriè ſpes de aliquo parvo, ſed de aliquo magno, & arduo. Ideò, etſi ex abundantia Divinæ ſapientiæ, aliquo modo inducimur, ut in Deo ſperemus, tamen ad id agẽdum maximè & propriè inducimur, ex ejus altitudine, & nobilitate. Vtrumque autem debemus ſperare, videlicet, quòd perveniemus ad videndam illam altitudinem Divinæ ſapientiæ per viſionem apertam, & quòd fruemur excellentia Divinæ bonitatis per charitatem perfectam (in quo autem conſiſtat principalius fœlicitas noſtra, An in viſione illius altitudinis Divinæ ſapientiæ? An in dilectione illius excellentis bonitatis? alibi declaravimus: nec eſt hoc præſentis ſpeculationis. Sufficiat autem ad præſens ſcire, quòd in utraque extat fœlicitas noſtra, & utramque ſperare debemus.)

Poſſunt autem aſsignari quinque ſpeciales rationes, quare ex altitudine Divinæ ſapientiæ inducimur, quomodo, quid, & qualiter debeamus ſperare. Nam, ſi conſideraverimus altitudinem illam, apertè conſpiciemus, quòd ad illam omnia ordinantur: quòd ex ea, omnia poſſunt refici, & reficiuntur, quòd ab ipſa omnia conſpiciuntur, quòd in ea omnia continentur: quòd per eam omnia penetrantur: & ipſa omnibus illabitur. In ſolo itaque Deo debet eſſe ſpes noſtra, ut non incurramus in illud dictum propheticum: *Hier. 17.* *Maledictus homo qui confidit in homine, & ponit carnem brachium ſuum, & à Domino recedit cor ejus.* Sed econtrariò incurrimus benedictionẽ, quia *Benedictus vir qui confidit in Domino, & erit in Deo fiducia ejus.* Quòd autem in Deo debeamus cõfidere, & in eo ſolo ponere principaliter ſpem noſtram, omnia illa quinque quę diximus de altitudine Divinæ ſapientiæ, per amplius nos inducunt. Nam (ut diximus) Divina ſapientia, propter ſui altitudinem, eſt illud ad quod omnia ordinantur: nam ſemper interiora ordinantur ad ſuperiora. Et quia illa ſapientia in altiſsimis habitat, ut habetur Eccleſ. cap. 24. Ideò ad illam omnia alia ordinantur. Sicut ergo nunqnam quieſcit intellectus, donec veniat ad ultimam cauſam, de qua non eſt ulteriorem cauſam quærere, (ut ſapientes Philoſophi protulerunt:) ſic cor noſtrum nunquã quieſcit in aliquo, quod dependeat ex alio, & quod ordinatur ad aliud, ſed in eo quieſcit quod ad nihil ulterius ordinatur. Cùm ergo ex altitudine Divinæ ſapientiæ, ſufficienter poſsimus arguere Deum eſſe ſuper omnia, & ipſum ad nihil aliud ordinari poſſe: non debemus ſpem noſtram ponere, niſi in eo, quod poteſt cor noſtrum quietare, hoc autem eſt id, quod ulteriùs non ordinatur ad aliud: in ſolo ergo Deo debemus ſpem noſtram ponere, ut dicamus cum Auguſt. 1. lib. Confeſſ. cap. 1. *Ad te nos feciſti Domine, & inquietum eſt cor noſtrum, donec requieſcat in te.*

Secundò, altitudo Divinæ ſapientiæ, eſt id à quo omnia poſſunt refici, vel reficiuntur: nam non ſolùm Deus non eſt effectus alterius, nec ordinatur in aliud, nec cauſatur ab alio, ut ex hoc poſsit quietare cor noſtrum, ut habendo ipſum non deſideremus ulteriùs aliquid aliud: ſed ipſe ſic eſt omnium cauſa, quòd poteſt omnia reſtaurare, & reficere, ſi eſſent etiàm annullata; ut ex hoc habeat cor noſtrum quietare, nam id poteſt quietare cor noſtrum, quod poteſt reficere omnia noſtra, hoc autem poteſt Deus ſolus facere. Vnde ſi annihilati eſſemus, adhuc poſſet nos in idem numero reficere. In tali ergo debemus ſpem noſtram ponere, qui, ſi eſſemus annullati, ſi eſſemus occiſi, poſſet nos adhuc reſtaurare, & revivificare, & beatificare, Ideò dicebat Iob. cap. 13. *Etiam ſi occiderit me, in ipſo ſperabo.*

Tertiò, ex altitudine Divinæ ſapientiæ, poſſumus declarare, quòd ab ea omnia conſpiciuntur: nam oculus qui eſt in imo, pauca poteſt conſpicere: ſed ille qui eſt in alto, omnia videt. Sic enim Divina ſapientia alta

est, ut omnia sibi sint lucida & clara. Ideò A dicitur ad Hebr. 4. quòd *Discretor est cogitationum, & intentionum cordis, & non est ulla creatura invisibilis in conspectu ejus: omnia autem nuda, & aperta sunt oculis ejus.* In illo ergo debemus spem nostram ponere, qui potest omnes defectus nostros videre, & cogitationes omnes cognoscere, cui nihil est invisibile, nihilque occultum. Sicut ergo de illo medico debet infirmus confidere, qui optimè scit infirmitates cognoscere: sic in Deo spem nostram debemus ponere, cui nulli defectus nostri latere possunt.

Quartò, ex altitudine Divinæ sapientiæ, possumus concludere quòd in Deo omnia, id est perfectiones omnium continentur. B Nam cùm Divina sapientia sit causa omnium rerum, juxta illud *Omnia in sapientia fecisti*, Psal. 103. & ea quæ sunt causatorum per amplius insunt causis, ut dicit Dionysius 2. de Div. Nomin. ex ipsa altitudine Divinæ sapiẽtiæ, per quam arguimus Deum omnium esse causam, concludere possumus quòd perfectiones omnium causatorum per amplius, & perfectius sunt in Deo. In illo ergo debemus sperare, in quo sunt perfectiones omnium, & qui potest omnia in omnibus, quia ejus solius est desideria omnium complere, & cor cujuslibet quietare: unde Augustin. 2. lib. Confess. cap. 6. probat quòd etiam in omnibus fallentibus vitijs, invenitur quædam umbratica species: C sed quod perfectum, & non defectivum bonũ est, quòd in sua puritate consistit, in Deo est. Vnde ait: quòd *Est quædam defectiva species, & umbratica in vitijs fallentibus*, (& subdit) *Nam & superbia celsitudinem imitatur, cùm tu sis unus super omnia Deus excelsus. Et ambitio quid nisi honores, & gloriam quærit? cùm tu sis præ cunctis honorandus unus, & gloriosus in æternum.* Quidquid ergo boni desiderare possumus, totum reperimus in Deo. In ipso ergo debemus sperare, qui potest omnia desideria nostra complere. Illi enim vitiosi sunt, qui perversè in creaturis quærunt, quæ purè, & D excellenter reperiuntur in Deo.

Quintò, ex altitudine Divinæ sapientiæ, possumus ostendere, quòd ejus est omnia replere. Sicut enim videmus in istis elementis, quòd quantò aliquid est altius, & sublimius, tantò magis est penetrativum, ut aqua magis habet penetrare quàm terra, & aer magis quã aqua, & ignis magis quàm aër. Divina ergo sapientia, ex quo altissima est, oportet ipsam puram, & simplicissimam esse, ratione cujus simplicitatis omnibus illabitur, omnia penetrat: propter quod, divinus sermo, & Divina sapientia ratione ejus penetrationis gladio ancipiti assimilatur, juxta illud ad Hebræos cap. 4. *Vivus est enim sermo Dei, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti.* In illo ergo debemus spem nostram ponere, qui potest cor nostrum, mentem nostram, & animam nostram replere: hoc autem facere potest solus ille, qui animæ nostræ potest illabi, & in animam nostram intrare. Sicut enim in corporalibus, non replet aliquid, nisi quod potest intrare in ipsum, sic nihil potest satiare, & replere animam nostram, nisi quod potest intrare, & esse in anima nostra: hic autem est solus Deus. Si ergo quæratur in quo, & quid, & qualiter debemus sperare? Dicemus quòd spem nostram debemus ponere in Deo, ut per ipsum consequamur se ipsum, quia solus ille est, qui potest nostra desideria satiare, propter omnia prædicta, quæ omnia probari possunt, & etiam concludi ex altitudine Divinæ sapientiæ.

CAP. VII.

In quo agitur, quomodo ex tertia laude Divinæ sapientiæ, ut ex ejus rectitudine, solvitur tertia quæstio: quomodo, videlicet, perfectè debemus de peccatis pœnitere, quod potissimè fiet si sciverimus quæ, & quot bona facit pœnitentia.

OStenso quomodo ex plenitudine Divinæ sapientiæ possumus declarare cui, & quæ, & qualiter sit credendum: & declarato, quomodo ex altitudine ejus, in quo, & quid, & qualiter sit sperandum, volumus patefacere quomodo ex veritate, & rectitudine illius sapientiæ, possumus concludere, quomodo, & qualiter, de nostris culpis, defectibus, & peccatis sit pœnitendum. Imaginabimur quidem, quòd sicut in istis temporalibus, statim præsente linea recta, apparet quid obliquum, & quid rectum, adeò quòd & multa videntur oculis recta, quæ ad præsentiam regulæ apparent obliqua. Vnde & ædificatores non credunt proprijs oculis de rectitudine ædificij, sed ipsum plumbant, & applicant ei regulam, ut appareat quod est obliquum. Propterea benè dictum est quod dicitur in Psal. 74. *Cùm accepero tempus, ego justitias judicabo.* Multæ enim hìc videntur esse justitię, quæ in judicio finali apparebunt esse culpæ. Et quia tanta est rectitudo illius sapiẽtiæ, quòd quæcumque obliquitas discordat ab

ea,

ea, valdè debemus esse intenti, quomodo præ-
niteamus de peccatis nostris, & quomodo e-
mendemus obliquitates nostras. Quod si benè
1. Cor. 2. nos ipsos judicabimus, non utique ab illo ju-
dicabimur.

Et quia pœnitentia est secunda tabula post baptismum, per quam mare hujus sæculi possumus evadere, & ad gratiam divinam, & ad virtutes, & dona redire, & ex his nostras obliquitates rectificare: ideò ne discordemus à rectitudine Divinæ sapientiæ, debemus perfectè de peccatis nostris pœnitere. Quod potissimè fiet, si consideremus quæ, & quot bona, pœnitentia habet facere. Dicit enim August. in lib. de Vera, & falsa pœnitentia, cap. 1. quòd *Quantum sit appetenda gratia pœnitentiæ, omnis clamat auctoritas, omnis bonorum vita conatur ostendere.* Pœnitentia enim (secundùm eum) languores sanat, leprosos curat, mortuos suscitat, sanitatem inducit, auget, & conservat: claudis gressum, aridis copiam, cæcis restituit visum. Vitia fugat, virtutes exornat, mentem munit, & roborat. Omnia sanat, omnia lætificat. Temperat successus, constringit impetus, moderatur excessus. Ignorans per hanc se recognoscit: quærens, per hanc se invenit. Hæc est quæ homines ad Angelos ducit, & creaturam reddit Creatori. Ista ovē perditam monstrat quærenti, & decimam drachmam obtulit anxianti. Hæc dissipatorem filium ad patrem reduxit, & vulneratum à latronibus custodiendum, & curandum tradidit. In hac omne bonum innititur. Per hanc omne bonum conservatur. Fugat tenebras, inducit lucem, excoquit omnia. Ipsa ignis consumens est.

CAPVT VIII.

In quo ostenditur, quomodo intelligenda sint verba Augustini de bonis quæ facit pœnitentia, quantum ad potentias, perfectiones potentiarum, actiones, & modos agendi.



T. ergo intelligantur verba Augustini, dicere possumus, quòd circa gubernationem nostrā & circa regimen nostrum, est quinque cōsiderare, videlicet potentias; per quas agimus: dispositiones, & perfectiones potentiarum, per quas habilitamur ad agendum: actiones ipsas: modum agendi. & finem in quem tendimus per hujsmodi actiones. Peccatum autem omnia ista pervertit, tollit bonas dispositiones, & perfectiones potentiarum: impedit actiones, pervertit potentias, destruit modum agendi, facit nos perversè in finem tendere.

Quantum ad perfectiones, & dispositiones potentiarum, peccatum facit tria mala: quia facit nos languidos, leprosos, & mortuos. Facit nos languidos, nos debilitando: leprosos, nos inficiendo: & mortuos gratiam, & charitatem, & alias bonas dispositiones, & perfectiones, per quas vivimus, tollendo. Pœnitentia verò tanquam peccato opposita, languores sanat, leprosos curat, mortuos suscitat: nam contrà hæc tria, videlicet contra languorem, lepram, & mortem, sanitatem dat, auget, & conservat. Dat quidem sanitatem, per quam languores tollit: auget, quia non tolùm ab infectione lepræ nos custodit, sed hujusmodi sanitatem conservat, quia nos præservat à morte. Sic ergo se habet culpa, & pœnitentia, quantum ad dispositiones, & perfectiones potentiarum.

Sed quantum ad actiones ipsas, culpa facit quinque mala: quia nos facit claudos, aridos, cæcos, & insuper, nos vitiat, & virtutes deformat. Facit nos quidem claudos, ne in bonas actiones tendamus: aridos, ne ex bonis actionibus fructum faciamus: cæcos, ne hujusmodi bonas actiones quas agere debemus, cernamus, & videamus. Et non tolùm culpa sic nos impedit, quantum ad actiones bonas, sed etiam nos vitiat inclinando in actiones malas: quod faciendo etiam ipsas virtutes (si quæ remanent) deformat, ut si post peccatum remanent in nobis fides, & spes, quæ inter virtutes computantur, non possunt remanere formatæ, sed informes. Pœnitentia ergo omnibus his quinque, quæ consequimur per culpam, se opponens, claudis restituit gressum, aridis copiam bonorum fructuum, cæcis restituit visum, vitia fugat, virtutes exornat.

Fides & spes post peccatū remanent informes.

Insuper, ipsa eadem culpa, quæ pervertit nos, & quantum ad dispositiones potentiarum, & quantum ad actiones ipsas, nihilominus etiam nos lædit, quantum ad ipsas potentias, & quantum ad hoc, culpa quatuor mala facit, primò à potentijs munitiones, & fortitudines tollendo, secundò in eis ægritudinem operando, tertiò dispergendo eas, & quartò dolorem, & tristitiam causando in ipsis. Homo enim per culpam perdit primò suam fortitudinem, & robur, ut non possit peccatis resistere. Quandiu enim sumus in culpa, & dum non sumus in gratia, non possu-

mus

mus omnia peccata vitare; hoc enim ponere, A esset incidere in errorem Pelagij, quòd ex puris naturalibus possit sibi quisque ab omnibus peccatis cavere. Culpa ergo, primò à potentijs munitiones & fortitudinem tollit, & secundò cum hoc eas infirmat, & ægrotat: sicut enim aliud est perdere calorem, & aliud est incurrere frigiditatem, sic aliud est perdere munitiones & fortitudines, & aliud est contrahere vitia opposita, & infirmari, & ægrotari. Et si hæc duo sic se habent, quòd unũ concomitatur aliud, secundùm tamen aliam, & aliam rationem, sumitur hoc & illud. Hæc ergo duo mala facit in nobis culpa, & ulteriùs facit malum tertium, quia potentias dissuit, & dispergit: in peccatore enim potentiæ non sunt unitæ, sed dispersæ, & dissutæ, quia unum dictat agere ratio, & aliud secundùm sensualitatem agitur. Quartò culpa in potentijs nostris & in mente nostra dolorem, & tristitiam causat. Nam sicut gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ: sic dolor, & tristitia mentis nostræ, est in nobis ipsis contrariam nostram conscientiam invenire. Contra autem hæc quatuor mala quæ facit culpa, tangit Augustinus quatuor quæ facit pœnitentia, quia mentem munit, & roborat, contra primum: omnia sanat, contra secundum: omnia reintegrat, contra tertium: omnia lętificat contra quartum.

Et si dicatur, quòd hæc etiam superiùs C tangebantur, cùm dicebatur, quòd peccatum facit languidum, quod est tollere robur, & facit hominem leprosum, quod est inducere infirmitatem, & morbum: pœnitentia verò è contra, opposita bona facit. Porrò dicemus, quòd etsi peccatum bonas dispositiones tollit, & actiones bonas impedit, & potentias lædit: etsi uno ictu omnia hæc mala facit, nihilominus hęc plura mala sunt: sic è contra, opposita quæ facit pœnitentia sunt plura bona. Igitur si Augustinus, vel alij sancti detestãdo culpã, vel cõmendando pœnitentiã, videntur idé pluries iterare, potest illud sic pluries D iteratũ ad diversa referri, ut ad remotionem perfectionis, vel ad læsionẽ potentiarũ, vel ad impedimẽta actionũ, vel quomodolibet aliùd.

Patet ergo quomodo loquendum est de culpa, & de pœnitentia, quantum ad potentias, bonas dispositiones, vel perfectiones potentiarum, & quantum ad actiones. Sed quãtum ad modum agendi, dicimus quòd culpa tria mala facit, quia habet intemperare successus, dispergere impetus, immoderare gressus. Nam cùm incidimus in culpam: primò incipimus vana cogitare, & ex hoc dicimur non temperare successus, quasi cogitatio succedés cogitationi: quę non est temperata, nec ad debitum finem ordinata, sed est vana. Secundò quis per culpam cùm incepit vana cogitare, & non temperare successus, incipit in rebus vanis delectari, propter quod dicitur nõ constringere impetus. Et tertiò consentit illis vanis, & tunc dicitur non moderare gressus. Hic ergo est modus culpæ, & modus agendi per culpam. Sed pœnitentia tanquam totaliter culpæ opposita, temperat successus, ne cogitemus vana, constringit impetus, ne delectemur in eis, moderatur gressus, ne consentiamus in ipsis.

CAPVT IX.

In quo ostenditur, quomodo intelligenda sunt verba Augustini de bonis quæ facit pœnitentia, prout per eam in finem tendimus.

EST ergo ex præhabitis declaratum, qualiter dicendum de culpa, & pœnitentia quãtum ad omnia prætacta: sed quantum ad finem, in quem tendimus per omnia præfata, dicere possumus, quòd peccatum nos deviare facit à fine, pœnitentia verò facit nos tendere in finem. Sed de deviatione à fine, possumus loqui dupliciter, primo generaliter, secundo specialiter prout comparatur ad Christum: generaliter quidé quadrupliciter nos facit deviare peccatum à fine, primo impediendo intellectum, ne homo se ipsum cognoscat; si enim peccator se ipsum cognosceret, & benè se ipsum consideraret, quantum vilis effectus est per peccatũ, statim à peccato recederet. Secundo peccatum pervertit affectum, ut homo nolit se ipsum quærere, nolit se ipsum invenire, quia si se ipsum quæreret, & se ipsum inveniret, videret se esse animal rationale, & secundùm rationem debere agere. Tertio per peccatum, à societate Angelorum separamur, ad quorũ societatem perducti, una cum eis deberemus nostro fine, & nostro Creatore frui. Quarto per peccatum ab ipso Deo Creatore avertimur. Et quia pœnitentia per omnem modum peccato opponitur, ideò contra hæc quatuor quibus per peccatum deviamus à fine, pœnitentia quatuor facit. Quia per pœnitentiam homo ignorans se recognoscit. Quærens per hãc, se invenit. Hæc est, quæ homines ad Angelos ducit. Et creaturam reddit Creatori.

Sic

Sic ergo loquendum est de culpa, & de pœnitentia, secundùm quod loquimur de deviatione, vel de consecutione finis generaliter. Sed prout specialiter comparamur ad Christum qui est mediator inter nos, & Deũ, dicere possumus, quòd septem in nobis facit peccatum, quod dividit inter nos, & Christũ, quæ omnia restaurat pœnitentia. Nam peccatum facit nos esse ovem perditam, quia facit nos à pastore nostro deviare. Facit nos esse drachmam amissam, quia habet nostram imaginem deformare; nam sicut in denario, sive in drachma est imago principis, sic in anima nostra est imago Dei: sicut ergo, si à denario tolleretur imago, non diceretur esse denarius, sic quando ab anima deformatur, vel etiam quodam modo tollitur imago, quod fit per peccatum (juxta illud Psalmi 72. *Imaginem illorum ad nihilum rediges*) anima quoque desinit esse drachma, vel dicitur esse drachma amissa. (Qualiter autem peccatum tollat imaginem, & qualiter non, plana est responsio, quia non tollit quantum ad ipsas potentias, tollit autem quantum ad perfectiones potentiarum. Ipsas etiam potentias licèt non simpliciter tollat: eas tamen vulnerat, & inhabilitat.) Tertiò, peccatum facit nos esse filiũ dissipatorem, tollendo à nobis hereditatem æternam. Quartò, facit nos esse à latronibus, à dæmonibus, vel à carnalibus affectionibus, expoliatos, & vulneratos: expoliatos in gratuitis, vulneratos in naturalibus. Quintò per peccatum voluntas nostra perdit omne bonũ, & detinetur in malum. Sextò, per peccatum intellectus noster induit tenebras, & expoliatur luce. Septimò, per peccatum omnia opera nostra sunt cruda, & infrigidata, & immeritoria.

Pœnitentia autem tanquam peccato omnino oppositа septem facit oppositа his quæ numerata sunt. Nam ista scilicet pœnitentia, Christo quærenti ovem perditam monstrat: drachmam amissam Christo inquirenti offert: dissipatorem filium ad patrem reducit: vulneratum à latronibus & expoliatum, custodiendum, & curandum tradit. In hac omne bonum invenitur, & conservatur quantum ad affectum. Ista fugat tenebras, inducit lucem quantum ad intellectum: excoquit omnia opera nostra, quia ignis consumens est, quantum ad actum, seu quantum ad opus.

Advertendum autem, quòd omnia ista possumus referre secundùm quod comparamur ad Christum, quia ipse specialiter in Evangelio, loquitur de ove perdita, de drachma amissa, de filio dissipatore, de vulnerato à latronibus: per ipsum consequimur omne bonum: ipse enim est magister noster, fugans tenebras, inducens lucem: per ipsum excoquuntur igne charitatis omnia opera nostra, quia sine ipso nihil possumus facere. Si igitur hìc iterantur aliqua superiùs tacta, tamen ad aliud, & ad aliud referri possunt. Nam pœnitentia facit præfata quatuor generaliter, non descendendo secundùm hunc modum, vel illum: & facit hæc septem specialiter descendendo ad hunc modum, prout per pœnitentiam Christo conjungimur, per quem omnia illa septem consequimur.

Advertendum etiam, quòd mors Christi, & si pro redemptione omnium fuerit sufficiens, tamen redemptionem omnium non est efficiens, quia iniquitates nostræ dividunt inter nos, & ipsum, ut non perveniat ad nos influentia sanctitatis suæ: sed cùm per pœnitentiam ad ipsum convertimur, & ei conjungimur, tunc tanquam ovis perdita ab eo invenimur, tanquam drachma amissa ab ipso recuperamur &c. quæ superiùs sunt expressa. Advertendum etiam, quòd drachmæ amissio pertinet ad imaginem, quæ consistit in potẽtijs animæ, in quibus vulneramur, ut sunt quædam naturalia, & expoliamur à gratuitis, ut perficiuntur per virtutes, & dona. propter quod hujus amissio drachmæ videtur esse idẽ cum vulneratione, & expoliatione. Sed dicemus quòd imago Dei, & drachma nostra cõsistit in potentijs superioribus: & quia secũdùm August. in lib. 14. de Trinit. cap. 3. in eo quod est potissimum in anima, quærenda est imago: vulneratio autem, & expoliatio, est in virtutibus inferioribus, quia ipsa concupiscibilis, & irascibilis, sive ipse appetitus sensitivus per peccatum expoliatur à suis perfectionibus, & vulneratur, & inhabilitatur ad bonum: ideò ad aliud, & ad aliud referre possumus hæc, & illa.

Matt. 18. Luc. 15. *Luc. 10.* *Ioan. 15.*

CAPVT X.

In quo demonstratur, quòd si volumus plenè conformari rectitudini Divinæ sapientiæ, debemus de peccatis nostris plenè conteri, cõfiteri, & satisfacere, & quid est contritio, & propter quas causas debemus de peccatis nostris conteri?

QVONIAM ergo locuti diutius sumus, quot bona faciat pœnitentia, ut inducamur ad pœnitentiam, & ne discordemus à rectitudine Divinæ sapientiæ, volumus nunc

de partibus pœnitentiæ loqui. Nam culpa facit omnia præhabita mala, per quorum quodlibet discordamus à rectitudine Divinæ sapientiæ, tanquam ab arte recta, & vera, in qua omnes hujusmodi obliquitates cognoscũtur. E converso autem pœnitentia facit bona opposita illis malis, per quæ illi rectitudini, & illi arti conformamur. Verùm quia hujusmodi pœnitentia integratur ex multis partibus, nec est aliquid perfectum sine omnibus suis partibus, ideò ut perfectè illi rectitudini conformemur, de omnibus pœnitentiæ partibus decrevimus pertractare, quæ communiter dicuntur esse tres. Contritio in corde, Confessio in ore, satisfactio in opere.

Pœnit. partes.

Debet enim primò peccator in corde conteri, quod similitudinariè dictum est, ac si cor peccatoris, esset vas plenum fœtido liquore, quia est repletum turpibus culpis. Cùm ergo conterere sit aliquid in minutas partes frangere, cor peccatoris debet esse contritum id est in minutas partes fractum, ut totus ille liquor inde exeat: si enim frangeretur in magnas partes, posset ibi aliquid de illo liquore remanere: sed quando omninò contritum est, nihil ibi de illo liquore fœtido remanebit. Ita ergo contritio, dolor est de peccatis, de quibus dolendo, vacuatur cor à fœditate, & immunditia peccatorum. Vnde Augustinus de hujusmodi dolore, qui requiritur in pœnitentia, loquens in libro de Vera, & falsa pœnitentia, dicit: quòd *Peccator semper doleat, & de dolore gaudeat, & de doloris pœnitẽtia, si contigerit semper doleat.* Ite ergo dolor debet esse quasi contritio, idest confractio in partes parvas, quia sigillatim nostram conscientiam debemus inquirere de omnibus, quę commisimus contra Deum, & de quolibet illorum debemus dolere, ut in nulla parte cordis lateat aliquod peccatum, vel complacentia alicujus peccati: immò sic singulariter, & partibiliter debemus de quolibet peccato dolere, ut totum cor, quantum ad continentiã peccatorum, secundùm quamlibet sui partem sit confractum, non retinens in se aliquod peccatorum. Nam (ut dicitur 4. Sentent. dist. 14. & allegatur auctoritas Gregorij) *Qui sic alia peccata deplorat, ut alia tamen committat, adhuc pœnitentiam agere aut ignorat, aut dissimulat.* Et subditur: *Quid enim prodest, si peccata luxuriæ quis defleat, & adhuc avaritiæ æstibus ardeat?* Et Augustinus in de Vera, & falsa pœnitencia, cap. 9. dicit: *Quædam enim impietas infidelitatis est, ab illo qui justus, & justitia est, dimidiam sperare veniam.* Debet ergo cor, esse contritum per singulas partes, & confractum, ut de singulis peccatis doleamus.

Cap. 13.

Possumus autem assignare quinque causas; quare sic debeamus de peccatis conteri, & dolere. Primò, ut à mundo avertamur, juxta illud: *Nolite diligere mundum, nec ea quæ in mundo sunt.* Secundò, ut ad Deum convertamur, sicut ipse per Prophetam Ioelem cap. 2. nos inducit: *Convertimini ad me in toto corde vestro; & scindite corda vestra.* Tertiò, ut ex hoc Deum adjutorem habeamus: sicut enim qui se avertit à lumine non habet adjutorium ab ipso, sic qui se avertit à Deo, quãtum in se est, respuit auxilium Dei: contra quos dicitur in Psalmo 51. *Ecce homo qui non posuit Deum adjutorem sibi.* Quartò, hoc debemus facere ut de peccatis displicẽtiam habeamus, nam non possumus inchoare novam vitam, nisi nobis displiceat præterita vita. Quintò debemus sic conteri, & dolere, ut à peccatis in posterum caveamus, quia hæc est vera pœnitentia secundùm Ambrosium, *Mala præterita plangere, & plangenda iterùm non committere.* Et secundùm Greg. est acta peccata deflere, & flenda non committere.

Joan. 2.

CAP. XI.

In quo ostenditur quòd confessio, quæ est secunda pars pœnitentiæ, habet animam decorare: & quòd propter quinque causas debemus sacerdotibus confiteri.

SECVNDA pars pœnitentiæ est confessio, ad quam inducimur testimonio Jacobi dicentis: *Confitemini alterutrum peccata vestra.* Confessio enim peccatorum animam decorat & pulchram facit. Vnde cõfessio, & decor sive pulchritudo convertuntur, & unum sequitur ad aliud, juxta illud Psalmi 103. *Confessionem, & decorem induisti.* Et alibi Psal. 95. *Confessio, & pulchritudo in conspectu ejus.* Fuerunt autem non nulli dicentes, quòd in sola contritione dimittuntur peccata, ut quis non indigeat confiteri: quod patet per simile de leprosis, de quibus dicitur, quòd dũ irent, mundati sunt: mandatum enim eis fuerat quòd se ostenderent sacerdotibus. In quo significabatur, quòd peccatores debent sua peccata confiteri, se sacerdotibus ostendere, ante tamen quàm se ostenderent, videntur fuisse mundati: ante ergo quàm quis confiteatur, in ipsa contritione, in ipso proposito confitendi; mundus est, quòd concordat cũ

Cap. 5.

Psal

Psalmo 31. *Dixi confitebor*, id est, propositi confiteri, *Adversum me injustitiam meam Domino, & tu &c.* Si ergo in proposito sit remissio, nō indigemus ulterius confiteri.

Dicemus ergo, quòd fatua & vana est voluntas, si adsit commoditas, & tamen non reducatur ad actum. Nulli ergo remittitur culpa, nisi adsit confessio in voto, & nisi proponat confiteri, aliter non est illi remissio. Si ergo ibi adest tale propositum, & adest commoditas confitendi, & non adimpleat quod habuit in proposito, & in voto, fatuum reputatur tale propositum, & non est sufficiens ad salutem. Potest ergo quis sine confessione salvari, dum tamen conteratur, & proponat cōfiteri, & desit sibi spatium confitendi: sed si adsit confitendi commoditas, vel fictè proposuit quod volebat implere, vel est à suo bono proposito remotus, & ex hoc est Deo ingratus, in qua ingratitudine persistens, non potest salutem consequi.

Possumus autem assignare quinque rationes, propter quas quisque debet confiteri. Primò ut in re certa se ponat: nam cùm quis confitetur, clavibus Ecclesiæ se supponit, quia magna est virtus clavium: & multoties virtute clavium quis de attrito fit contritus: & homo nescit benè judicare, an veram contritionem habeat, ideò debet se supponere clavibus, sperans & confidens, quòd virtute clavium, suppleatur, si quis sit in contritione defectus, ratione cujus magis se fundat in re certa, dicente sententia Sapientis: *Tene certa, & dimitte incerta.* Secundò hoc debet facere, quia transgressionem mandati vitat: nam cùm præceptum sit quòd debeamus confiteri, quod figuratum fuit Levitici 14. cap. ubi dicitur, quòd hic est ritus leprosi, quando mundatus est: adducetur ad sacerdotem. Vbi figuratum est quòd peccator mundandus à lepra peccati per confessionem, debet se ostendere sacerdoti. Tertiò debet hoc facere, ut augmentum gratiæ habeat: nam etsi in contritione consecutus est gratiam, per confessionem (si devotè hanc agit) augmentum gratiæ promeretur. Ideò dicitur Proverb. 28. cap. quòd *Qui abscondit scelera sua, non dirigetur: qui autem confessus fuerit, & reliquerit ea, misericordiam consequetur.* Quæ misericordia intelligenda est, vel quia de non grato fit gratus, si ante confessionem non fuit in gratia: vel quia de grato fit magis gratus, si in gratia existens, devotè se clavibus Ecclesiæ subjicit. Quartò hoc debet facere, ut de peccato cognitionē habeat: supponitur enim quòd sacerdos sit sciens discernere inter leprā, & lepram, & scìat dare notitiam de peccatis, & sciat ligare, & solvere. Vnde Augustinus in de Vera, & falsa pœnitentia ait, quòd qui vult confiteri peccata, ut inveniat gratiam, quærat sacerdotem scientem ligare, & solvere, ne si negligens circa se extiterit, negligatur ab illo, qui eum misericorditer monet, & petit, Ne ambo in foveam cadant. Quintò debet aliquis confiteri peccata, ut pœnam sibi debitam pro peccatis minuat: nam ipsa erubescentia, quæ est in confessione, est pars satisfactionis, & minuit pœnam debitam pro peccatis.

Prov. 28. v. 13.

CAP. XII.

In quo ostenditur quòd satisfactio, quæ est tertia pars pœnitentiæ, propter quinque causas est necessaria pœnitenti.

TERTIA pars pœnitentiæ est satisfactio, quæ potest comparari ad quinque: nam in peccato sunt tria, videlicet superbia, prout peccator nō vult Deo subesse: avaritia, prout vult propriam voluntatem, & cupiditatem consequi: obligatio ad pœnam ratione transgressionis. Ad quinque ergo potest comparari satisfactio, vel ad superbiam quę est in peccato, prout non vult voluntati alterius subesse: vel ad avaritiam, prout vult suam voluntatem, & cupiditatem consequi: vel ad obligationem ad pœnam: vel ad alias partes pœnitentiæ, quæ sunt cōtritio, & confessio: vel ad ipsum satisfacientem, & pœnitentem. Cùm ergo pœnitens hoc modo satisfaciat, quia supponit se voluntati alterius, scilicet sacerdotis, & relinquit volūtatem propriam, & facit illud quod sacerdos sibi injungit, dato quòd sibi sit grave, & sibi displiceat facere, propterea quinque requiruntur, ut sit bona talis satisfactio.

Primò, ut peccator voluntati alterius se subjiciat, contra superbiam, quæ fuit in peccato. Secundò, ut voluntatem propriam deserat, contra avaritiam, quæ etiam est æqualiter in quolibet peccato. Tertiò, ut in se ipso pœnam gerat, contra obligationem, quæ habet esse in quolibet peccato, nam hinc dicitur pœnitens (secundùm Augustinum in de Vera, & falsa pœnitentia, cap. 19.) quasi pœnam tenens. Quartò hoc debet facere, ut defectum, si quis contra hoc fuit, in hujusmodi contritione, & confessione, suppleat. Nam dolor contritionis, & pudor confessionis,

nis, sunt partes satisfactionis. Sed fortè non fuit tantus dolor, nec tantus pudor, quòd sufficienter satisfaciat pro peccato, ideò præter contritionem, & confessionem, injungenda est aliqua alia satisfactio. Quintò, bona est satisfactio, ut pœnitens totum se Deo tribuat. Nam in satisfactione injunguntur orationes, abstinentiæ, eleemosynarum largitiones, peregrinationes, jejunia, & alia hujusmodi. Cũ ergo contritio sit in corde, confessio in ore, ut anima ipsius peccatoris ordinetur in Deum, tam corpus, quàm res exteriores (si quas habet) ut totum se Deo tribuat, injungenda est satisfactio: vel quantum ad jejunia, per quæ corpus maceratur: vel orationes, per quas totus in Deum ordinatur: vel quantum ad genuflexiones, per quas corpus inclinatur, & anima humiliatur: vel quantum ad itinerationes, per quas corpus fatigatur: vel quantum ad eleemosynarum largitiones, per quas bona exteriora communicantur, ut sic totus homo, secundùm se, & secundùm omnia sua posit ordinari in Deum. Vnde cum maturitate, & cum discretione debet sacerdos videre, quid cuique imponat: quia quanto magis pœnitens conteritur, & dolet, & magis verecundatur de peccato, tanto magis satisfacit, & minor ei pœna ulterior ponenda est: sicut etiam juvenibus magis est abstinentia injungenda, ut magis macerentur in carne, & ut macerati sibi à peccatis caveant.

CAP. XIII.

In quo ostenditur quòd ex quarta laude Divinæ sapientiæ, ut quia in illa relucet infinita bonitas, per eam, à creaturis participata, solvitur quarta quæstio, qualiter Deus sit diligendus.

POSTQVAM egimus de tribus laudibus Divinę sapiętiæ; per quas solvimus tres propositas quæstiones: volumus agere de quarta laude, videlicet, de bonitate Divinæ sapientiæ: ex qua poterimus solvere quæstionem quartam: qualiter debemus Deum diligere, quod si benè sciverimus, scire poterimus, quæ, & quot sunt ex charitate diligenda, & quot bona facit in nobis dilectio charitatis. Sciẽdum ergo quòd idem est amare quod velle bonũ. Vnde & Philosophus 2. Rhetoricorum cap de Amore ait, quòd *Diffinientes amare, dicamus quòd est velle alicui quæ putamus esse bona.* Ex ipsa itaque ratione bonitatis, quàm volumus alicui, vel nobis, oportet, quòd sumatur ratio amoris. Igitur ex bonitate Dei, scire poterimus, qualiter diligendus sit Deus. Dicimus autẽ quòd quæsta laus Divinæ sapientię, est ejus bonitas. Nam illa sapientia, non solùm est plena, alta, & recta, ut dicebant tres primę laudes: sed etiam est bona, & optima, sicut dicit hæc quarta laus: dicitur enim bonum æqualiter enti. Sicut igitur aliquid est ens, sic est bonum, & quod est infinitum ens, est infinitum bonum: & quia illa Divina sapientia est infinitum ens, consequens est quòd sit infinitum bonum. Si ergo ex ratione bonitatum sumitur ratio dilectionis, consequens est, quòd Deus sit in infinitum diligendus: & quia ad hoc non possumus pertingere, quia dilectio nostra, sive sit actus dilectionis, sive habitus, est finitus (cùm sit quid creatum) consequẽs est, quòd non possumus Deum tantum diligere, quin sit plus diligendus: inde est quòd secundùm Gregorium, *Modus charitatis, est non habere modum*: ideò præcipitur in lege Mosaica, & Evangelica quòd diligamus Deũ omni modo quo possimus, *Ex tota mente*, id est ex tota memoria, *Ex toto corde*, id est, ex tota intelligentia, *Ex tota anima*, id est, ex tota voluntate, quę sunt tres partes imaginis. Et ulteriùs debemus ipsum diligere *Ex omnibus viribus*: quod dupliciter potest exponi. Primo, ut omnes vires referantur ad illas potentias animæ. Nam non solùm partes imaginis, quæ sunt superiores animæ vires; memoria, videlicet, intelligentia, & voluntas; sed omnes alias vires animæ, debemus ordinare in Deum: propter quod non solùm ex tota memoria, intelligentia, & voluntate, sed ex omnibus alijs viribus animæ debemus in Deũ ferri, & ipsum diligere, & omnia ad ipsum per dilectionem ordinare.

Exod. 20.

Vel possumus dicere, quòd nullum debemus habere modum in diligẽdo Deum, nec extensivè, nec intensivè; sed nos totos & totaliter ordinare debemus in Deum. Debemus ergo Deum diligere, ex tota mente, ex toto corde, & ex tota anima, id est omnia nostra, & nos totos ordinando in ipsum, ut sit ibi totalitas extensivè ut nihil sit in nobis, quod non ordinemus in ipsum. Debemus insuper hoc facere ex totis viribus, quòd sit ibi totalitas intensivè, ut cum omni fervore, & quãtum possumus, & secundùm omnes vires nostras, omnia nostra ordinemus in ipsum. Prima ergo totalitas (ut dicitur ex tota mente &c) sumitur extensivè, ut ibi comprehendan-

Cap. 5.

dantur omnia noſtra. Secunda autem totalitas cùm dicitur (ex omnibus viribus &c.) ſumetur intenſivè, quia omnia noſtra non quocúque modo, ſed modo ſummo debemus ordinare in Deum.

Ex bonitate itaque illa, quæ relucet in Divina ſapientia, ſcire poſſumus qualiter Deus ſit diligendus: ſed ipſa Divina bonitas quæ relucet in ipſo Deo, & in ejus ſapientia, tripliciter poteſt conſiderari: primo quanta eſt in ſe. Secundo quanta eſt in ſuorum effectuum productione. Tertio quanta eſt in ipſorum conſervatione. Ex ipſa autem Divina bonitate in ſe, oſtenſum eſt, qualiter ſit diligendus, quia diligendus eſt ſecundùm omnia noſtra, & ſecundùm omnes vires, & ſecundùm omnem modum, ſecundùm quem poſſumus: quod non ſolùm veritatem habet, ſi conſideremus Divinam bonitatem, relucentē in illa Divina ſapientia, quanta eſt in ſe: ſed etiam, ſi conſideremus eam in productione ſuorum effectuum, quia ſecundùm ſententiā Apoſtoli: nihil habemus quod non acceperimus. Ab ipſo enim habemus mentem, cor, & animam: ſive memoriam, & intelligentiam, & voluntatem, & omnes potentias animæ: ab ipſo etiam habemus omnes vires, & omnem conatum in bonum, qui poteſt eſſe per hujuſmodi potentias: ab eo ergo habemus omnia extenſivè, & intenſivè, quantum ad res habitas, & quantum ad modum habendi: quantum ad id quod ſunt, & quantum ad eorum conatum. Et quia magna ingratitudo eſt, non ordinare omnia quæ habemus ad illum à quo habemus: ideò ne ingrati ſimus Deo, omnia noſtra ſecundùm omnem conatum debemus ordinare in ipſum Deum, nec ad hoc ſufficit, quia non poſſumus ei reddere æquivalens. Si enim conſideramus hunc modum, nihil ſupererogamus, & nihi facimus, quod non teneamur facere: ideò dicebat Dominus, quòd cùm omnia bona fecerimus, debemus dicere, ſervi inutiles ſumus, & quod debuimus facere, fecimus.

1. Cor. 4.

Luc. 17.

Tertiò hoc idem patet, ſi conſideremus Divinam bonitatem relucentem in Divina ſapientia, quantum ad effectuum conſervationem. Nam Deus non ſic eſt cauſa rerum, ſicut ædificator eſt cauſa domus, quia recedente ædificatore, adhuc ſtat domus: ſed ſi ad momentum Deus deſereret creaturam ſuam, ſtatim eſſe deſineret. Vnde Auguſt. 4. ſuper Gen. cap. 12. ait: *Neque enim ſicut ſtructuram ædium cùm fabricaverit quis abſcedit, atque illo ceſſante, atq; abſcedente, ſtat opus ejus: ita mundus, vel ictu oculi ſtare poterit, ſi ei Deus A regimen ſui ſubtraxerit.* Et quia Deus eſt ſuper omnia conſervans ea, & ſine ipſo nihil ſunt omnia; ideò ad ipſum debemus converti per omnia, & in ipſum omnia noſtra per dilectionem, omni modo quo poſſumus, ordinare debemus. Vnde Auguſt. loquens Deo 6. Confeſſ. cap. 6. ait: *Quòd relictis omnibus convertamur ad te, qui es ſuper omnia, & ſine quo nulla ſunt omnia.* Advertendum autē quòd modus dilectionis Divinæ eſt, quòd ipſum diligamus ſuper omnia intenſivè, quia ex totis viribus: & ſuper omnia extenſivè, quia ſecundùm omnes potentias noſtras, quem modum diligendi appropriamus laudi Divinæ ſapientiæ, prout in ea relucet infinita bonitas. B Nam prout Deus, per ſuam ſapientiam cognoſcit ſe infinitum bonum, ſuam bonitatem communicavit rebus per ſuam ſapientiam, ut dicantur omnia in Divina ſapientia eſſe facta. Et quia prout per ſuam ſapientiam bonitatem ſuam communicavit nobis, & fecit nos eſſe debitores ſuos, ut ex hoc teneremur ipſum diligere, & non habere modum dilectionis, ideò laudi Divinæ ſapientiæ, prout ipſa eſt infinitum bonum, & in ea relucet bonitas infinita, hæc volumus adaptare.

CAPVT XIV.

In quo oſtenditur quomodo ex modo dilectionis Divinæ ſapientiæ ſcire poſſumus quæ, & quot, & quo ordine, ſunt ex charitate diligenda.

DIXIMVS autem ſuprà, quòd ſi ſciverimus qualiter ſit Deus diligendus, ſcire poſſemus, quæ, & quot ſunt diligenda ex charitate, & quot bona faciat in nobis dilectio charitatis. Recitat autem Auguſt. 1. de Doct. Chriſt. cap. 23. quatuor diligenda eſſe: unum quod eſt ſupra D nos, videlicet Deus: aliud quod nos ſumus: tertium quod eſt juxta nos, ſcilicet proximum; & quartum quod eſt intra nos, videlicet corpus noſtrum: ſed eo modo quo ipſe poſuit quatuor ſic eſſe diligenda, potuiſſet ponere quinque. Nam ſicut nos ipſos dividimus in duas partes, ſcilicet in hominem interiorem, & exteriorem, vel (ut loquamur verbis Auguſt. 1. de Doct. Chriſt. cap. 26.) in animam, & corpus: ſic poſſumus, & proximos noſtros dividere, ut dicamus quinque diligenda eſſe ex charitate, videlicet, Deus, qui eſt ſupra nos: homo interior, quod nos ſumus: homo interior

rior proximi, qui est juxta nos : homo exterior noster, sive corpus nostrum, quod est infra nos ; & homo exterior proximi sive corpus ejus quod est juxta corpus nostrum : sed si sic dicimus, non videmur omnia enumerasse, quæ sunt ex charitate diligenda. Nam, & ipse amor, & ipsa dilectio est ex charitate diligenda. Vnde August. 8. de Trinit, cap. 8. *Nemo dicat non novi quid diligam, diligat fratrem, & diligat eam dilectionem, qua diligit fratrem,* Dicemus ergo duo esse genera diligendorum. Nam aliqua diligimus, tanquam ea quibus bonum volumus : aliqua autem, non tanquam ea quibus bonum volumus, sed tanquam aliqua bona, quæ nobis, vel alijs volumus. In primo quidem genere, uno modo sunt tria diligenda, alio modo sunt quatuor, alio modo quinque. August. autem 19. de *Matth. 22.* Trinit. cap. 14. & 1. de Doct. Christ. cap. 26. Tria dicit esse diligenda ex charitate, Deus, proximus, & nos ipsi, quæ tria diligenda innuuntur, cùm Dominus ait : *Diliges Dominum Deum tuum, & proximum tuum sicut te ipsum.* In 1. autem de Doct. Christ. cap. 23. dicit esse quatuor sic diligenda, quia dividit nos ipsos in animam, & corpus, vel in nos, & corpus nostrum. Nam cùm aliquid componitur ex duobus, semper supremum sumit nomen totius, ut quod facit Papa dicitur facere Ecclesia, quia Papa est caput Ecclesiæ : & sicut Papa supremum in Ecclesia dicitur, sic anima nostra, vel animus, vel homo interior, videtur esse nos ipsi : sed sicut nos ipsi dividimur in duo, sic & proximos nostros in illa duo dividere possumus, & potissimè prout homines sunt proximi nostri ; qui dividuntur in naturam corporalem, & spiritualem, quod dicimus propter Angelos, qui etiam sunt proximi nostri, quia possunt nobis misericordiã impartiri. Non enim inter nos, & Angelos, est illud chaos magnum firmatum, quòd non possimus ire ad eos, & quòd non possint dici proximi nostri.

Quinque ergo (ut tangebamus) sunt diligenda ex charitate. Natura spiritualis, quę est supra nos, videlicet Deus : & natura spiritualis quæ nos sumus, videlicet anima nostra, & natura spiritualis proximi quæ est juxta nos, videlicet anima illius, sive sint spiritus Angelici, sive humani : & natura corporalis nostra quæ est infra nos, videlicet corpus nostrum : & natura corporalis aliorum hominum, videlicet corpora eorum, quæ est juxta corpus nostrum. Hæc autem omnia diligimus tanquam ea quibus bonum volumus, quæ hoc ordine sunt diligenda. Nam primò est diligendus Deus, magis etiam quàm nos ipsi, quia propter quod unumquodque, & illud magis 1. Poster. Cùm ergò Deus sit diligendus propter se ipsum : quilibet autem debet diligere se ipsum, non propter se ipsum, quia non est ipse sui ipsius finis, sed propter Deũ : consequens est, quòd quilibet debet plus diligere Deum quàm se ipsum. Nec in hoc possumus dubitare : quia si amor est quædam unio, magis Deus unitur, & est magis vicinus nobis, quàm nos nobis ipsis, ut vult August. in 3. lib. Confess. cap. 6. Immò magis, bonũ nostrum non posset subsistere sine Deo. Bonũ ergo nostrum reservatur in Deo magis, quàm in se ipso : quia bonum nostrum non posset subsistere sine Deo. Bonum ergo nostrum non posset subsistere in se ipso, nisi esset conjunctum Deo. Vnde si annihilatum foret, & si nihil esset in se ipso, posset à Deo refici. Ergo quilibet homo debet se magis amare in Deo, quàm in se ipso, & magis amare Deum quam se ipsum, cùm suum bonum magis sit ipse Deus, quàm sit ipsemet. Sic etiam plus debemus diligere Deum, quàm proximos nostros. Nam filij plus sunt uniti patri, quàm sibi ipsis. Nam non sunt uniti sibi ipsis, nisi quia sunt uniti Patri, à quo descenderunt, propter quod major est amor filiorum ad patrẽ, quàm ad se ipsos. Sic & nos gerimus imaginem unius Dei : unio ergo ad alios, est ex unione quam habemus ad Deum, ut Deum plusquam omnia alia diligamus. Debemus ergo diligere Deum plusquam nos, & proximos. Sed nos debemus plus diligere nos, quàm proximos nostros. Nam non præcipitur nobis, quòd diligamus proximos nostros plusquam nos ipsos, sed sicut nos ipsos, id est, ad id ad quod diligimus nos ipsos : ut sicut nos ipsos diligimus ad vitam æternã, sic & proximos nostros, ad vitam æternam debemus diligere.

Oportet enim, quòd ex fine sumatur omnis ratio dilectionis. Nam finis se habet in diligibilibus sicut principia in speculabilibus : sicut ergo principijs credimus propter se, conclusionibus autem propter principia : ideò plus credimus principijs, quàm conclusionibus : sic finem diligimus propter se, alia autem propter finem. Deus autem est diligendus, quia ipse est finis, & beatitudo nostra, ideò est summè diligendus. Nos autem debemus diligere nos ipsos propter hunc finem, ut conjungamur ei : proximos autem propter hunc finem, ut associemur eis in hujusmodi fine. Et quia plus est uniri fini, quàm associari alijs in unione ad finem, plus debemus diligere nos ipsos, quàm proximos nostros. Corpora autem nostra de-

bemus

bemus diligere propter hunc finem,& propter hanc beatitudinem, ut quia à beatitudine illa in anima redundabit beatitudo in corpus, sicut enim cùm quis est lætatus in anima, à lętitia quæ est in corde resultat pulchrior color in corpore : sic in Patria, & multò magis à decore, & beatitudine in anima,redundabit decor, & beatitudo in corpore : propter quod corpus nostrum est quarto loco diligendum. Corpora autem proximorum debemus diligere tanquam ea quæ nostris corporibus associabuntur in participatione secundùm talem resultationem talis beatitudinis : ideò corpora proximorum sunt ultimò diligenda. Assignavimus ergo (ut est per habita manifestum, in hoc genere diligendorum prout sunt ea quibus volumus bona) quinque gradus. Quia primò volumus bonum Divinum ipsi Deo. Secundò volumus hujusmodi bonum uniri nobis. Tertiò volumus in illo bono associari nobis proximos nostros. Quartò volumus illud bonum aliqualiter resultari in corpora nostra. Quintò volumus in tali resultatione associari, corporibus nostris corpora proximorum.

Sed sicut assignavimus ordinem in his quæ diligimus , tanquam ea quibus bonum volumus : sic possumus assignare ordinem in his quæ diligimus , tanquam quædam bona quæ nobis , vel alijs volumus , quæ sunt in triplici ordine. Nam primò est ipsa dilectio, sive charitas, quæ est mater omnium. Secundò sunt aliqua interiora bona. Tertiò possunt etiam sic diligi exteriora bona : quæ omnia etiam propter finem,& propter beatitudinem debemus diligere. Charitatem ergo, & omnia illa bona, sine quibus nunquam est charitas , & quæ nunquam sunt sine charitate,debemus primò diligere, tanquam ea sine quibus beatitudo haberi non potest, & tanquam quibus habitis , à beatitudine frustrari non possumus. Bona autem illa interiora debemus diligere ex charitate tanquam consecutiva finis, & quasi adminiculantia ex propinquo.Bona etiam exteriora possumus diligere nobis, & alijs, tanquam aliqualiter juvantia ad finem quodam modo ex longinquo. Sed hæc omnia non propriè diligimus tanquam ea quibus bonum volumus, sed tanquam quædam bona quæ ex charitate nobis vel alijs diligere possumus. Nam & ipsam charitatem debemus nobis , & alijs ex charitate velle, & diligere, ut sic verificetur in nobis illud Canticorum 1. *Introduxit me Rex in cellam vinariam , ordinavit in me charitatem.* Qui enim vino charitatis inebriatur, à recto ordine dilectionis non distrahitur : immò magis ipsum tenet,& continet: ut inebriati hoc modo, omnia diligenda suo ordine diligamus.

CAP. XV.

In quo ostenditur quæ, & quot bona facit in nobis divinus amor, sive dilectio charitatis.



Olentes autem complere omnia quę de dilectione diximus : volumus enarrare quæ, & quot bona facit in nobis dilectio charitatis, quia de hac dilectione loqui intendimus. Propter quod sciẽdũ,quòd secundùm Augustinum 13. Confes. cap. 9. & 11. de Civit. Dei cap. 28. Quòd illud quod est pondus in corporibus, est amor in spiritibus. Vnde ait: *Pondus meum, amor meus , eò feror quocumque feror.* Possumus autem dicere,quòd accipiendo pondus largè sicut accipit Augustinus pro omni eo quo feruntur corpora in loca sibi convenientia, quinque consequuntur corpora ex suo pondere.Nam primò corpora per pondus , in loca sua tendunt. Secundò locis suis uniuntur. Tertiò, locis suis assimilãtur. Quartò , in eis conservantur. Quintò, ibidẽ quiescunt, ut gravia per gravitatem ad centrum tendant, eique uniuntur: assimilantur cẽtro secundùm quod conservantur , & quiescunt ibidem : respectu centri loci sui omnia ista concurrunt. Dicuntur enim res suis locis assimilari, & ibidem conservari : quia cùm in locis suis quiescant, & nihil quiescat in eo, quod est simpliciter sibi dissimile , oportet quòd locata sicut in locis suis quiescunt , sic aliquam similitudinem habeant ad loca sua , vel aliquam similitudinem contrahant , ex eo quòd sunt in locis suis : consequens etiam est, quòd in suis locis conserventur ratione conformitatis, quam habent ad ea, vel quam cõtrahunt ex eo quòd sunt in eis.

Hæc autem quinque, quæ dicta sunt de corporibus respectu sui ponderis, vera sunt de spiritibus respectu sui amoris , & maximè, cùm per amorem feruntur in Deum : quod fit per virtutes, qui motus quodammodo est naturalis vel est conveniens naturæ, quia etsi fit per gratiam, grátia non tollit naturam,sed perficit eam. Nam ferri secundùm vitia, est ferri contra naturam : nam omne vitium est contrarium naturæ, ut vult Augustinus 11. de Civit. Dei cap. 17. Sicut ergo corpora in locis

eis contra naturam non quietantur : sic cùm A animus fertur in aliquid per vitium non quietatur, immò per hoc magis habet pœnam, juxta illud Augustini 1. Confess. cap. 12. *Insistis Domine, & sic est, ut pœna sua sibi esset omnis inordinatus animus.* Cùm ergo mens fertur per amorem in id quod est secundùm naturam, vel in id quod est conveniens naturæ, vel quod perficit naturam, secundùm quem modum fertur in Deũ, quod potissimè facit in nobis amor charitatis, dicemus quòd secundùm talem motum, & secundùm talem amorem, natura spiritualis consequitur quinque, correspondentia illis quinque, quæ consequuntur corpora, prout per pondus ordinantur in locum sibi convenientem.

Nam hujusmodi charitatis amor facit nos in Deum tendere : unit nos ei : transformat nos in ipsum : facit nos de Deo gaudere, & in ipsum quiescere. Facit primò talis amor in Deum tendere. Nam cùm propriè talis amor sit Divinus, & in omnibus faciat nos habere Deum tanquam finem, quia nos facit diligere omnia propter ipsum, cùm res quælibet naturaliter tendat in suum finem, consequens est, quòd hoc sit de natura hujus amoris, quòd præ cunctis nos faciat desiderare Deum, & in ipsum per desiderium tendere. Habet etiam hujusmodi amor, nos Deo unire, quia hoc est de ratione amoris, quòd sit quædam virtus unitiva amantis cum re amata, ut C dicit Augustinus de Trinit. cap. 10. & Dion. 4. de Divinis Nomin. ubi ait : *Omnem amorem, sive Divinum, sive Angelicum, sive intellectualem, sive animalem, sive naturalem unitivã quãdam dicimus esse virtutem.* Inde est ergo quòd Apostolus 1. ad Corint. cap. 6. dicit : *Qui adhæret Deo* (scilicet per amorem) *unus spiritus est cum illo.* Tertiò hujusmodi amor habet nos in Deum transformare. Nam plus facit amor, quàm faciat scientia, quia scientia assimilat tantùm. Sufficit enim quòd in sciente sint similitudines scitorum ad hoc quòd illa scita sciãtur ab eo. Immò aliquando major est cogni- D tio rei scitæ per similitudinem, quàm per essentiam ejus : ut Angelus de se ipso habet cognitionem per essentiam suam : Deus autem non habet cognitionem de re creata per essentiam rei creatæ, sed per essentiam suam quæ est similitudo, & exemplar omnium creaturarum. Incomparabiliter tamen pleniorem cognitionem habet Deus de Angelis, quàm Angeli de se ipsis. Vnde Dionysius 6. de Angelica Hierar. vult, quòd quanti, & quales sunt cœlestes spiritus, solus princeps, id est Deus, perfectiones eorum novit, (& subdit) quòd ipsi Angeli dicuntur proprias ignorare virtutes : quod intelligendum est respectu Dei : quia adeò est clara cognitio, quam habet Deus de Angelis, ut respectu illius cognitionis dicantur Angeli ignorare se ipsos. Scientia ergo assimilat, id est, sufficit assimilatio ad sciri. Sed amor transformat, quia si sit perfectus amor, omninò vult esse amans idem, quod res amata. Ideò dicit Dionysius 4. de Divinis Nomin. quòd *Amor ponit rem extra se, & collocat ipsam in re amata.* Quartò amor divinus facit nos de Deo gaudere. Nam cùm habeat nos transformare in Deum, & facere nos deiformes, & divinos, consequens est, quòd faciat nos gaudere de rebus divinis. Nam ex B conjunctione convenientis cum convenienti, de necessitate sequitur delectatio, & gaudium. Hujusmodi ergo amor, qui nos transformat, & conformat rebus divinis, facit nobis divina esse delectabilia.

Pondus ergo in corporibus, facit quòd corpora tendant ad illum locum in quo conservantur. Sic amor iste divinus facit nos delectabiliter tendere in Deum, & esse in ipso : & per consequens quantum est de se, facit nos persistere in Deo, & conservat nos in ipso, quia quilibet libenter persistit in actu delectabili. Et quia sic est, ideò inter cetera signa, hoc est valdè magnum signum, quòd homo sit in charitate, & quòd habeat hujusmodi amorem, quando delectatur in rebus spiritualibus, & divinis. Certitudinaliter quidem scire non possumus : Vtrum amore, vel odio digni simus, ut dicitur Ecclesiastes 9. sed per signa valdè probabilia, ut si non habemus remorsum conscientiæ : si libenter audimus verba divina : si delectamur in verbis divinis; confidere debemus, quòd in charitate sumus. Quintò hujusmodi amor charitatis facit nos in Deo quiescere : quia mens delectata in aliquo (secundùm quod delectatur) quiescit in illo, & maximè si delectatur in eo finaliter : quam delectationem finalem de Deo, facit in nobis divinus amor. Erit ergo hujusmodi ordo, quòd hujusmodi amor charitatis, primò incipit : secundò perficit : tertiò sic perfectus, facit amatorem dicere cum Paulo : *Cupio dissolvi*, ratione delectationis divinę, *& esse cum Christo*, sive esse in Deo, & quiescere in ipso : ergo secundùm hunc amorem, incipientes per desiderium in Deum tendunt : perficientes ei uniuntur : perfecti quasi omninò deiformes, in Deum transformãtur : transformati, nihil est eis aliud delectabile, nisi Deus : sic autem de Deo delectati quiescunt in ipso. Ergo si dubitas : qualiter debemus Deum diligere : ãi-

co quòd debemus ipsum diligere sine modo : ut diligamus ipsum quantum possumus extensivè, & intensivè (ut superiùs dicebatur) ut omnia ordinatè diligamus propter ipsum; quē diligendorum ordinem superiùs exprimebamus. Debemus etiam sic eum diligere, ut in eum tendamus, ut ei uniamur, ut in ipsum transformemur, & delectemur in ipso, & quiescamus in ipso.

CAP. XVI.

In quo ostenditur, quomodo ex quinta laude Divinæ sapientiæ, videlicet, quia est omnibus propinqua, & proxima : solvitur quinta quæstio, qualiter debemus Deum timere, & ei in omnibus obedire.

EXpeditis quatuor propositis quæstionibus, & adaptatis ad quatuor laudes Divinæ sapientiæ : volumus expedire quæstionem quintam, scilicet quomodo debemus Deum timere, & ei obedire : quam expediemus secundùm quintam laudem Divinæ sapientiæ. Erat enim quinta laus, quòd illa sapientia omnibus est propinqua. Nam hujusmodi sapientia attingit (ut dicitur Sap. C 8.) *A fine usque ad finem fortiter, & disponit omnia suaviter.* Quod non esset, nisi super omnia divina opera esset diffusa : & nisi omnibus esset propinqua, & intima. Ponuntur autem communiter tres modi, quomodo Deus est ubique, & quomodo est propinquus, & intimus omnibus : quia est ubique per præsentiam, omnia videndo, & cognoscendo : per essentiam, omnia in esse conservando : per potentiam, omnibus dominando : quæ omnia possumus valdè congruè Divinæ sapientiæ adaptare. Nam Deus per suam sapientiam omnia cognoscit, quia quæcumque sunt nota sapien- D ti, sunt ei nota per sapientiam : quæcumque ergo sunt nota Deo, sunt nota per sapientiam Dei. Et sicut Deus per sapientiam suam omnia cognoscit : sic per eandem omnia in esse conservat. Nam sapientia Dei dicitur esse causa rerum, & Deus per suam sapientiam dicitur res causasse. Vnde August. 15. & 6. de Trinit. cap. ult. ait : *Vniversas autem creaturas suas, & spirituales, & corporales non quia sunt, ideò novit : sed quia novit, ideò sunt.* Vbi vult, quòd scientia, & sapientia Dei sint causa rerum. Hoc idem etiam Philosophi asseruerunt: A unde Comment. super 12. Metaph. comm. 39. dicit, quòd *Scientia Dei causat res : sed scientia nostra causatur à rebus.* Si ergo Deus per suam scientiam, & sapientiam causat res, oportet quòd ipse per talem sapientiam eo modo causet res, sicut ipse est causa rerum : sed ipse sic est causa rerum, quòd eas efficit, & conservat : ergo oportet quòd ipse per suam sapientiam res in esse producat, & in esse conservet.

Cùm enim omnia comparentur ad Deum, sicut artificialia ad artificem (quia ut de Deo dicitur Sapientiæ 7. *Omnium est enim artifix, omnem habens virtutem.*) Oportet quòd sicut in rebus artificialibus voluntas, & sapientia artificis est causa rerum artificialium : sic & *Tex. 1. & 2.* B in Deo, voluntas, & sapientia sua sint causa omnium rerum. Et ideò dicitur in 6. Metaph. quòd in diffinitione artificiali ponitur voluntas : & artificiatum est volitum, quia ars nō progreditur in opus, nisi per imperium voluntatis : agens enim secundùm artem est agēs à proposito. Inde est, quòd causæ rerum dicuntur, dicere Dei : quod pertinet ad sapientiam, *Psal. 32.* juxta illud, *Ipse dixit, & facta sunt.* & dicū- *Psal. 113.* tur velle Dei, quod pertinet ad voluntatem, juxta illud, *Omnia quæcumque voluit, fecit.* Quod sic est intelligendum, quòd in arte, & in sapientia artificis relucent similitudines, exemplaria, rationes, & ideæ omnium artificialium, quæ rationes, & ideæ sunt scientiæ productivæ rerum. Sola ergo voluntas artificis nō posset producere res, quia in voluntate artificis (ut voluntas est) non sunt ideæ, & rationes productivæ rerum : sed talia sunt in sapientia, & in intellectu. Ideò voluntas artificis, mediante sapientia & intellectu, progreditur in productionem rerum artificialium. Sicut enim si manus deberet imprimere formam sigilli in cera, quia in ipsa manu non est exemplar figuræ imprimendæ, oporteret quod hoc ageret manus mediante sigillo, ubi est talis forma : propter quod quantumcūque manus determinet sigillum, & moveat ad hujusmodi impressionem, & quantumcumque manus possit dici causa illius formæ impressæ, erit tamen hujusmodi causa, mediante sigillo : dicimus enim quòd à forma, quæ est in sigillo, est forma, quæ est in cera. Sic & in proposi- *Tex. 23.* to, ut patet per Philosophum 7. Metaphys. à domo, quæ est in anima est domus, quæ est in materia. Quantumcumque ergo voluntas ædificatoris, sit causa ædificij : tamen quia in ipsa voluntate (secundùm quod hujusmodi) non est exemplar, & imago ædificij construēdi, non poterit voluntas esse hujusmodi causa, nisi mediante intellectu. Sic suo modo, &

in proposito se habet. Nam Divina voluntas est prima, & summa causa omnium, ut dicit Aug. 4. de Trinit cap. 4. Attamen hæc facit Divina voluntas, mediante Divino intellectu, & mediante Divina sapientia, ubi sunt rerũ omnium rationes, quibus omnia sunt condita. Nam (ut dicit Augustinus 83. qq. quæst. de Ideis) *Quis audeat dicere Deum irrationabiliter omnia condidisse.* Et ait: *Si hoc rectè dici, & credi non potest, restat ut omnia ratione sint condita: nec eadem ratione conditus est homo qua equus, hoc enim absurdum est existimare singula igitur proprijs sunt creata rationibus, has autẽ rationes ubi arbitrandum est esse, nisi in mente Creatoris*: Divina ergo voluntas vel ipse Deus, nullius est causa, quòd non causet illud per suam sapientiam. Sicut ergo Deus est causa rerum, sic causabit eas per sapientiam suam. Et quia Deus est causa rerum producens, & conservans, nil convenientius dici potest quàm quod per sapientiam suam, res non solùm in esse producat, sed etiam in esse conservat. Imaginabimur enim quòd, & multò ampliùs, ac etiam efficatiùs, sicut à forma sigilli tanquam ab exemplari causa, est forma in materia aliqua: sic ab exemplaribus rerum in mente Dei, sunt res in propria natura. Et imaginabimur quòd res sunt magis fluxibiles ad retinendam sine præsentia Dei impressionẽ factã à Deo, vel naturam eis impressam ab exemplaribus Divinis, quàm sit aqua fluxibilis ad retinendum formam sigilli. Sicut ergo semper oportet esse sigillum præsens ipsi aquæ, ut cõservetur in ea forma à sigillo impressa: sic semper oportet Deum, vel Divinam sapientiam, vel exemplaria rerum existentia in illa sapientia, esse præsentia rebus, ad hoc quòd conserventur in eis naturæ impressæ ab exemplaribus illis. Deus ergo per sapientiam suam (ut suprà diximus) est omnia prospiciens, & omnia producens, & conservans.

Est etiam per hujusmodi sapientiam omnibus dominans: nam dominari potissimè attribuitur sapienti, juxta illud Proverbiorum 17. *Servus sapiens dominabitur filijs stultis.* His itaque tribus modis, videlicet, omnia conspiciendo, omnibus dominando, omnia producendo, & conservando, est Deus ubique per sapientiam suam: sed quarto modo, est in bonis, & sanctis viris, eis gratiam, & dona largiendo: & est quinto modo in malis, juxta sua opera, in eis justitiam exercendo, vel paratus justitiã exercere. Ex quibus quinque habemus quinque, propter quæ quis potissimè timet, & potissimè obedit Domino suo. Nam quòd quis Dominum suum non timeat, vel ei in suis mandatis non obediat, quantum ad præsens spectat, ex quinque potest contingere. Primò, si non credat illum Dominum omnia conspicere. Secundò, si non credat ipsum omnibus dominari. Tertiò, si non credat ipsum dominari faciliter: nam si quis crederet Dominum suum omnia scire, & eum ubique dominari, tamen si opinaretur eum nõ dominari faciliter, posset intra se dicere quòd securè posset fore facere contra Dominum illum, quia etiam si talis Dominus potest ubique dominari, & ubique sua judicia exercere, cùm difficile sit ei hoc facere, suum delictum remanere poterit impunitum. Quartò, quis aliquando non obedit Domino, si credat ipsum non esse gratiosum, & liberalem: dicũt enim homines, quare serviemus tali Domino, nihil præmij consequemur ab illo: sed quia homines libenter volunt gratias, & retributiones, & multum timent perdere eas, libenter serviunt Domino, & timent offendere eum, quem sciunt esse liberalem, & gratiosum. Quintò, aliquis potest esse non solicitus ad obediendum Domino, & ad timendũ eum, si credat ipsum non punire mala, vel non infligere pœnas, juxta delinquentium delicta. Cùm ergo Deus, per sapientiam suam, primò omnia prospiciat: secundò omnibus dominetur: tertiò omnibus dominetur faciliter, quia per illam sapientiam sic dominatur quòd omnia conservat, ita quòd statim perirent res, si solùm se subtraheret: quartò Deus per sapientiam suam est præsens omnibus bonis, & justis, dando eis suam gratiam, & sua dona: & quintò, est præsens omnibus malis in eis suam exercendo justitiam, vel paratus suo tempore justitiam exercere: omnia igitur valdè subsunt dominio ejus, cùm ad momentum sine ipso esse non possint. Propter quod patet, qualiter debemus eum timere. Debemus enim hoc facere tanquam ei, cui nullum scelus nostrum potest esse ignotum: tanquã ei, sub cujus dominio cuncta sunt posita: qui omnibus faciliter dominatur, & ad suum nutum omnia fiunt: tanquam ei, sub quo nullum bonum irremuneratum, & nullum malum relinquitur impunitum.

CAP. XVII.

In quo ostenditur, quomodo ex sexta laude Divinæ sapientiæ, quòd omnia in omnibus operatur, & omnimodè fœcunda, solvitur sexta quæstio, qualiter pro beneficijs susceptis debemus Deo gratias agere.

HIS itaque per actis, volumus de sexta laude Divinæ sapientiæ agere, videlicet

licet, de ejus fœcunditate: quod sic fœcunda est, quòd omnia in omnibus operatur. Ideò dicebat Psalmus 44. *Dico ego opera mea regi.* Quasi diceret, opera mea operatus est in me Rex, vel operatus est in me Deus: ideò ego dico, id est recognosco, & confiteor ea sibi, tanquam opera sua magis, quàm mea. Ex hac autem laude Divinæ sapientiæ quòd sic fœcunda est, quòd omnia in omnibus operatur: possumus solvere quęstionem sextam, qualiter pro susceptis beneficijs debemus Deo gratias agere.

Ponuntur autem à Dionysio in libro de Divinis Nomin. cap. 8. & Damasceno 2. lib. cap. 23. tria esse in omnibus rebus, substãtia, virtus, & operatio. Secundùm quæ tria, pos- B sumus tangere quinque, quæ Divina sapientia, propter suam fœcunditatem, operatur in omnibus rebus. Nam ipse Deus, per suam sapientiam, omnibus rebus dat substantiam, virtutem, & operationem: & omnia conservat in sua substantia, & virtute, & etiam in sua operatione. Largitur enim Deus per suam sapientiam omnibus rebus substantiam, & naturam. Nam (ut probat Dionysius in 4. de Divinis Nomin.) Binarius non habet rationem principij, sed unitas: ideò quibuscumque duobus demonstratis, secundùm ipsum, vel unũ causatur ab alio, vel ambo à tertio. Illud ergo, quod à nullo causatum est, consequẽs est, quòd sit omnium causa. Quia si aliquod esset C non causatum ab eo, tunc illa duo sic se haberent, quòd unum non esset causatum ab alio, nec ambo essent causata à tertio. Nam cùm ponatur alterum illorum non causatum, non poterunt ambo illa esse causata ab aliquo. Eo ergo ipso, quòd Deus non est causatus ab alio, consequens est, quòd omnia sint causata ab ipso, ut nulla sit natura, quæ subterfugere possit causalitatem ejus. Et non solùm ex eo quod competit Deo negativè, ut quia non est quid causatum, possumus ipsum ostendere, esse omnium causam: sed etiam possumus hoc idem concludere ex eo quod D competit Deo positivè: ut quia est ipsum esse, & quia summè habet esse, ex hoc omnia produxit in esse: & nulla est natura, quæ non sit ab eo producta. Dicemus enim cum Tex. 4. Philosopho in 2. Metaph. quòd illud quod est maximè tale, est causa omnium aliorum: ut maximè calidum, est causa omnium calidorum: sic illud quod est summè ens, est causa omnium entium. Nam sicut videmus in alijs perfectionibus, sic arbitrari possumus, in ipso esse: ut si calor est quædam perfectio, calor, qui est in materia, non habet omnem rationem caloris: quia limitatur juxta capacitatem recipientis: sed si esset calor separatus, haberet omnem rationem caloris. Sic esse in materia, non habet omnem rationem essendi: sed in ipso esse separato, est omnis ratio entitatis. Nihil ergo quod habet in se materiam vel aliquod materiale, est summè ens. Deus itaque, qui est ipsum esse separatum, est summè ens, & habet in se omne esse, & est causa omnium quòd habeant esse. Naturæ ergo creatæ, quia hoc modo productæ sunt, inquantum communicatum est eis esse, cùm omne tale esse sit causatum à primo esse, & ab ipso Deo, qui summè est: consequens est quòd ipse sit causa omnium naturarum. Et hæc est via P. N. Augustin. 12. de Civit. Dei cap. 5. ubi ait: *A Deo, qui summè est, facta est omnis essentia, quæ non summè est.* Et Comment. exponens illud Philosophi 2. Metaph. *Id quod est maximè tale, est causa omnium aliorum*, ait: *Vnum est per se ens, & per se verum: omnia autem alia sunt entia, & vera per esse, & veritatem ejus.* Tex. 4.

Ab ipso itaque Deo est omnis natura, ab eo etiam est omnis virtus. Probatur enim in lib. de Causis, quòd Deus in sua actione non indiget alio continuatore. Omnis enim alia Prop. 20. natura, & quæcumque alia substantia, continuatore indiget ad hoc ut agat, quia nihil creatum immediatè per suam substantiã agit. Formæ enim substantiales, ut probat Commentator 7. Metaphys. non sunt immedia- Tex. 31. tum principium actionum suarum, sed oportet quòd substantijs, & naturis creatis superaddatur ei virtus, quæ sit immediatum actionis principium. Cùm ergo res creata agit, ut per actionem uniatur rei actæ, indiget continuatione, id est, indiget aliqua virtute superaddita, quæ continuet agens cum patiente: quia cùm agens creatum non agat per suam substantiam, non potest sic se continuare passo, nec potest in actionem progredi, sed oportet quòd hoc faciat per aliquam virtutem superadditam suæ naturæ. Nihil ergo creatum est sua virtus, sed est participans virtutem. Deus autem qui immediatè agit per suam substantiam, & qui non indiget aliquo superaddito ad agendum; oportet quòd sit sua virtus, & quòd non sit participans virtutem. Cùm ergo esse, quod est essentialiter tale, sit causa omnium aliorum, quæ sunt per participationem: consequens est, quòd Deus non solùm sit summè ens, & sit causa omnium substantiarum, sed tanquam id quod est essentialiter sua virtus, sit causa omnium virtutum. Vnde & in libro de Causis, virtus Divina dicitur esse virtus virtutum: nam in 16. propositione di-

cti libri ſcribitur, quòd *Omnes virtutes pendentes ſunt per infinitum primum, quod eſt virtus virtutum.*

Divina itaque ſapientia ſic eſt fœcunda in rebus, quòd eſt cauſa in eis omnium naturarum, omnium virtutum, & etiam omnium operationum. Nam operatio in rebus ſemper dependet ab eo quod eſt primum operans: ſicut omnis motus hìc inferiùs ſecundùm naturæ curſum quem videmus, dependet à primo motu: ita quòd ſi ceſſaret primus motus, (niſi Deus immutaret hunc ordinem quem indidit rebus) ceſſaret & omnis alius motus. Vnde Philoſophus 8. Phyſic. appellavit motum primum, vitam in entibus, quia (ſecundùm Comm.) ille motus primus, reſpectu omniú aliorum mobilium, ſe habet quaſi vita, quia ſuo modo ſe habet, ſicut anima in rebus vivis. Nam ſicut motus vitæ in rebus vivis fit ab anima, ita quòd ſeparata anima, nullus motus vitæ remanet in corporibus: ſic ſuo modo omnis motus ſimpliciter in omnibus alijs rebus mobilibus fit à primo motu, ita quòd ceſſante illo motu, ceſſaret omnis alius motus. Ita igitur, quia Deus eſt primum operans, eſt cauſa omnium aliarum operationum, & ejus eſt efficere omnia alia opera. Ideò dicebat Dominus in Evangelio, *Sine me nihil poteſtis facere.* Et Iſaias 26. ſcribit: *Omnia enim opera noſtra operatus eſt in nobis Dominus Deus noſter.*

Tex. 1. 1. Cæl. 110.

Ioan. 15.

Quartò tanta eſt fœcunditas Divinæ ſapientiæ, quòd non ſolùm omnibus dat ſubſtantiam, virtutem, & operationem: ſed omnia conſervat in ſua ſubſtantia, & in ſua virtute. Vnde Auguſt. in libro Confeſsionum ait: *Sine eo eſſe volebam, ſine quo eſſe non poteram.* Propter quod, ſicut omnes ſubſtantiæ conſervantur à Deo, in ſuo eſſe: ſic etiam cõſervantur omnes virtutes, alioquin, non eſſet Deus virtutum. Quintò, tanta eſt fœcunditas Divinæ ſapientiæ, quòd non ſolùm ejus eſt creare omnia opera aliorum, ſed etiam ejus eſt omnia conſervare in ſuis operibus Diſtinguentes hanc conſervationem à conſervatione ſubſtantiæ, & virtutis, ipſam autem conſervationem ſubſtantiæ, & virtutis non diſtinximus ad invicem: quia & ſubſtantia, & virtus creaturarum ſunt de genere ſucceſsivorum & maximè ſi illa operatio vel illa actio ſit fundata in motu, ſecundùm quem modum loquitur de actione ille Auctor 6. Principiorum, in cap. 3. de Actione, qui ait, quòd *Omnis actio in motu fundatur.* Cùm ergo aliud ſit eſſe ſucceſsivorum, & aliud ſit eſſe permanentium, quia ſucceſsivorum eſſe, eſt in ordine partium, non in ſimultate partium: nam cùm totus motus factus eſt, nullus ulteriùs motus eſt: quod innuit Auguſt. 2. Confeſsionú cap. 13. ubi vult, quòd quia noſtri anni tráſeunt, ideò iſti anni tunc omnes erunt, cùm omnes non erunt: non eſt ergo eſſe ſucceſsivorum in ſimultate partium, vel in complectione partium, vel in eſſe totum: ſed in ordine partis ad partem, ut tandiu durant ſucceſsiva, quamdiu pars ſuccedit parti: & cùm totum ſucceſsivum factum eſt, non amplius eſt. Permanens autem, econtrariò, non eſt propriè, niſi cùm totum eſt: oportet nos aliter loqui de conſervatione in eſſe unius: & aliter de conſervatione alterius.

Propter quod, per ſe mentionem fecimus de conſervatione rerum in operibus ſuis, diſtinguentes hanc conſervationem à conſervatione rerum in ſuis ſubſtantijs & virtutibus. Deus autem non ſolùm dat rebus quòd operentur: ſed etiam dat eis quòd conſerventur in operibus ſuis. Ideò Auguſt. 9. de Geneſi ad litteram cap. 15. dicit: Si Deus ſubtraheret occultam ſuam operationem, extincta remaneret operatio naturæ. Innuens ex hoc, quòd operatio aliorum agentium non poteſt durare, nec conſervari in eſſe ſine operatione Dei. Ex hac ergo fœcunditate Divinæ ſapientiæ, quia ita fœcunda eſt, quòd operatur in nobis ſubſtantiam, virtutem, & operationem: & quia conſervat nos in noſtra ſubſtantia, & virtute, & etiam in noſtra operatione, apparere poteſt, qualiter debemus Deo referre gratias de beneficijs ſuſceptis. Nam ſolus Deus eſt dives per ſe ipſum, ut dicitur in libro de Cauſis: nos autem ſumus divites ex mutuatis, inquantum, ſcilicet Deus vult nobis mutuare, & nos participes facere de bonitatibus ſuis. Nihil ergo habemus quod non acceperimus. Ideò Deo tanquam mutuanti, & præſtanti nobis omnia bona, ſubſtantiam, videlicet, virtutem, & operationem: & conſervanti nos in talibus bonis, debemus in omnibus gratias agere, juxta illud primæ Theſſalo 5. *In omnibus gratias agite.* Advertendum autem quòd licèt ſuprà, cùm agebamus, qualiter debemus timere Deum, & obedire ſibi, aliqua tangetemus de conſervatione rerum per Divinam ſapientiam, & hìc aliqua de hoc tetigerimus, non debet hoc inconveniens exiſtimari, ſi ex uno, & eodem multipliciter in Deum ferimur: ut quia Deus conſervat nos in eſſe, debemus eum ex hoc timere, & debemus ſibi gratias agere.

Prop. 21.

Cap. 16.

CAP.

CAP. XVIII.

In quo ostenditur, quomodo ex septima laude Divinæ sapientiæ, quia illa sapientia est sic efficax, & virtuosa, solvitur septima quæstio, quomodo est Deo in omnibus serviendum.



ULTIMO videndum est de septima laude Divinæ sapiētiæ, per quā solvemus septimā quę stionem; qualiter debeamus Deo servire? Non enim est idem omninò, esse fœcundum, & efficax: sed fœcūditas magis sonat in multitudine productorū, efficatia verò in velocitate, & habilitate producendi. Cùm enim illa Divina sapientia sit tantæ efficatiæ, quòd omnia bona ab ea simus sortiti, secundùm omnia debemus sibi servire. Nam & omnia nobis Deus secundùm ordinem suæ sapientiæ dedit, & in omnibus fuit efficax ad dandum. Et ideò secundùm omnia dedemus sibi efficaciter servire. Omnia autem nostra in tres partes distinguuntur, scilicet in animam, corpus, & res exteriores. Animam quidem sive animæ potentias in tres partes similiter possumus dividere, in intellectum, voluntatem, & in potentias inferiores, quæ sunt potentię organicæ. Deo ergo sic debemus servire, ut omnia ista quinque ordinemus ad ipsum, & ad obsequium ejus, & ad honorem, & reverentiam ipsius, videlicet, intellectum, voluntatem, virtutes organicas sive corporales, ipsum corpus, & ipsas res exteriores. Et debemus ei in obsequium, & in honorem, & reverentiam ejus, efficaciter ordinare nostram mentem sive intellectum, assiduè de ipso meditando. Ideò dicitur Deuter. 6. *Verba, quæ ego præcipio tibi hodie, in corde tuo erunt, & enarrabis ea filijs tuis, & meditaberis sedens in domo tua.* Et 11. cap. scribitur: *Ponite hæc verba mea in cordibus, & in animis vestris, & suspendite ea pro signo in manibus, & inter oculos vestros collocate, docete filios vestros ut illa meditentur &c.* Sic enim cor nostrum, & intellectum, mentem, debemus ordinare in obsequium Dei, ut semper meditemur de eo, ut non consentiamus peccato, & ne prætermittamus præcepta Dei (juxta illud quod dicebat Tobias filio suo cap. 4.) *Omnibus autem diebus vitæ tuæ, in mente habeto Deum: & cave ne aliquando peccato consentias, & prætermittas A præcepta Dei.*

Secundò, debemus servire Deo, non solùm in obsequium Dei, ordinando mentem, & intellectum, assiduè meditando de ipso: sed etiam sic debemus ordinare voluntatem, & affectum habendo devotionem in ipso, ut oremus, & psallamus Deo: & in laudem ejus moveamur, non solùm mente, ideſt intellectu: sed etiam spiritu, id est spirituali devotione, & voluntate, & affectu (juxa illud 1. Cor. 14.) *Orabo spiritu, orabo & mente: psallam spiritu, psallam & mente*; quæ duo connexa sunt. Nam si diligimus, & devotionem habemus in lege Dei, oportet quòd meditemur de ea: immò in hoc maximè exprimitur, & insinuatur dilectio nostra, & devotio ad Deum, & ad legem Domini, quando tota die, id est assiduè, meditemur de eo (juxta illud Psalmi 118.) *Quomodo dilexi legem tuam Domine, tota die meditatio mea est.*

Tertiò debemus servire Deo, ordinando in obsequium ejus, vires animæ inferiores, & virtutes corporales, quę possunt dici membra nostra, quia sunt perfectiones membrorum, & perfectiones organorum (juxta illud Apostoli ad Rom. 6.) *Humanum dico, propter infirmitatem carnis vestræ: sicut enim exhibuistis membra vestra servire immunditiæ, & iniquitati ad iniquitatem: ita nunc exhibete membra vestra servire justitiæ in sanctificationem.* Condescendit enim Apostolus infirmitati nostræ: nam cùm posset præcipere, quòd longè ampliùs, membra nostra, id est, virtutes nostras organicas, & vires animæ inferiores, & etiam omnia nostra ordinaremus ad justitiam, quàm ordinaverimus ad iniquitatem: quia longè ampliùs debemus servire Deo, quàm servierimus mundo: ipse tamen Apostolus humanè se volens habere ad nos, condescendit infirmitati nostræ, & mandat quòd conversi ad Deum serviamus Deo, & justitiæ: sicut quando eramus aversi serviebamus iniquitati.

Quartò debemus in obsequium Dei ordinare corpus nostrum, ipsum Deum adorando, genuflexiones, & inclinationes, & reverentias etiam corporales ei exhibendo. Nam sicut habemus à Deo non solùm animam, sed etiam corpus: sic ad obsequium ejus utrumque ordinare debemus. Ad hoc autem servitium reducitur omnis maceratio corporis, & quidquid in corpore nostro facimus pro Deo, quia totum est ad obsequium Dei. Ideò dicitur Apoca. 14. *Timrte Dominum, & date illi honorem* (& sequitur) *adorate eum qui fecit Cœlum, & terram, mare, & omnia quæ in eis sunt.*

Quin

Quintò debemus ordinare in obsequium Dei ipsas res exteriores, si quas habemus. Nã sicut animam & corpus habemus à Deo; sic ab ipso habemus res exteriores. Ideò scribitur Prover. 3. *Honora Deum de tua substantia, & de primitijs omnium frugum tuarum da pauperibus: & implebuntur horrea tua saturitate, & vino torcularia redundabunt.* Vbi innuitur quòd cũ à Deo habeamus ista temporalia, benè utimur eis, ordinando ea in obsequium Dei, & in pauperes distribuendo ea: quod faciendo, Deus multiplicabit nobis ea. Ad hoc autem obsequium reducuntur omnes oblationes, quas facimus in Ecclesia: & quæcumque temporalia in Dei obsequium ordinamus.

Voti paupertatis efficatia.

Nec sunt pejoris conditionis promittentes paupertatem, non valentes hujusmodi oblationes facere, nec temporalia conferre, non habentes aliquid proprium, nec substantiam, de qua hoc possint adimplere: quia promittentes paupertatem (si hoc faciunt Divino Spiritu ducti, & si sunt pauperes spiritu) plus offerunt Deo de temporalibus, quàm aliquis alius offerat: quia offerunt ei non solùm quæ habent, sed etiam quæ possunt habere, ut magis servitio Dei vacare valeant. Sic totum Deo offerunt, ut de cetero non liceat eis aliquid proprium possidere. Cùm ergo quæritur, qualiter debemus Deo servire: dicemus, quòd secundùm omnia nostra debemus sibi famulari. Debemus enim ei famulari secundùm intellectum, de ipso assiduè meditando: & secundùm affectum, ad ipsum sine intermissione devotionem habendo: secundùm vires inferiores animæ, eas in Dei obsequium ordinando: secundùm corpus nostrũ, corporales adorationes, & genuflexiones, & inclinationes pro eo faciendo, & macerationes in ipso nostro corpore pro ipso tolerando: debemus etiam ei servire de propria substantia (si habemus ipsam) prout facultas se offert, in oblationes Ecclesiarum, & subventiones pauperum ordinando. Et in hoc imponatur finis huic tractatui, quem intitulari volumus, de laudibus Divinæ sapientiæ: quia secundùm præassignatas causas de Divina sapientia, omnia à vobis postulata, effectui demandavimus: & solvimus vobis omnes propositas quæstiones. Quod, quia sine te Domine Jesu-Christe fieri non poterat, tibi sit honor, & gloria, in sæcula sæculorum.

Amen.

B. ÆGIDII COLUMNÆ Romani, Bituricensis Archiepiscopi, & Aquitaniæ Primatis, Ordinis fratrum Eremitarum Sancti Augustini Doctoris Fundatissimi.

TRACTATUS De Prædestinatione, Præscientia, Paradiso, & Inferno.

CAPITVLORVM DISTINCTIO.

CAP. I. Quare boni, & salvandi dicuntur prædestinati, mali autem non, sed præsciti tantùm: & quid est prædestinatio, & quomodo prædestinatio, & præscientia distinguuntur?

Cap. II. Quòd Deus est præscius omnium futurorum. Et quod rebus necessitatem non imponat, sed evenire permittit contingentia contingenter.

Cap. III. Quòd si Divina præscientia aliquam necessitatem imponeret rebus, quòd illa necessitas contingentiæ non repugnat.

Cap. IV. Paradisus potest capi spiritualiter, & corporaliter: & quòd Paradisus ad litteram erat quidam corporalis locus.

Cap. V. Quòd Paradisus secundùm moralem sensum, animam sanctam, lætitiamque bonæ conscientiæ significat, & figurat.

Cap. VI. Quòd Paradisus, secundùm allegoricum sensum significat Ecclesiam militantem, sive præsentem.

Cap. VII. Quòd Paradisus, secundùm anagogicũ sensum significat Ecclesiam triumphantem.

Cap. VIII. Quòd videtur Augustini sententia, quòd inferni nomine, non corpus, sed similitudo corporis importetur.

Cap. IX. Quòd infernus dicit verè corporalem locum: & dictum August. quod videtur esse contrarium, non est asserendo, sed magis nostra ingenia exercitando dictum.

Cap. X. Quòd misericodia Dei se extendit ad damnatos, ut illi aliquando salvi fiant, secundùm errores, & opiniones falsas diversas.

Cap. XI. In quo reprobantur omnes errores, & falsæ opiniones supradictorum, scilicet quòd Dei misericordia se extendat ad salvandos dãnatos.

Cap. XII. Quòd dæmones, & animæ separatæ possunt verè pati ab igne inferni.

Cap.

Cap. XIII. Quòd in animabus damnatis, & dæmonibus intellectus fingitur vice sensus: & quòd tales substantiæ cremantur, quia vident, id est sentiunt se cremari.

Cap. XIV. Quomodo verificatur dictum Augustini quòd animæ damnatæ exutæ corporibus, euntes ad infernum, dicuntur ire non propriè ad corporalia, sed ad similitudines corporalium.

Cap. XV. Præter Paradisum, & infernum est dare purgatorium, & limbum puerorum: & quòd ante Christi adventum erat dare limbum sanctorum Patrum: & quomodo pro peccato temporali debeat infligi pœna æterna.

INCIPIT TRACTATVS.

CAP. I.

Quare boni, & salvandi dicuntur prædestinati, mali autem non, sed præsciti tantùm: & quid est prædestinatio: & quomodo prædestinatio, & præscientia distinguuntur.

POST distinctionem capitulorum, restat tractatū componere. Dicemus autem primò Deum esse præscium omnium futurorū, habet quidem præscientiam, tam de damnandis, quàm de salvandis: sed præscientia de damnandis dicitur præscientia tantùm, de salvandis verò dicitur prædestinatio. Cujus rei possemus duplicem causam assignare. Primò quidem, quia Deus sic scit bona, quòd ea causat: mala autem sic scit, quòd ea non causat. Vnde Augustin. dicit in de Vera innocentia, *Omnia, quorum Deus ipse est Auctor, scit: nec tamen omnū peccatorum, quæ præscit, ipse est Auctor.* Quorum autem (ut malorum) non est auctor, est ultor. Bonorum autem sic est præscius quòd etiam est eorum Auctor. Verbum ergo illud Aver. in 12. Metaphys. quòd scientia Dei causat res: intelligendum est quantum ad bona. Ex hoc autem patere potest, quòd Deus sic præscit damnatos, quòd eos non prædestinat ad mortem, sic tamen præscit salvandos, quòd eos prædestinat ad vitam: destinare enim idem est quod mittere. Vnde communis usus loquendi habet hoc de aliquo mittente nuntios in servitium, quod dicitur destinare ei illud. Sed prædestinare idem est quod præmittere. Sicut enim videmus, quòd modò homines per divinum impulsum, & per divinam gratiam destinantur, id est mittuntur in vitam æternam: sic Deus quos ab æterno prævidens tales, in se ipso prædestinavit, id est præmisit sua gratia, in vitam æternam. Malos autem non impellit ad mortem, & ad miseriam, sed sua malitia vadunt. Sicut ergo Deus non mittit eos ad miseriam, sic nec prædestinavit, nec præmisit eos ad mortem. Præscientia itaque salvandorum, sic est præscientia in Deo, quòd etiam est prædestinatio: quia tales impulsu Dei missi sunt in vitam æternā, per gratiam Divinam. Sed præscientia damnandorum in Deo, ita est præscientia, quòd non est prædestinatio, quia Deus non mittit, nec impellit malos ad mortem, sed solùm dimittit.

Tex. 51.

Secunda autem ratio sumitur ex ijs, quæ videmus, in aliquibus nominibus. Videmus enim quòd numerus superficialis dicitur de numero ducto in se, sicut bis duo faciunt quatuor: & dicitur de ducto in alio, quia bis tria faciunt sex. Tamen quia numerus ductus in se, habet nomen proprium, quia dicitur quadratus; numerus ductus in alio, retinuit sibi nomen commune, & vocatus est numerus superficialis: sic etiam hoc nomen proprium, ut patet in Topicis, dicitur de diffinitione; tamen quia diffinitio habet nomen proprium, propria passio retinuit nomen commune, & appellata est proprium. Sic etiam in proposito præscientia Dei communis est ad bonos, & ad malos: tamen quia præscientia salvandorū habet nomen proprium, quia nominatur prædestinatio, ideò præscientia damnatorum retinuit sibi nomen commune, & dicta est præscientia solùm. Ex hoc autem apparere potest, quid sit prædestinatio, & præscientia. Nam præscientia dicit simplicem Dei notitiam, quam habet de damnandis; vel si dicit Divinū propositum, hoc non est secundùm quod Deus agit vel secundùm quod proponit agere, sed secundùm quod cessat ab actu vel secundùm quod proponit cessare ab actu. Vel dicamus quòd Divina præscientia est notitia, quam habet Deus de damnandis, prout proponit aliquos indurare, id est permittere quòd indurétur, qui indurati damnabuntur. Nam Deus non dicitur indurare impartiendo malitiam, sed cessando ab actu, & non dando gratiam. Exponendum ergo est illud Rom. 9. *Deus quē vult, indurat*, id est, indurare permittit. Sed prædestinatio non dicit Dei simplicem notitiam, sed includit Divinum propositum cum actu, secundùm quod proponit aliquibus misereri, & dare eis gratiam in præsenti, & gloriam in futuro.

Et

Et inde est quòd prædestinatio multis modis à Sanctis, & Doctoribus describitur. Aliquando enim describitur ab ipso fine, ad quem boni tendunt, & sic describitur. Prædestinatio est aliquorum electio in finem. Aliquando describitur à remissione culpæ, & secundùm hoc dicitur. Prædestinatio est Divinum propositum miserendi, id est, à miseria & culpa liberandi. Aliquando ab auxilio describitur prædestinatio, per quod tendit in finem propositum, & recedit ab oppositio, ut quia fit per divinam gratiam: & quia hujusmodi Divina gratia quatuor modis considerari potest, ideò secundùm hoc potest ipsa prædestinatio quatuor modis describi. Potest considerari primò gratia ut comparatur ad dantem, & secundùm hoc, est gratuita donatio; secundùm quem modum describit Augustinus de fide ad Petrum, quòd prædestinatio est præparatio gratuitæ donationis. Secundo modo potest considerari ipsa gratia ut comparatur ad recipientem; & secundùm hoc, est præparatio ad beneficia divina: secundùm quem modum describit eam Magister 1. Sentent. quòd *Est præparatio beneficiorum Dei.* Tertio modo potest considerari ipsa gratia ut comparatur ad finem; & secundùm hoc, est præparatio ad vitam æternam: secundùm quem modum describit eam August. in de Prædestinatione Sanctorum dicens: *Prædestinatio est præparatio ad vitam æternam.* Quarto modo potest considerari ipsa gratia secundùm se, & sic ut est virtus initiata, dicitur gratia: sed ut est consumata, dicitur gloria. Et secundùm hoc describitur communiter à Doctoribus, quòd prædestinatio est præparatio gratiæ in præsenti, & gloriæ in futuro.

Gratia quatuor modis considerat.

Dist. 35.

Cap. 10.

CAP. II.

Quòd Deus est præscius omnium futurorum, & quòd rebus necessitatem non imponat, sed evenire permittit contingentia contingenter.

OSTENDEMVS in præsenti capite: Vtrū Divina præscientia, & prædestinatio, rebus necessitatem imponat: ut si Deus præscit hos esse damnandos, de necessitate damnentur: & si salvandos, de necessitate salventur? Et qualis necessitas ibi esse contingat. Sciendum ergo quòd August. 5. de Civit. Dei cap. 9. ostendit Ciceronem, & Stoicos, modum oppositum tenuisse. Nam Cicero, ne negaret contingentiam à rebus, negavit à Deo præscientiam futurorum. Stoici verò, ponentes omnia sub Fato, dixerunt, omnia ex necessitate contingere. Sed sive Fatum intelligamus vim aliquam, sive quamcumque ordinationem siderum, vel secundarum causarū, ut dicatur Fatum à for, faris, ut homo priùs corde concipit, & postea per verba exteriora pandit illud: sic Deus quod ab æterno concepit, per secundas causas, in tempore manifestat: ut dicantur secundæ causæ quædam verba exteriora, respectu Dei, per quæ Deus fatur, & fando suum propositum manifestat. Sive per Fatum intelligamus divinam providentiam, secundùm quem modum D. August. 5. de Civit. Dei cap. 8. vult, quòd nomine Fati Divina voluntas aliquando aut divinū propositum, aliquando verò ipsa series causarum intelligatur. Quocumque autem modo sumatur Fatum, non oportet à rebus contingentiam negare: ut negabant Stoici. Nam series secundarum causarum vocatur Fatum: cùm hujusmodi causæ in suis effectibus possint impediri, multa evenient contingenter, ut non semper stella, cujus est causare humiditatem, & pluviam, existente in signo cujus est causare humiditatem, & pluviam, faciet hoc, quia fortè impedietur ex alterius aspectu sideris, cujus est causare siccitatem: vel ex indispositione materiæ, quia secundùm Ptolomæum, in Centiloquio, expectandum est judicium à secundis stellis, id est ab elementis, quæ fortè non sunt disposita ad suscipiendam influentiā secundarum causarum. Et si dicamus quòd & ipsa dispositio materiæ à motu causę deficeret. Dicemus, quòd non oportet tantam unitatem & uniformitatem dare in effectu, sicut in causa; quia semper effectus deficiunt à causa sua: ut si semper redeunt sidera ad eundem punctum, non oportet quòd semper ordinatè redeat effectus hìc inferiùs, ad eundem punctū. Ex hujusmodi itaque defectu, quem patiuntur effectus, respectu causarum, multa eveniunt contingenter. In quo destruitur error ille, qui ascribitur Platoni, videlicet, quòd in magno anno, quando omnia sidera redibunt ad eundem punctum, omnes effectus hìc inferiùs, ad eundem punctum redibunt. Vt si Plato nunc est in scholis, & docet, in fine magni anni erit idem Plato in eisdem scholis, & docebit eosdem scholares: quod omninò ridiculum est dicere: quia *Quorum substantia deperit, non redeunt eadem numero*, ut habetur in fine 2. de Generat. Sed sive in magno anno omnia redeant ad eundem punctum, sive

Cœl. lib. 13. cap. 1.

In Timæo legitur à principio.

Tex. c. 70.

non

non, propter totam hujusmodi seriem causarũ, non denegabimus à rebus contingentiã : quia hæ causæ in multis deficiunt in suis effectibus, quia possunt à multis medijs impediri in suis effectibus. Et etiam effectus isti multum deficiunt à suis causis, ut non uniformiter redeant sicut causæ, ratione cujus multa contingenter eveniunt. Quòd si in iis, quæ dependent à motu cœli, multa contingenter eveniunt, consequens est multò magis in iis, quę dependent à libero arbitrio : quia liberum arbitrium virtuti siderum non potest esse subjectum directè. Sed dicemus cum Philosopho in de Generatione. Quòd futurus quis incedere, non incedit, quantumcumque secundæ causæ, quantum est de se, habeant, quòd iste debeat incedere. Ex hoc possumus dicere, quòd iste est futurus incedere : poterit tamen impediri, & poterit esse, quòd non incedet. Igitur, si per Fatum intelligatur series secundarum causarum, non oportet omnia evenire ex necessitate, sicut Stoici posuerunt. Sed si per Fatum intelligatur Divina providentia, quamvis hæc non sit propria locutio, quia secundùm August. 5. de Civit. Dei cap. 9. Qui ponit omnia sub Fato esse, quia omnia sunt sub divina providentia, sententiá teneat, linguam corrigat. Ac si diceret, quòd non deberet Divina providentia Fati nomine nuncupari.

Quidquid tamen sit de nomine, si volunt Stoici, omnia esse ex necessitate, quia omnia sunt à Deo prævisa : dicemus, quòd omnia cõparantur ad Deum, sic etiam futura, sicut præterita, & præsentia. Sed in iis quæ sunt præsentia, æquè certi sumus, & æquè non fallimur in contingentibus, sicut in necessariis : ut si præsentialiter video cœlum moveri, & avem volare, æquè non fallor, & æquè certus sum de volatu avis, sicut de motu cœli, quamvis cœlum moveatur necessariò, & avis volet cõtingenter, sed quia totus ille decursus est Deo præsens : in nullis fallitur, & in omnibus est infallibiliter certus : sive necessariò, sive contingenter eveniant. Non ergo tollemus contingentiam à rebus propter infallibilitatem Divinæ scientiæ. Dicemus ergo quòd Divina præscientia vel potest dicere simplicem Dei notitiam, vel potest includere Divinum propositũ. Si autem dicit simplicem Dei notitiam, sic secundùm Magistrum 1. Sentent. dist. 38. non est causa rerum, nisi causa sine qua non. Et secundùm hunc modum, scire Dei non ponit necessitatem rebus, cùm hoc modo, non sit simpliciter causa rerum. Secundùm hoc ergo dicemus, quòd scientia Dei suo modo sic se habet ad fienda, sicut scientia nostra ad facta.

A Sicut ergo quæ scimus esse facta, facta sunt, & propter nostrum scire illa non sunt facta, ita ut contingenter, & necessariò eveniant, secundùm exigentiam sui generis : sic quæ Deus scit fienda, sunt fienda necessariò, & contingenter, prout eorum genus requirit. Sed si Divina præscientia includit Divinum propositum, ut dicatur Deus talia scire, quia sic disposuit ea facere, secundùm hunc modum scientia Dei est causa rerum. Intellectus enim omnis speculativus, non est causa rerum, nisi sine qua non : quia nisi specularetur artifex, nihil artificialiter faceret : intellectus enim qui est causa rerũ, est intellectus practicus : nã secundùm Philos. 1. de Anima, *Intellectus speculativus extenſione fit practicus* : nam prout se extendit ad opus, se extendit ad effectum, sive ad voluntatem artificis, cùm vult per intellectum aliquid operari. Vnde dicitur 9. Metaph. quòd in diffinitione artificiati ponitur voluntas, & omne artificiatum est volitum : quia (ut diximus) intellectus non fit practicus, nisi per imperium voluntatis. T. cap. 49. Com. 1. & 2.

B Igitur si sic accipiatur Divina præscientia, prout includit Divinum propositum, vel Divinam dispositionem, adhuc non imponit necessitatem rebus : quia secundùm August. in de Civit. Dei, *Deus sic administrat res, ut eas proprios cursus agere sinat.* Quantumcumque ergo Deus disposuerit de rebus, hujusmodi dispositio sinit agere res proprios cursus. Quę cõtingentia sunt, contingenter eveniunt ; & quæ necessaria, necessariò. Decipiebantur ergo Stoici, propter Fatum, à rebus contingentiam removentes. Quia si sic hoc esset, vel esset ratione infallibilitatis, ut quia Divina præscientia falli non potest : quod non potest esse, cùm totus decursus rerum sit Deo præsens ; & quæ sunt nobis præsentia, quantumcumque sint cõtingentia, non fallimur, judicando de eis. Nec ratione causalitatis, cùm sic Deus causet, & provideat, quòd eas sinit currere secundùm proprios cursus. Valdè igitur decipiebantur C Stoici, sed multò magis Cicero, negans scientiam à Deo, ut res contingenter evenirent. Nã, ut ait August. 5. de Civitate Dei, cap. 9. *Confiteri Deum esse, & negare præscium futurorum, apertissima insania est.* Et idem ibidem, *Qui cõfitetur Deum esse, quem negat præscium futurorum, non dicit aliud, quàm quod ille dixit insipiens in corde suo, non est Deus.* Et subdit : *Qui enim non est præscius omnium futurorum, non est utique Deus.* Nomine enim Dei intelligimus intellectum quemdam separatum, in quo nulla potentialitas est admixta. Sed secundùm Philos. in lib. de Bona fortuna, ubi plurimus intelle- 7. cap. 30. Lib. de Fato.

ctus, ibi minima fortuna: ergo ubi omnis intellectus, ibi minima fortuna. Qui enim multum habet de intellectu, multa providet, & pauca sibi accidunt casualia. Sicut ergo si esset albedo separata, haberet in se omnem rationem albedinis: sic quia intellectus Divinus est omninò separatus, habet omnem rationem intelligendi. Negare itaque à Deo intelligentiam futurorum, est negare ipsum intellectum separatum, & per consequens est negare ipsum esse Deum: hoc enim intelligimus nomine Dei, intellectum scilicet separatum. Oportet ergo hic per viam mediam ambulare, ut nō teneamus alterum extremorum cum Cicerone, excipiente à Deo futurorum intelligentiam: nec alterum extremorum teneamus cum Stoicis, à rebus contingentiam auferentibus: sed dicemus quòd Deus omnia præscit, & quòd in sua præsciētia minimè fallitur. Propter quod sic futura cognoscit, sicut sunt, & etiam contingentia: falleretur enim Deus, si aliter futura præsciret, quàm essent: & quia non fallitur, quæ sunt ventura contingenter, scit contingenter evenire; & quæ necessariò, necessariò. Simul ergo stant Divina præscientia, & futura contingentia, nec unum alterum tollit.

CAP. III.

Quòd si Divina præscientia aliquam necessitatem imponeret rebus, illa necessitas contingentiæ non repugnat.

VIA nescit intellectus hominis quiescere in materia hac, oportet de ipsa multas distinctiones adhibere. Nam quia quidquid Deus præscit, necessariò est evenire, oportet aliquam necessitatem esse in omnibus à Deo præscitis: quòd si ipsa contingentia sunt ipsi Deo nota, antequā fiant, etiam quod est Deo notum, necessariò est evenire. Consequens ergo est, quòd & ipsa contingentia, ut sunt Deo nota, quodammodo necessariò eveniant. Propter quod oportet de ipso necessario distinctiones facere. Faciemus ergo de ipso necessario, quantum ad præsens spectat, octo distinctiones, ut secundùm quamlibet illatum possit ad quæstionem propositam responderi: quòd videlicet necessitas imposita rebus præscitis, rerum contingentiam minimè destruit. Est autem prima distinctio de ipso necessario, quòd est quædam necessitas quæ cōtingentiam tollit, quædam quæ roborat, & confirmat: sicut est immobilitas aliqua, quæ mobilitatem tollit, scilicet posse moveri: quædam quæ roborat, & confirmat, & quæ mobilitatem arguit, ut immobiliter se habeat ad mobilitatem sic, quòd non possit vitare ut non sit mobile. Talis autem immobilitas motum non tollit, sed potiùs arguit, & confirmat. Sic quia Deus quæ præscit, necessariò evenient, quæcumque Deus scit contingenter evenire, illa necessariò eveniunt contingēter. Præscientia itaque Dei non tollit contingentiam, sed potiùs confirmat. Sic nec necessitas aliqua immobilitatis tollit motum, sed roborat. Vnde August. 5. de Civit. Dei cap. 10. hāc materiam pertractans, ostendit, quòd sicut Dei potentiam non minuimus, cùm dicimus eum non posse mori, quia mori non est posse, sed non posse, ideò dicendo hoc, attribuimus Deo impotentiam, ut si hoc posset, impotens esset. Illud ergo non posse, non tollit posse, sed magis arguit. Sic & quæ Deus præscit necessariò eveniunt, ergo quæcumque Deus scit contingenter evenire, illa necessariò contingenter evenient. Non ergo præscientia Dei tollit contingentiam, sed magis arguit, & confirmat. Sic ergo per primam distinctionem possumus ad quæstionem respondere, seu solvere uno modo.

Est autem secunda distinctio, quòd est quædam necessitas rei, & quædam dicti: vel, quòd idem est, necessitas in sensu diviso, & in sensu composito; ut Sortes sedens potest ambulare, duplicem sensum habet, vel quòd res ipsa, quæ est Sortes, & est subjecta sessioni, potest esse subjecta ambulationi, & tunc est verus sensus, vel quòd totum illud dictum Sortes sedens posset esse sub ambulatione, & tunc est sensus falsus: quia sic simul sederet, & ambularet, & per consequens simul sederet, & non sederet. In sensu ergo diviso, quòd Sortes secundùm se consideratus, posset esse sub ambulatione, est locutio vera; sed in sensu composito, quòd Sortes cum sessione posset esse sub ambulatione, est locutio falsa. Sic in proposito: cùm dicimus: Hæc res contingens à Deo præscita, necessariò eveniet, si consideretur ipsa res, quæ est contingens, potest evenire, & non evenire, sed si consideratur hoc totum in sensu composito (res simul cum præscientia Dei, necessariò eveniet) sic est à Deo præscita, ut si est præscita contingenter, contingenter eveniet; si autem necessariò, necessariò. Et quia necessitas in sensu composito potest simul stare cum contingentia, ut currēs in sensu composito, necesse est currere, dum enim aliquid currit, necesse est quòd currat, quia non potest simul currere, & non currere:

præscientia itaque Dei. quia in sensu compo-
sito imponit necessitatem rebus, ab eis mini-
mè contingentiam tollit. Potest autem conglu-
tinari illa secunda distinctio cum prima, ut di-
catur, quòd in sensu composito præscientia
Dei contingentiam à rebus non removet, sed
magis arguit, & confirmat, secundùm quod
dicebat prima distinctio.

Tertia autem distinctio est, quoddã ne-
cessarium est simpliciter, quoddam ex condi-
tione: & secundùm hoc solvemus quæstionẽ,
tertio modo. Dicemus enim quòd ex necessi-
tate simpliciter, sunt res necessariæ simplici-
ter, sed necessitate conditionata, possunt esse
necessariæ quæcumque res contingentes: se-
cundùm quem modum distinguit Philos. in Pe-
Lib. 2. cap. 3. rihermenias, volens quòd necessitate condi-
tionata, omne quod est, dum est, necesse
est esse. Præscita sunt ergo à Deo necessaria,
necessitate conditionata. Nam quod præscitur,
oportet quòd illud sit futurum, ut vult Anse-
mus in de Concordia præscientiæ, & prædesti-
nationis. Dicemus ergo, si hoc est præscitum à
Deo, est necessariò futurum, & ut diximus,
hoc esse præscitum esse futurum, nihil erit a-
liud dicere, quàm si est futurum, necessariò e-
rit futurum: secundùm quem modum omnia
sunt necessaria, ut dicamus, si aliquis currit,
necesse est quòd currat, quia non potest curre-
re, & non currere. Necessitas ergo conditiona-
ta simul stat cum contingentia rerum. Posset
etiam, si alicui curæ esset, addi isti distinctio-
ni, ut habilius haberet intentum.

Est autem quarta distinctio, quòd aliqua
sunt necessaria necessitate præcedenti, aliqua
sequenti. Hanc distinctionem facit Anselmus
dicens ubi suprà, quòd est necessitas antecedẽs,
& consequens. Necessitas consequens, ut si di-
catur, homo necessariò curret: hæc est necessi-
tas consequens tantùm, quia arguitur necessi-
tas cursus tantùm, ex consequenti conditio-
ne apposita, videlicet, si curret. Sed si dicatur
sol orietur, si orietur: hoc est duplex necessi-
tas, antecedens, & consequens: antecedens
quidem, quia in ipso oriri solem, ut cùm dici-
tur, Sol orietur, antequam addatur conditio,
intelligitur necessitas, quam necessitatem vo-
cat Anselmus necessitatem antecedentẽ: sed
cùm postea additur (si orietur) est necessitas
non solùm antecedens, sed consequens, ut ex
conditione consequente apposita. In hac itaque
locutione, Sol orietur, per (orietur) est duplex
necessitas, scilicet, antecedens, & consequens;
antecedens, quæ cogit rem esse: consequens,
quæ non cogit rem esse. Sed si dicitur, (homo
currit si curret) nulla necessitas est in antece-
dente, cùm dicitur, homo currit: sed solùm
in consequente, cùm dicitur, si curret. Cùm
igitur dicitur, A. necessariò erit, si est à Deo
præscitum, potest esse ibi duplex necessitas, &
una solùm. Duplex, quia si, A. quod ponitur
futurum esse, est de se necessarium, est ibi ne-
cessitas antecedentis, cùm A. erit: & necessi-
tas consequentis ex conditione apposita, sive
addita scilicet, si est à Deo præscitum. Sed si,
A. futurum esse, in se non sit necessarium, ut
si dicatur A, erit, si à Deo est præscitum: so-
lùm erit ibi necessitas consequens, scilicet, si
est à Deo præscitum. Et quia necessitas con-
sequens nihil de esse rerum variat, talis necessi-
tas permittit res esse, quales sunt secundùm
se. Necessitas ergo Divinæ præscientiæ est ne-
cessitas consequentis, quia nihil variat rem
esse: sed necessaria necessariò eveniunt; & cõ-
tingentia, contingenter. Sic ergo possumus per
distinctionem quartam ad quæstionem solvere
quarto modo.

Est autem quinta distinctio, quòd quædã
sunt necessaria, relata ad mensuram propriam,
quædam verò prout ad mensuram aliam refe-
runtur. Dicemus ergo quòd illud quod hic
fit successivè, secundùm cursum temporis, to-
tum in æternitate præsentialiter demonstratur:
quia *Nunc fluens facit tempus: & nunc stans fa-* *Lib. 5. Pſ. 6.*
cit æternitatem, ut ait Boëtius. Omnia ergo
sunt in æternitate præsentia, quia omnia sunt
ibi stantia, cùm nihil ibi depereat, nec ac-
crescat: illa ergo eadem, quæ comparata ad
æternitatem sunt præsentia, & stantia, compa-
rata ad mensuram propriam, cursibus tempo-
ris peraguntur. Quare si sic in se ipsis res præ-
sentes sunt, cùm fiunt: si antequam fiant, Deo
æternaliter præsentia sunt, & ab ipso præsen-
tia cognoscuntur, ut dicit Boëtius in lib. de
Conso. Cùm ergo res præsentialiter fiant, non *Lib. 5.*
possunt simul fieri, & non fieri, sed secundùm *Pſal. ult.*
alteram partem tantùm: nec tamen propter hu-
jusmodi determinationem, quod fit, necessariò
fit. Res ergo, antequam fiant, possunt fieri, &
non fieri, ut non oporteat eas esse necessarias
simpliciter, nec ex conditione. Sed cùm causæ
sunt præsentes, licèt non oporteat eas esse ne-
cessarias simpliciter, quia possunt contingẽter
fieri, tamen necesse est eas esse necessarias ex
conditione: quia cùm fiunt, necessariò est eas
fieri, ut non possunt simul fieri, & non fieri, &
actu simul esse, & non esse: licèt antequam
fiant, proportionaliter utrumque pronuntiari
possit. Res itaque contingentes, relatæ ad pro-
priam mensuram, secundùm quam sunt futu-
ræ, & tempori subditæ, non sunt determinatæ
ad alteram partem. Relatæ verò ad æternitatẽ,

ubi præsentialiter relucent, oportet eas esse determinatas ad alteram partem, sicut cùm præsentialiter fiunt; quia nisi præsentialiter se habeant, fieri non possunt. Propter illam tamen talem determinationem, nulla necessitas imponitur rebus. Et quia necessitas ex præsentia rei, simul stat cum contingentia rei, quia possunt præsentia esse quę contingenter fiunt, necessitas ex præsentia Dei, rerum contingentiam nõ evacuat. Præscita itaque à Deo sunt contingentia, relata ad mensuram propriam, ut ad tempus: sed relata ad æternitatem, & ad Dei præscientiam, quæ simplici intuitu omnia cognoscit, necessitatem illam contrahunt, quæ competit rebus ex præsentia rerum cùm fiunt, quam necessitatem, rerum non tollere contingentiam, potest esse manifestum ex dictis.

Est & sexta distinctio, quòd quædam res est necessaria in se considerata; quędam verò solùm ut est ad aliud relata. Omnia enim quãtumcumque contingentia, & particularia, relata ad intellectum, dicuntur esse necessaria: quia secundùm Comment. 1. de Anim. intellectus facit universalitatem in rebus. Res ergo relatæ ad intellectum considerantur sub esse universali, universale autem dicitur esse semper, & ubique, quia est abstractum à tempore, & loco: unde non consideratur sub esse hic, & nunc. Eadem ergo res secundùm se erit contingens, & particularis; relata tamen ad intellectum, & considerata sub esse universali, quãdam necessitatem contrahit: & sic considerata, non est corruptioni subjecta. Ideò dicit Philos. in lib. Prior. quòd *Michalus semper est intelligibilis, quantumcumque Michalus sit corruptioni subjectus, & contingentiæ subditus.* Relatus tamen ad intellectum, prout reservatur in eo ratio universalis, dicitur semper esse: talis enim sempiternitas, quę est per relationem ad aliud, cõtingentiam non removet. Sic in proposito: contingentia in se ipsis, possunt quamdam necessitatem habere, ut referuntur ad intellectum Divinum. Illa tamen necessitas, nullam contingentiam removet: immò magis eam roborat: quia etsi talia sic considerata necessariò evenirent, patet quòd necessariò evenirent cõtingenter, quia sic sunt à Deo præscita, quòd contingenter eveniant. Sic ergo potest solvi quæstio per distinctionem sextam ut quæstio sexto modo solvatur.

Est nihilominus & septima distinctio: Quædam habẽt necessitatem omnimodã, quædam verò solùm necessitatem quamdam; ut sic loquamur de necessitate, & contingentia, quæ videntur sibi multum obviare, sicut loquimur de accessu, & recessu, qui sibi invicem obviant. Quòd enim aliquid respectu unius & ejusdem habeat omnimodum accessum, & recessum, est impossibile. Sed quòd aliquid respectu unius habeat accessum, respectu alterius recessum: vel quòd aliquid respectu unius & ejusdem uno modo habeat accessum, alio modo recessum, non est inconveniens: videmus enim quòd idẽ lapis ascendendo sursum, recedit deorsum: & quòd habet accessum, & recessum: sed hoc non est respectu ejusdem. Sic & in proposito: nam sicut accessus, & recessus, sunt respectu terminorum. Sic necessitas, & contingentia, sunt in rebus creatis respectu causarum: propter quod sicut respectu diversorum terminorũ eadem res potest habere accessum, & recessum: sic respectu diversarum causarum, eadem res poterit necessitatem, & contingentiam habere. Quòd enim res habeat omnimodam necessitatem, & omnimodam contingentiam respectu omnium terminorum, esse non potest: sed habere necessitatem ex parte Divinæ præscientię, contingentiam respectu causæ proximæ, non est inconveniens. Sic etiam non solùm respectu diversorum terminorum, sed etiam respectu unius & ejusdem, alio, & alio modo, potest aliquid accedere, & recedere: ut orbiculariter mota, redeundo ab Oriente, accedunt ad Oriens: quia tendunt ab Oriente, ad Oriens. Attamen esse non potest, quòd simul, & respectu unius & ejusdem simpliciter aliquid accedat, & recedat: tamen quòd simpliciter sit hujusmodi, & secundùm quid, nullum est inconveniens. Sic in proposito Divinam præsciẽtiam dupliciter consideramus, uno modo ut solùm speculativè intuetur res, secundùm quem modum infallibiliter cernit: & suum infallibiliter cernere, nec necessitatem, nec contingentiam, imponit rebus. Alio modo consideratur, non solùm ut speculativè circumcernit res, sed ut est causa rerum, & ut mediantibus secundis causis res producit, secundùm quem modum est causa entis & differentiarum entis, & per consequens contingentium, & necessariorum: ut quæ exequitur mediantibus secundis causis contingentibus, contingenter eveniunt: & quæ mediantibus necessarijs, necessariò eveniunt. Respectu ergo unius & ejusdem, ut respectu Divinæ præscientiæ, eadem res poterit esse contingens, & necessaria. Contingens quidem prout hujusmodi res causatur à Divina præscientia, & voluntate mediantibus causis contingentibus: necessaria verò prout infallibiliter cognoscitur per Divinam scientiam quòd ex talibus causis sic facta. Erit ergo eadem res necessaria, & con-

Com. 8.

1. cap. 12.

tin-

tingens, modis prædictis: sed contingens erit simpliciter, quia ex proximis causis contingentibus procedit: necessaria erit secundùm quid, prout Divina scientia in ejus adventu non fallitur; quod non falli, non cogit rem esse, nisi sicut est.

Octavo, & ultimo potest distingui (ut dicebatur) quòd in aliquibus est necessitas cõsequentis, vel antecedentis: in aliquibus verò nec hæc, nec illa, sed consequentiæ tantũ: sicut ponit exemplum Boethius 5. de Consol. philosophica, ubi dicit quòd nulla necessitas cogit incedere voluntate gradientem, quamvis necessarium sit, quando graditur, eum incedere. Necessarium enim est quòd si Sortes currit, quòd moveatur: & si graditur, quòd incedat. Sed talis necessitas, non est antecedentis, nec consequentis, sed consequentiæ tantùm. In hac enim necessaria conditionali, si Sortes currit, Sortes movetur: non est necessarium antecedens, scilicet Sortem currere: nec consequens, scilicet Sortem moveri: sed solùm consequentia, ut si currit, quòd moveatur. Sic & in proposito, si hoc est præscitum à Deo, ergo veniet. In hoc quod dicitur, ergo veniet, non est necessitas: quia consequens illud potest evenire contingenter: sed est necessitas cõsequentiæ tantùm: quia ex Divina præscientia refertur hoc consequens, scilicet rem evenire. Res tamen ipsa potest evenire, & non evenire: & Deus est liberi arbitrij, quia posset ordinare, & non ordinare: & sicut ordinavit contingẽter, vel necessariò, sic contingenter vel necessariò eveniet: ut solùm necessitas consequentiæ sit in ipsis rebus ex Divina præscientia: quòd in ipsis contingentibus fieri potest, nec contingentiam ab ipsis rebus aufert.

Concluditur ergo in fine hujus cap. quòd diffusè sumus prosecuti, sicut concludit Boeth. 5. de Consolatione: ut si visus noster videat hominem currere, & solem oriri, æquè verè pronuntiabit cursum hominis, sicut ortum Solis, licèt homo contingenter currat, & Sol necessariò oriatur: tamen propter illud infallibiliter judicare, non imponit necessitatem rebus contingentibus. Sic & in proposito, Deus præsentialiter, tam præterita, quàm futura cernit, nec in eis fallitur: & tamen propter hoc non imponit necessitatem rebus, sed contingentia contingenter eveniunt, & necessaria necessariò, quia cognoscit ea sicut sunt: & ideò non tollitur consulere, & negotiari. Quæ libet ergo creatura faciat prædestinationem suam, & quilibet benè agat ut salvetur, sciens, quòd nullus damnabitur nisi per culpam suam. Videt enim te salvandum, & damnandum, sicut videt te comesturum. Sicut ergo derideretur ille qui diceret, Deus prævidit me comesturum, ideò de necessitate comedam, propter quod non oportet me laborare, nec lavare manus, nec ire ad mẽsam, sed veniet bolus, & etiam me invito introibit in os meum, quia prævidit Deus me comesturum; & sic fiet. Sic deridendus est ille qui diceret Deus prævidit me salvandum, aut damnandum, ideò non oportet eum curare qualiter agat, quia sic eveniet, sicut Deus prævidit. Nam prævidit te Deus comesturum, hoc modo quòd debeas tibi providere, & procurare cibum, & cetera talia: quæ faciens, comedes: & si non, non. Sic Deus videt te esse dãnandum, quia debebas Dei præcepta servare, vel non, ideò salvaberis, vel damnabetis. Hæ autem octo distinctiones, licèt in unam viam tendant, sentimus tamen eas, hoc modo intelligenda dicta Sanctorum de hac materia loquentium. Et hæc de Divina prædestinatione sufficiant.

DE PARADISO.

CAP. IV.

Quòd Paradisus potest sumi corporaliter, & spiritualiter: & quòd Paradisus ad litteram est quidam locus corporalis.

POST executionem de Divina præscientia, & prædestinatione, restat exequendum de Paradiso, & inferno: & primò de Paradiso. Sciẽdum ergo quòd, ut Augustin. ait 8. super Gen. ad litteram, de Paradiso esse tres opiniones. Quarum una tantùm corporaliter Paradisum ponit. Alia solùm spiritualiter. Alia utroque modo intelligi voluit. Et, ut Augustin. ibidem dicit, tertiam sibi placere positionem, quòd Paradisus utroque modo intelligatur. Et Damasc. 2. lib. cap. 9. dicit, quòd *Sicut homo sensibilis, & intelligibilis positus est, sic & paradisus sumitur.* Quòd autem Paradisus utroque modo dicatur, Scriptura ostendit. Nã de Paradiso sensibili, & terrestri, dicitur Gen. 2. *Plantaverat Deus Paradisum à principio: in quo posuit hominem, quem formaverat.* Quod Magister 2. dist. 17. exponens ait: *His verbis apertè insinuat Moyses, quòd homo extra Paradisum creatus, post modum in Paradisum sit positus*, secundùm quem modum oportet quòd Paradisus corporaliter, & sensibiliter sumatur: quia cùm ho-

homo ſit caput mulieris, & mulier fuit forma-A ta in Paradiſo, quia Adam exiſtente in Paradiſo miſit Deus ſoporem in Adam, & tulit unam de coſtis ejus, & formavit inde Evam (ut dicitur Gen. 2.) non poteſt intelligi de Paradiſo ſpirituali, quia tunc aliqua dignitas in Eva ſpecialiter fuiſſet, quæ non fuiſſet in Adam, quod non eſt conveniens. Oportet ergo quòd Paradiſus ſumatur corporaliter pro quodam loco amæno, fructuoſo, ac nemoroſo: extra quē creatus homo, poſteà fuit ibidem poſitus divina virtute. Vnde Auguſt. loquens de hoc paradiſo, dicit 8. ſuper Geneſ. ad litteram, quòd *Paradiſus in quo collocavit Deus hominem nihil aliud quàm locus quidam intelligatur terra, ſcilicet ubi habitaret homo terrenus.* Et idem in loco eodem dicit, Paradiſum intelligi debere locum, ſcilicet amæniſsimum, fructuoſis nemoribus opacatum, eundemque magnum, & magno fonte fœcundum. Sic ergo in Geneſi accipitur paradiſus, ſcilicet corporaliter.

Spiritualiter ſumitur Paradiſus, cùm Dominus dixit latroni: *Hodie mecum eris in Paradiſo*: quod de anima latronis verificatum eſt: & quia anima eſt res ſpiritualis, oportet ibi ſpiritualiter intelligere Paradiſum. Quia ergo utroque modo ſumitur paradiſus, oportet de utroque exequi. Et primò de corporali, de quo multa dicuntur: dicitur enim primo de tali Paradiſo, quòd homo non fuit ibi creatus, ſed poſitus: cujus ratio poteſt eſſe, quia non debebat ibi perſiſtere, & ideò non fuit ibi creatus, ſed poſitus. Vel (ut dicit Magiſter Sent.) *Quia eſſe in Paradiſo attribuitur gratiæ, non naturæ.* Lignum autem vitæ in Paradiſo erat ſecundùm Bedam: quod lignum ejus virtutis erat, ut qui ex ejus fructu comederet, ejus corpus ſtabili ſanitate, & perpetua ſoliditate permaneret: nec ætatis imbecillitate, vel ulla infirmitate in deterius laberetur. Auguſt. etiam ſuper Geneſ. 8. ad litteram, de hoc ligno dicit, quòd ſicut panis ille quem comedebat Elias, habuit ampliùs quàm uſitatus panis: quia ab indigentia famis 40. dierum ſpatio vē-D dicavit Eliam (ut dicitur 3. Reg. cap. 19.) quia (ut dicitur) ambulavit in fortitudine cibi illius 40. diebus, & 40. noctibus: ſic lignum vitæ, ſive fructus ejus, vim ſuſtentandi, & reſtaurandi, ultra alia ligna habuit. Dei enim perfecta ſunt opera: voluit enim Deus quòd formaliter, & materialiter, poſſet Adam, & Eva, ſi non peccaſſent, incorruptibiles permanere, & ſe præſervare. Formaliter quidem ex Originali juſtitia, quæ propriè erat forma animæ, cui corpus totaliter ſubjiciebatur. Materialiter verò, propter lignum vitæ. Nā quòd non perpetuetur homo, contingit ex hoc, quia non ita pura eſt reſtauratio alimenti, ſicut eſt deperditi deperditio; habebat enim hoc lignū præ aliis, ut purius faceret nutrimentum, ex quo tale lignum materialiter faciebat ad perpetuitatem Adæ. Secundò in Paradiſo erat lignum ſcientiæ boni, & mali, non quòd uſus illius arboris, ſive arbor illa eſſet mala, ſed ut homo cognoſceret ſe tenere ad obedientiam Creatoris, fuit ſibi datum præceptum ne ederet de fructu illius ligni: & ex hoc dicta eſt arbor boni, & mali, quia in illa erat præcepti futura trangreſsio, in qua per experimentum didicit, quid intereſſet inter obedientiam boni, & mali,

M. P. Aug. de Geneſ. ad litt. lib. 8. cap. 15.

Erat tertiò in Paradiſo corporalis fons magnus, diviſus in quatuor flumina, ut magna amænitas ibi eſſet. Vnde Damaſc. lib. 2. cap. 11. de Amænitate hujus Paradiſi loquens, dicit, quòd *Deus hominem condidit ad imaginem, & ſimilitudinem ſuam, tanquam quemdam regem, & principem omnis terræ, & eorum quæ ſunt in ipſa, quamdam regiam manſionem, ei priùs extruxit, in qua degens, beata, atque omni fœlicitate vita frueretur. Atque hic ille eſt divinus Paradiſus Dei manibus in Edem conſtitutus voluptatis omnis ac jucunditatis animi promptuarium (Edem, ſi interpreteris, delicias ſonat) in Oriente ſuper univerſam terram ſitus probè que temperatus, ac ſubtiliſsimo, & puriſsimo aere undique colluſtratus, plantis nunquam non floridis vernans.*

Quartò, in hoc Paradiſo homo fuit poſitus, ut operaretur, & cuſtodiret illum. Nam ſecundùm Auguſt. 7. ſuper Geneſ. ad litteram, Ante peccatum fuit homo agricola ſine labore ſolùm ad delectationem: qui fuit poſt peccatum ad laborem, non benè cuſtodiens gratiam ſibi datam, & ideò inde fuit abjectus. Hęc autem quæ de Paradiſo dicta ſunt, oſtendunt illum eſſe corporalem, & ſenſibilem: tum quia nullum ſpirituale bonum habuit Eva, quod non haberet Adam, tum etiam, quia ibi erat lignū vitæ, quod ad eſum corporalem erat: tum etiā quia eſus arboris boni & mali, indicat corporalem actionem: tum etiam, quia ibi erat fons cum fluminibus, quæ flumina ſecundùm Auguſt. Gyon, Phyſon, Tygris, & Euphrates ſunt nominata: tum etiam quia Adam in Paradiſo poſitus fuit ut agricola, quod ſolùm in loco corporali fieri habet: & Adam etiam inde fuit abjectus. Quare patet, quid ſit de hoc Paradiſo dicendum.

De Geneſ. ad lit. lib. 8. cap. 8.

✠✠✠

CAP

CAP. V.

Quòd Paradisus secundùm moralem sensum, animam sanctam, lætitiamque bonæ conscientiæ significat, & figurat.

DECLARATO quomodo accipitur Paradisus corporaliter, restat videre quomodo sumatur spiritualiter. Sciendum ergo quòd August. super Genes. ad litteram 8. dicit: *Lignum vitæ sumi corporaliter, & spiritualiter: cùm sit Ierusalem aterna in cœlis: etiam in terra civitas, quæ illa significaretur, condita est. Et Sara, & Agar, quamvis duo testamenta significarent, erant tamen etiam quædam duæ mulieres*: sic lignum vitæ, quamvis significet Christum, tamen est quædam arbor in Paradiso, scilicet, terrestri: & paradisus licèt significet cœlestem Patriam, est tamen quidam locus corporalis. Vt igitur prosequamur similitudinem de Ierusalem, & Paradiso, dicemus, quòd sicut Ierusalem interpretatur visio pacis, ita & Paradisus est locus amænus, qui quidem in visione etiam pacis, & in tranquillitate consistit, in quibus potissimè, amænitas, & delectatio, habet esse. Dicemus ergo quòd Paradisus quatuor significat, juxta quatuor sensus sacræ Scripturæ. In sacra enim Scriptura significantur voces, & res: secundùm significationem vocum, significatur sensus litteralis. Nam ille est sensus litteralis, qui secundùm significationem vocũ, scilicet litterarum, occurrit intellectui primò sine repugnantia. Dicimus enim sine repugnãtia, quia cùm dicitur in lib. Iudicum, quòd ligna voluerunt constituere Regem, non est sensus litteralis, quòd ligna hoc facerent: quia ibi esset repugnantia, cùm ligna ratione careãt. Quando ergo est repugnantia, poterit esse alius sensus: sed illud quod voces significant, quod se offert primò intellectui sine repugnantia est sensus litteralis. Sensus autem spiritualis est, quod significant res: quæ res tripliciter sumi possunt ad significandum: quia vel sumi possunt ad significandum quid agendum, & tunc est sensus moralis: vel quid credendum, & tunc est sensus allegoricus: vel quid sperandũ, & tunc est sensus anagogicus. Vt dicatur sensus moralis à moribus, qui ex actibus nostris dependent. Dicitur sensus allegoricus, ab alio, quod est aliud, & goge, quod est ductio, ut unum significatur, & ad aliud ducitur, ut quia ducitur ad aliqua credendum. Dicitur autem Anagogicus, ab ana, quòd est sursùm, & goge, quod est ductio, quasi ad ea, quæ sursum sunt, & quæ speranda sunt, ductio. Ierusalem itaque secundùm litteralem sensum significat illum corporalem locum: secundùm sensum moralẽ, significat animam sanctam: secundùm allegoricum, Ecclesiam; secundùm anagogicum, cœlestem Patriam.

Sic Paradisus omnes quatuor sensus habet, ut secundùm litteram significet quemdam locum corporalem. Secundùm verò mores, animam sanctam. Secundùm allegoricum, Ecclesiam. Et secundùm anagogicum, cœlestem Patriam. De sensu autem litterali, & Paradiso corporali, dictum est. Restat autem de ceteris sensibus exequi, & primò de primo. Dicamus ergo quòd anima sancta, secundũ moralem sensum, dicitur Paradisus. Illa enim quatuor, quæ reperiuntur in paradiso corporali, possumus ad animam sanctam adaptare. Nam sicut in paradiso fuit ipse Adam positus Dei gratia: sic quia in iniquitatibus concepti sumus, secundùm Psalmum, quòd anima sit sancta, & bona, est Divinæ gratiæ. Immò magis est gratiæ in anima, quàm fuit in Adam: quia in Adam fuit bonum gratiæ gratis datæ, in anima nostra, est bonum gratiæ gratum facientis. Secundò, quia sicut in Paradiso erat lignũ vitæ: sic in anima sancta est charitas, quæ habet omnia facere viva, sive lignum vitæ, quod corpora reficiebat ad vitam. Tertiò, quia sicut in Paradiso erat arbor scientiæ boni, & mali, sic in anima sancta est liberum arbitrium, per quod possumus benè & malè agere: licèt enim virtutibus non contingat malè uti (ut vult August. in lib. 2. de Lib. arbit. & Philosophus in Rhetoricis) ipsis tamen potentijs, possumus benè & malè uti: propter quod anima potest dici, arbor scientiæ boni & mali. Quartò, sanctitas vitæ sine alio potest dici Paradisus: nam sicut homo fuit in Paradiso positus à Deo, ut operaretur, & custodiret illum; sic est positus justus homo in bonitate, & sanctitate à Deo, ut operaretur, & custodiret illam.

Animadvertendum tamen, quòd cùm dicitur, Deus posuit hominem in Paradiso, ut operaretur, & custodiret illum, dupliciter potest intelligi. Primo modo, ut homo positus sit in Paradiso ut custodiret eum sibi ipsi, ne per peccatum amitteret illum: sic homo est positus in Paradiso bonæ conscientiæ, ut operando sibi ipsi custodiret sanctitatem, id est, Paradisum suum. Secundo modo potest exponi quod dictũ est quòd Deus posuit hominem in Paradiso, ut custodiret ipsum hominem, ut Augustinus exponit: Posuit Deus hominem in Paradiso ut cu-

cuſtodiret hominem, id eſt ſeipſum: quia homo A videns ſe in tantis delitijs, in quantis à Deo poſitus erat, debebat ſe ipſum cuſtodire: quod ſi non fecit, oſtendit ſe ingratum eſſe; & quòd non Dei culpa fuit, ſed hominis ingrati. Sic etiam in propoſito, à Deo eſt quòd homo ſit bonæ vitæ, & ſanctitatis, quæ poteſt dici paradiſus. Deus enim poſuit hominem in hoc paradiſo, vt operaretur, & cuſtodiret ipſum, per bona opera: quod ſi non fecit, non eſt culpa Dei, ſed hominis ingrati. Patet ergo quòd per iſta quatuor, moraliter intelligi poſſunt de anima ſancta, vel de homine ſancto, quę de paradiſo corporali ad litterā intelliguntur. Advertendum tamen quòd grammatici dicunt paradiſum, fœminini generis: ſacra autē Scriptura, quæ non eſt ſubiecta re- B gulis grammaticorum, ſumit eum in maſculino genere, cùm dicit: *Poſuit Deus hominem in paradiſo, vt cuſtodiret illum.*

CAP. VI.

Quòd paradiſus ſecundùm allegoricum ſenſum ſignificat Eccleſiam Militantem, ſive præſentem.

OSTENDENDVM eſt in hoc cap. quommodo paradiſus, ſecundùm ſenſum allegoricum, ſignificet Eccleſiam. Præſens ergo Eccleſia, quæ dicitur militans, meritò dicitur paradiſus: quia illa, quæ diximus eſſe in paradiſo corporali, poſſumus ad præſentem Eccleſiam adaptare. Nam ſicut homo priùs non fuit in paradiſo poſitus, ſed conditus: ſic nos ex primordiali generatione noſtra corporali, cùm in peccato naſcimur, non habemus, quòd ſumus filij Eccleſiæ, ſed ex regeneratione ſpirituali: ſecundùm quam ab hoc peccato abſolvimur. Sicut igitur Adam extra paradiſum formatus fuit, & per Deum in paradiſo poſitus: ſic nos naſcimur extra Eccleſiam, ſed per diuinam gratiam, & regenerationem in baptiſmo, D in Eccleſiam collocamur. Rurſus in Eccleſia eſt lignum vitæ, ſcilicet Chriſtus, qui eſt Dei virtus, & Dei ſapientia. Nam de hac Eccleſia ſcriptum eſt, quòd eſt lignum vitę ijs qui apprehendunt eam. Vnde Aug. 13. de Ciuitate Dei, cap. 20. de hoc ligno loquens, ait: *Tanquam cætera* (ſcilicèt ligna) *eſſent alimento: illud* (ſcilicet lignum vitę) *ſacramento*: Et ſubdit *vt ſic fuiſſe accipiatur Lignum vitæ paradiſo corporali, ſicut in ſpirituali, hoc eſt, intelligibili paradiſo ſapientia Dei, de qua ſcriptum eſt, lignum vitæ eſt omnibus amplectentibus eam.*

Poſſumus autem dicere, quòd lignum, arbor vitæ, liber vitæ, ſapientia Dei, & virtus, & cetera talia appropriatè poſsūt dici de Filio Dei. Nam Filius procedit per modū intellectus: ideò dicitur Verbum, & ſapiētia Patris. Et quia actio intellectus, dicitur vita, inde eſt, quòd ipſa vita, & ea quæ pertinent ad vitam, vt lignum vitæ, & liber vitę, Filio appropriantur. Ideò Ioannes volens nobis aliqua enarrare de Filio Dei dicēs quòd erat in principio apud Deum Patrem, dicit: *Quod factum eſt in ipſo erat vita*: innuens quòd omnia quæ facta ſunt, antequam facta eſſent, erant in Verbo vita, & modo intelligibili: & quia actus intellectus dicitur vita ſecundùm Commentatorem 12. Metaph. 39. ideò talia, quæ vitam donant, poſſunt appropriari Filio: Filius ergo qui procedit per modum intellectus, per appropriationem, dicetur ſapientia, vita, & omnia quæ deſcribuntur per modum vitæ. Et ideò meritò appropriatur, quòd ſit lignum vitæ. Ex hoc etiam dictus eſt non ſolùm ſapientia Patris, ſed etiam & virtus: quia cùm Pater ſit intellectualis naturæ, & agat per ſuam ſapientiam, & per ſuum Filium, omnia dicitur agere, & per Verbum ſuum: & ideò dicitur, virtus Patris ipſe Filius. Poteſt ergo ipſe Chriſtus, & ipſe Filius Dei, dici lignum vitæ. Cætera enim, quæ erant in paradiſo corporali, erant in alimento, lignum autem vitę quod figurabat Chriſtum, erat in ſacramento ſolùm. Arbor autem ſcien- C tiæ boni, & mali, in Eccleſia eſt tranſgreſsio mandati per experimentum, vt ait Aug. 13. de Ciuitate Dei, cap. 21. Nam, vt dicit idem 8. ſuper Geneſim ad litteram, Lignum ſcientię boni, & mali, arbor quædam fuit corporalis, cujus eſus non per ſe malus, ſed ratione tranſgreſſionis mandati. Sicut ergo illa arbor corporalis, in paradiſo corporali, dicitur arbor ſcientiæ boni, & mali, ſic in Eccleſia ipſa tranſgreſsio mandati per quam experimur, quid intereſt inter obedientiam bonam, & malam, Arbor ſcientiæ boni, & mali dici poteſt. Vel dicere poſſumus, quòd ipſum mandatum, eſt hujuſmodi arbor: tranſgreſsio verò eius, eſus.

Fons qui dividebatur in quatuor capita, ſignificat in Eccleſia doctrinam Evangelicam: quæ dividitur in quatuor Evangelia: per quam doctrinam irrigatur tota Eccleſia, ſicut per fontem illum irrigatur totus paradiſus. Deus etiam poſuit hominem in hoc paradiſo, qui eſt Eccleſia, ut operaretur, & cuſtodiret illum. Quod dupliciter poteſt intelligi. Primo, vt homo refertur ad hunc paradiſum, quę eſt Eccleſia, poteſt eſſe ſenſus, quòd Deus poſuit hominem in paradiſum, quæ eſt Eccleſia, vt operaretur, & cuſtodiat hujuſmodi paradiſum. Nam ſicut Eccleſia

cleſia dicta eſt paradiſus Dei, ita poteſt dici vinea Dei, ad quam continuè operarios mittit, ut reddat ſingulis ſuos denarios. Poſitus eſt ergo homo in Eccleſia, quæ dicitur paradiſus ut cuſtodiat hunc paradiſum, ne per peccatum perdat illum: ſtatim enim quòd quis peccat mortaliter, quantum ad Deum, ſeparatus eſt à communione Eccleſiæ. Secundo modo poteſt exponi hoc operari, & cuſtodire, non ut referatur ad hominem prout comparatur ad paradiſum qui eſt Eccleſia, ſed prout refertur ad Deum. Nam ſicut homo operatur terram, multò magis Deus hominem: nam homo operatur terram, non ut ſit terra, ſed ut fructificet: Deus autem operatur hominem ut ſit homo, & ut ſit juſtus: ſine enim Deo non poſſumus eſſe, neque juſti, neque opera iuſtitiæ facere. Homo igitur poſitus fuit in Eccleſia, ut cuſtodiret illam, & ut Deus cuſtodiret hunc hominem, faciendo eum operari opera juſtitiæ, ſine qua nihil poſſumus facere.

CAP VII.

Quòd paradiſus ſecundùm anagogicum ſenſum, ſignificat Eccleſiam Triumphantem.

OSTENDEMVS in hoc capitulo quomodo anagogicè per paradiſum ſignificatur Eccleſia triũphans (vt ſit ſenſus anagogicus, quando ad ſuperna manuducimur, quæ potiſsimè ſunt res ſperandæ, & illa cœleſtis patria, ſive illa quæ ſurſum eſt, quæ eſt libera, quę eſt mater noſtra, vt dicitur ad Gal. 4.) Poſſumus autem dicere, quòd nomine Paradiſi ſignificatur illa cœleſtis patria, & illa quæ ſurſum eſt Hieruſalem. Nam ſecundùm Auguſt. 12. ſuper Gen. circa finem. *Omnis etiam ſpiritualis quaſi regio, in qua benè eſt animæ, paradiſus dici poteſt*: ſicut dicebatur corporalis paradiſus, in quo benè erat corpori. Vnde idem Auguſt. ibidem ubi ſuprà, dicit: *Si enim propriè quidam* (paradiſus) *eſt nemoroſus locus, tranſlato autem verbo, omnis etiam ſpiritualis quaſi regio, ubi animæ benè eſt, meritò paradiſus dici poteſt.* Tertium ergo cœlum ſicut tertium genus viſionis ubi erit beatitudo noſtra, ad quam raptus eſt Paulus, paradiſus dici poteſt. Vnde ad Corinthios, cùm priùs dixiſſet ſe raptum eſſe uſque ad tertium cœlum, dicit poſteà ſe raptum in paradiſum: idem intelligens per paradiſum, & per tertium cœlum, quod eſt viſio divinę eſſentiæ, ubi eſt beatitudo noſtra. Præſens ergo Eccleſia dicitur paradiſus, quia benè eſt animæ, ſi benè vivit in Eccleſia Militante. Paradiſus autem cœleſtis dicitur, & paradiſus Paradiſorum, quia benè eſt omnibus ibi exiſtentibus, ubi nullus alteri invidet, iuxta illud Auguſt. 22. de Civitate Dei. c. vltimo. In illa ſuperna Civitate, beati magis in ſe bonum videbunt, ubi nulli ſuperiori nullus inferior invidebit. Vnde Aug. illam ſanctam civitatem, paradiſum appellat paradiſorum. 12. ſuper Gene. Et vt diſcurramus per ſingula, quæ dicimus eſſe in paradiſo corporali, dicere poſſumus omnia illa per amplius, & perfectius eſſe in paradiſo ſpirituali. Primò homo in paradiſo corporali non fuit conditus, ſed poſitus: vt daretur intelligi, ſecundùm Magiſtrum ſententiarum, quòd non erat naturæ, ſed gratiæ. Quòd multò magis veritatem habet in paradiſo ſpirituali ſcilicet cœleſti patria, ubi erit beatitudo noſtra: nã nullus homo purus à ſui nativitate, eſt in hoc paradiſo conditus, ſed ſolùm per gratiam poſitus. Beatitudo enim noſtra ſupernaturalis eſt. Nam videre Deum per eſſentiam naturaliter alicui creaturæ competere non poteſt: quia eſſentiam ſuam appellat Deus, lucem inacceſsibilem, quam unquam nemo hominum vidit, nec auris audivit, &c. Non ergo poteſt homo, niſi per gratiam, paradiſum aſcendere: ſicut nec primus homo fuit in paradiſo poſitus, niſi per gratiam.

Poſſumus etiam dicere, in hoc paradiſo ſpirituali lignum vitæ eſſe. Nam ipſa ſapientia divina, poteſt dici lignum vitæ: nec eſt inconveniens quòd dicamus divinam ſapientiam, tam in paradiſo corporali, quàm ſpirituali eſſe lignum vitæ, cùm ſit caput noſtrum, & beatorum, ipſe Chriſtus Dei Filius. Vnde Auguſt. 13. de Civita Dei c. 21. loquens de paradiſo prout dicit vitam beatam, ipſam ſapientiam divinam in hoc paradiſo dicit eſſe lignum vitæ, dicens: *Nemo prohibet intelligi paradiſum, vitam beatam. Et lignum vitæ, ipſam bonorum omnium matrem, ſapientiam, ſive ipſum Chriſtum.* Lignum autem ſcientiæ boni, & mali, eſt in paradiſo cognitio ſpeculativa, quam habent Sancti de bonis, & malis. Obliviſcẽtur enim Sancti ſuorum, & malorum pœnam, quantum ad experimentum, ſed quantum ad cognitionem intelligibilem, nequaquam; ſicut homo per gratiam, peccatum dicitur guſtaſſe de arbore boni, & mali, quia guſtando bonum, cognovit quid intererat per experientiam inter bonum, & malum: Sic boni è contra dicuntur guſtare de arbore boni, & mali, quia guſtando tantum bonum, videbunt quæ differentia ſit inter bonum ipſorum, & malum miſerorum, ut utroque modo inſurgant in Dei laudem

Cap. 34.

2. Cor. 12.

laudem. Vnde Auguſt. 12. de Civita. Dei. c. ultimo loquens de civitate beatorum, dicit: *erit ergo illius civitatis & vna in omnibus, & inſeparabilis in ſingulis voluntas libera, ab omni malo liberata, & impleta omni bono, fluens indeficienter æternorum jucunditate gaudiorum, oblita culparum, oblita pœnarum nec tamen ideò ſuæ liberationi oblita, vt liberatori ſuo ſit ingrata.* Et ſubdit: *Quantum ergo attinet ad ſcientiam rationalem, memor præteritorum etiam malorum ſuorum: quantum autem ad experientis ſenſum prorſus immemor.*

Fons etiam diviſus in quatuor flumina, eſt abundantia beatitudinis, & refectionis animæ. Beatitudo autem noſtra dupliciter poteſt capi. Vno modo nomine extenſo, prout extendit ſe ad omnes potentias, tam ſenſitivas, quàm intellectivas, tam organicas, quàm non organicas: ſecundùm quem modum, fluvius paradiſi diviſus in quatuor capita, eſt refectio animæ, & abundantia beatitudinis, ſecundùm quatuor potentias animæ, in quibus habent eſſe quatuor virtutes cardinales, & etiam virtutes aliæ annexę. Hic autem eſt intellectus, in quo habet eſſe prudentia. Affectus, ſive voluntas, in qua habet eſſe iuſtitia. Iraſcibilis, in qua habet eſſe fortitudo. Concupiſcibilis, in qua habet eſſe temperantia. Hæ autem virtutes Cardinales in prędictis quatuor potentijs animæ habent eſſe. Et ſicut hæ quatuor virtutes habent eſſe in illis quatuor animæ potentijs, ita etiam, & annexæ virtutes, in eis habent eſſe. Et quia beatitudo eſt primum quod reddetur nobis per opera virtuoſa facta in charitate quãtum ad adultos, vel in gratia quãtum ad parvulos: dicitur quòd nomine extenſo beatitudo accepta, ad omnes has quatuor potentias ſe extendit, in quibus virtutes habent eſſe. Alio modo accepta beatitudo ut propriè, non poteſt eſſe niſi de Deo, qui eſt in commutabile bonum: & ſic ſumpta beatitudo, non poteſt eſſe niſi in illis potentijs, quæ immediatè ferri poſſunt in Deum, cujuſmodi eſt intellectus, & voluntas: quia potentię ſenſitivæ, & organicę, cujuſmodi ſunt iraſcibilis, & concupiſcibilis, non referuntur, niſi ad hoc particulare bonum. Hoc autem ſecundum dupliciter poſſumus dicere. Primo videlicet, quòd fluvius diviſus in quatuor capita, ſit abundantia beatitudinis, quæ dividitur in cognitionem veri, quæ pertinet ad intellectum: & in adeptionem boni, quæ pertinet ad effectum: & in ſecuritatem, & pacem, quæ pertinent ad utramque. Hæc autem ſecundùm Auguſtinum faciunt ad beatitudinem: unde de his omnibus ait Auguſt. 9. de Civitate Dei cap. 12. Quòd utroque modo effici beatitudinem dicimus, quam recto proposito natura intellectualis deſiderat, hoc eſt, ut homo incommutabili bono, quod Deus eſt, ſine ulla moleſtia perfruatur: & in eo ſe in æternum manſurum, nulla dubitatione trahatur, nec ullo errore fallatur, ut ſecundùm hoc dicamus animam beatam, eſſe ſponſam Dei: propter quod dicere poteſt de Deo, quod dicit ſponſus in cantica: *Dilectus meus mihi, inter ubera mea commorabitur: id eſt, inter intellectum, & voluntatem.* Cap. 1.

Et ſecundo dicere poſſumus, quòd propriè loquendo, fluvius ipſe eſt Deus, in quo beatitudo noſtra propriè & principaliter eſt: qui dividitur in cognitionem veri, & adeptionem boni: in pacem, & ſecuritatem: quæ omnia ad intellectum, & voluntatem pertinent. Advertendum tamen, quòd licèt in ijs duabus, tanquam in excellentioribus, habeat eſſe principale: ab illis tamen potentijs redundabit beatitudo in totam animam, & à tota anima in totum corpus. Erit autem hic ordo: quia ab ipſo Deo, ubi principaliter, & finaliter eſt beatitudo, redundabit ipſa beatitudo in ipſas potentias principales, ſcilicet, intellectum, & voluntatem: ab his potentiis erit redundantia in totam ipſam animam: & ab ipſa anima, fiet in totum corpus: ut totus homo ſecundùm omnia ſua, dicatur eſſe beatus, vt de eo verificetur quod dictum eſt. Quòd *ingredietur, & egredietur, & paſcua inveniet.* Vt ingredietur, quantum ad hominem interiorem, ſive quantum ad potentias non organicas: & egredietur, quantum ad potentias organicas, ſive quantum ad hominem exteriorem: & paſcua inveniet, quia ſecundùm utraſque potentias, erit refectus, & delectatus, & plenus gaudio delectabitur. Vel ingredietur, quantum ad beatitudinem animę; & egredietur prout illa beatitudo redundabit in corpus: & paſcua inveniet, quia utroque delectabitur. Vel ingredietur Chriſti cognoſcendo divinitatem, quæ communis, & vna, & eadem eſt cum Patre, & Spiritu Sancto: & egredietur videndo ejus humanitatem; & paſcua inveniet, quia vtroque modo delectabitur.

Quintò poſitus eſt homo in paradiſo, vt cuſtodiret, & laboraret illum: dicetur enim homo tunc operari circa hunc paradiſum, & gaudium ſempiternum, quia omnes ſuos actus, omnia ſua habebit in hoc paradiſo, & gaudio: ſicut Angeli ſancti, licèt operentur circa illa ad quæ per Deum mittuntur, ſemper tamen vident faciem ejus, qui in Cœlis eſt. Poſiti ergo erunt homines in paradiſo, vt cuſtodiant illum, & operentur illum, quia nunquam poterunt ipſum perdere. Vel poſſumus dicere ſecundùm alium exponendi modum, quòd Deus ponet hominem in hoc paradiſo, vt cuſtodiat illum,

id eſt

id est,ut Deus custodiat, & laboret ipsum homi-
nem:quia si in præsenti,ij filij Dei sunt,qui Spi-
ritu Dei aguntur, multò magis qui in Cœlesti
Rom. 8. patria filij Dei sunt, Spiritu Dei aguntur. Pa-
tet ergo quomodo potest sumi paradisus,secun-
dùm sensum litteralem,moralem,allegoricum,&
anagogicum. Et hæc de paradiso sufficiant.

DE INFERNO.

CAP. VIII.

Quòd videtur Augustini sententia, quòd Inferni nomine, non corpus, sed similitudo corporis, importetur.

VIA iste tractatus est de prædestinatione,& præscientia, dignum est,vt in eo, de paradiso, & inferno,aliqua videātur ad quę vadūt præsciti, & prædestinati, in fine. Post tractatū de paradiso, si volumus benè diffinire de paradiso, & inferno, qui sunt contrarij, necesse est tractatum de ipso inferno componere. Sciendum ergo, quòd Aug.8. super Gen. ad litteram, videtur ad hanc partem tendere, quòd infernus sit
Cap. 5. locus imaginatorius sive spiritualis:sicut est anima, quæ in tali inferno ponitur.Nam cùm anima non sit corpus, sed possit habere apud se similitudines corporum, (vt dicit idem August.) infernus in quo patitur anima separata, non est corpus, sed similitudo corporis. Vnde August. in 12.videtur hoc asserere,dicens:*Iam vtrum habeat aliquod corpus anima,cùm de hoc corpore exierit,ostendat qui potest, ego autem non puto: spiritalem enim arbitror esse,nō corporalem.* Et subdit:
Cap. 32. *Ad spiritalia verò fertur pro meritis, aut ad loca pœnalia similia corporibus.* Videtur ergo responsio, quòd talis locus non est corpus,sed similitudo corporis. Vnde Aug. in eodem libro, adduxit tale exemplum, dicens: *Qualia sæpè demonstrata sunt iis qui rapti sunt à corporis sensibus, & jacuerunt similes mortuis* (id est, ac si essent mortui) *& infernales pœnas viderunt, cùm & ipsi in seipsis gererent quādam similitudinem corporis sui, per quam possent ad illa ferri, & talia similitudinibus sensuum experiri.* Et idem in eodem dicit:
Cap. 33. *Animam verò non esse corpoream non me putare, sed planè scire audeo profiteri: habere tamen posse similitudinem corporis, & corporalium omnium membrorum quisquis negat, potest negare animam quæ in somnis videt, vel se ambulare vel sedere, vel hac atque illa aut etiam agressu, volatu, fe-*

ri ac referri: quod sine quadam similitudine corporis non fit. Ex proportione itaque locati ad locum, ostendit Augustinus animam ferri ad locum, non corporalem, sed similitudinem corporis habentem: licèt hoc non dicat asserendo, sed hominem exercitando.

Si autem quæratur, quomodo anima exuta à corpore posset apud se formare similitudines corporis?Dicendum quòd hoc potest dupliciter fieri,scilicet,per cognitionem, & per affectionem.Per cognitionē primo:quia lapis non est in anima, sed similitudo lapidis:ergo per cognitionem, & intellectum, potest anima habere apud se similitudines corporum. Sic & multò magis potest homo per affectionem, & potissimè animā peccatrix,quæ sic est affecta corpori,vt quasi corporale cognoscat: vt de illo divite patet, qui portatus in infernum, dicebat, quòd pater Luc. 16. Abraham sineret Lazarum intingere extremum digiti sui in aqua, vt refrigeraret linguam eius, quæ cruciabatur in flamma. Constat autem divitem illum non esse in inferno, nisi se undùm animam, & ita loquebatur, ac si haberet digitum, & linguam: quod ideò poterat contingere, quia anima divitis, ita erat alligata, & affecta corporalibus rebus, in quibus in hoc mundo delectata fuerat,vt videretur sibi quasi digitum, & linguam habere. Si ergo anima divitis habebat linguam, hoc erat solùm, quia erat similitudo corporis. Sic etiam si flamma illa cruciabat animam illam, non erat corpus, sed similitudo corporis: sed flamma illa erat ignis inferni, vel locus infernalis: ergo videtur quòd locus inferni, non sit corpus, sed similitudo corporis. Sed diceret,quomodo possunt pati animæ,in inferno? respondet Aug. *Quæ quamvis non sint corporalia, sed similia corporalibus, quibus animæ corporibus exutæ afficiuntur seu benè seu malè, cùm ipsæ corporibus suis similes, sibimet apparent; sunt tamen, & vera lætitia, & vera molestia facta de substantia spirituali: nam & in somnis magni interest vtrum in lætis an tristibus simus.* 12. de Gen. ad lit. cap. 32. Et subdit: *Vnde quidam in rebus quas concupiverant constituti, se evigilasse doluerunt: & rursus* (in somnijs) *gravibus terroribus atque cruciatibus exagitati atque vexati, cùm expergefacti essent, dormire timuerunt, ne in eadem mala revocarentur.* Sicut ergo in somniis verè quis tristatur, sicut dicit August. ita in inferno quis tristabitur, licèt ille locus solùm similitudinem corporis dicat: & adhuc amplius,quanto illæ similitudines expressiores sunt in inferno, secundùm quod dicit Augustinus.

CAP. IX.

Quòd infernus dicit verè corporalem locum. Et dictum Augustini quod videtur esse contrarium, non est asserendo, sed magis nostra ingenia exercitando dictum.

EST diligenter advertendum, quòd licèt Aug. 12. de Genesi ad litteram, videatur hanc sententiam tenere, quòd inferna, ad quæ vadunt corpora damnatorum, non sunt corpora, sed similitudines corporum, ipse tamen in hac materia, non loquitur asserendo, sed magis nostra ingenia exercitando. Vnde. 8. de Genesi ad literam, ponens in quæstione, utrum animæ à corporibus exutæ vadant ad corporalia loca, ait: quòd de tam magnis quęstionibus nulla temeritate vult aliquid asserere, quia (vt dicit) *melius est dubitare de occultis, quàm litigare de incertis.* Certum est autem (vt ait) divitem illum fuisse in ardore pœnarum, & illum pauperem in refrigerio gaudiorum: sed quomodo sit intelligenda illa flamma inferni, ille sinus Abrahæ, illa lingua divitis, ille digitus pauperis, illa sitis tormenti, illa stilla refrigerij, vix fortasse à mansuetè quærentibus, à contentiosè autem certantibus nunquam invenitur. Quia ergo, non asserendo loquitur hic Augustinus, quantumcumque ponit partem dubitando, non contradicimus ei, si contrariũ asseramus. Volumus ergo ostendere, quòd infernus sit corporalis locus, & quòd sit inferior locus. Dicemus enim quòd terra sit fex elementorum omnium, ut vili sunt sapientes omnes asserere: sicut in dolio vini, fex vadit ad inferiorẽ locum, ita quòd cœlum sit sicut dolium, & terra quasi in infimo loco ut in medio, sit fex omnium elementorum, & eorum quæ continentur sub cœlo. Dignum est autem quòd in fece, & in vilissimo loco sit carcer ille, ad quem vadunt animæ damnatorum: vt sicut animæ illæ in rebus turpissimis delectabantur, sic in turpibus submergantur.

Cap. 32. *Cap. 5*

Prima via. Possumus autem triplici via venari, quòd infernus sit locus corporalis. Prima via sumitur per ea, quæ videmus in corporibus glorificatis: nã secundùm quod tenet fides Catholica, & veritas sic se habet, Christi corpus glorificatum, est super omnes cœlos, iuxta illud Apostoli ad Eph. 4. *Qui descendit, ipse est qui ascendit super omnes cœlos.* Sicut enim corpus, quod est grave, tamen suæ naturæ derelictũ, est in loco inferiori, ut in terra: sed virtute divina, potest esse in excellentissimo loco: sic animæ à corporibus exutæ, quibus non debetur aliquis locus corporalis secundùm suam naturam, per divinam iustitiam poterunt esse in inferno, & in corporali loco, & inferiori. Nam non magis possibile est, quòd illud, quod suæ naturæ derelictum est, debet esse in determinato loco, sit in loco sibi opposito, quàm quod indifferenter secundùm suam naturam, se habet ad locum, quòd possit esse in tali loco determinato. Probat autem Augustin. 12. de Civitate Dei. c. 11. per septẽ exempla quòd corpus terrestre possit esse in cœlo. Primum exemplum. Nam corpora quæ terrestria sunt, elevantur in aere: vt primò quod est corpus terrestre sit terra, secundò aqua, tertiò aer. Si ergo, vt ait, per plumas, & pœnnas, donatur levitas terrenis corporibus avium, vt portentur in aere: corporibus hominum immortalibus factis poterit dari etiam virtus, quòd possint habitare in cœlo, quod est corporalis locus. Secundum est tale. Nam si homines adhuc mortales, & terrestres, non vivunt sub terra, immò si sub terra ponerentur, statim morerentur; sed vivunt in aere, quod est tertium corpus: non debet esse incredibile quòd tale corpus glorificatum, & immortale factum possit esse in cœlo. Tertium exemplum est tale. Nam si ipsi plumbo poterit dari talis forma quòd natabit in aqua, vt si fiat concavum amplectens multitudinem aeris natabit super aquam, quamvis suæ naturæ derelictũ, sit grave, & grave semper appetat terrã: sed si possunt fieri forma, & signa, data corpori gravi quòd natet super aquam, poterit facere dos agilitatis, quòd corpus glorificatũ, sit in cœlo. Quartum exemplum est. Si enim corpus terrestre, cui conjuncta est anima per essentiam, sic potest deprimere animam, vt habitet in terra: anima ergo glorificata adhærens Deo, sic poterit elevare corpus suum, vt habitet in cœlo. Quintum exemplum est de quodam miraculo. Nam cùm quidam incusaretur de adulterio, volens se excusare, vt narrat Varro, accepto cribro implevit eum aqua Tyberis, quòd licèt tale vas perforatum esset (vt recitat August. narrare Varronem) tenuit tamen aquas. Si ergo cribum perforatum continere potuit aquas, licèt divino miraculo, vel opere dæmonis, quantumcumque in illis foraminibus esset aer, consequens erat quòd aer corpus subtile sustineret aquam, quæ est corpus grossum, & inferius. Si ergo hoc potuit, vel virtute Dei, vel dæmonis, nulli dubium esse debet, quòd corpus terrestre, virtute divina poterit esse in cœlo. Sextum exemplum est, quia cùm aquæ pluviales possint subtiliari, & elevari in aere, poterunt corpora glorificata per dotem subtilitatis, & agilitatis, elevari

elevari ad cœlum. Adducitur autem septimum exemplum. Nam ignis lux est in concavo lunæ, licèt de sui natura sit, esse super aerem : propter tamen grossitatem eius terrestrem, potest esse in terra, sicut patet de corpore ignito super carbones, & flamma : sic corpus glorificatum, quod de sui natura est terrestre, propter dotem subtilitatis & agilitatis poterit collocari in cœlo. Ex omnibus autem his similitudinibus, & exemplis arguamus, quòd si corporis terreni potest esse locus cœlum, eò quòd hoc corpus secutum est spirituales & cœlestes impetus, non est inconveniens quòd ipsorum spirituum malorum, & ipsarum malarum animarum locus, sit corpus infimum & terrestre, cujusmodi est infernus, qui est locus inferior, ut terra quæ est B fex fecis.

A tex. 52. usque ad finem.

Secunda via ad hoc idem sumitur ex connexitate vniversi. Concludit enim Philosophus 12. Metaph. quòd est unus Principatus, & unus Princeps. Sicut ergo unus est Princeps, ita unus Principatus, & universum debet esse unum. Cũ igitur corpus, & anima sint principales partes universi, oportet quòd anima habeat semper unionẽ ad corpus. Nulla enim est substantia spiritualis quæ alicui corpori non sit aliquo modo unita: quia si secùs esset, illa creatura spiritualis non haberet connexionem ad universum. Animæ ergo, quantumcumq; exutæ à corporibus, propter connexionem universi debent esse in aliquo corporali loco : vt si sunt bonæ, sursum C in cœlo : & si malæ, in inferno subtus terram: quia illæ cœlestes, istæ terrestres secutæ fuerunt motus. Tertia via sumitur ex merito animarum, quod patere potest ex dictis. Nam si animabus beatis propter meritum dabimus locum superiorem & cœlestem, animabus verò damnatis, propter demeritum, locum inferiorem, & terrestrem, consequens est quòd si cœlum est locus corporeus, quòd etiam infernus sit locus corporalis.

CAP. X.

Quòd Misericordia Dei se extendit ad damnatos, ut D illi aliquando salvi fiant secundùm errores, & opiniones falsas diversas.



ARRAT Augustin. lib. 21. de Civit. Dei. c. 17. 18. 19. 20. 21. 22. 23. septem positiones falsas, & erroneas, quarum prima est Platonicorum, & Origenis: qui dixerũt quòd nulla pœna sit æterna, sed omnis pœna purgatoria est. Nam vt dicit idem Aug. eodem lib. cap. 17. 1. *op. Orig.* vbi punctum Origenis pertractat: *Sed illum & Adamantij propter hoc, & propter alia nonnulla, & maximè in Periarchon. propter alternantes sine cessatione beatitudines & miserias, & statutis sæculorum intervallis, ab istis ad illas, atque ab illis ad istas itus ac reditus interminabiles, non immeritò reprobavit Ecclesia.* Potuit enim Origenes (ut Aug. ait) quòd animæ salvatæ, aliquando redibunt ad corpora, & peccabunt, & damnabuntur. Sic & damnatæ redeuntes ad corpora, salvabuntur. Sic ergo alternatim, sine cessatione, animæ damnatæ salvarentur, & animæ salvatæ, damnarentur : & tam dæmones, quàm animæ aliæ salvarentur. Vtrũ autem hoc senserit Origenes vel sui æmuli ascripserint suis libris (ut aliqui dicunt) ignotum est nobis. Erit itaque contra misericordiam Dei prima positio quę ascribitur Origeni, quòd tam dæmones quàm homines damnati salvari poterunt post multa flagella, assumens motivum ex sacra Scriptura, ubi dicitur: *Numquid obliviscetur misereri Deus?* *Cap. 18.*

Secunda opinio est magis erronea, quia magis ampliat misericordiam Dei, dicens quòd Deus miserebitur dæmonibus, & hominibus damnatis statim, non post multa flagella. Quod tripliciter probatur: primo quia hoc testatur Scriptura sacra, dicens: *Non continebit Deus in ira misericordiam suam?* Non dicit diu, sed absolutè, propter quod statim miserebitur. Secundo probat hoc idem. Nam (ut dicunt) sancti in vita ista & boni homines orant pro inimicis suis, & pro malis hominibus; multò magis hoc facient, quando erunt sancti, & beati : & sic propter eorum sanctitatem exaudientur preces eorum : propter quod omnes salvabuntur. Tertio hoc idem probant, quòd si ad prædicationem Ionæ pepercit Deus Civitati Ninive subversurę, multò magis ad preces sanctorum, omnibus damnatis Deus parcet, quantumcumque prædixerit eos damnandos. *Ionæ. 4.*

Tertia opinio erronea dicit, quòd misericordia Dei se extendebat ad omnes homines quantumcumque malos, & damnatos, non autem ad dæmones, quia de hominibus videtur potissimè intellexisse Apostolus, cùm dicit: *Conclusit omnia in infidelitatem, vt omnium misereatur.* *Rom. 11.*

Quarta opinio erronea dicit quòd misericordia Dei se extendit ad baptizatos, & hæreticos, qui cùm participes fuerint corporis & sanguinis Domini Nostri Iesu Christi, in quacumque hæresi vel impietate fuerint, damnari non possunt, propter illud quod ait Iesus, Ioan. 6. *Ego sum panis vivus, qui de cœlo descendi : si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum.* Si ergo in æternum vivet, non condemnabitur. *Cap. 19.*

Quintą

Quinta opinio erronea dicebat, quòd
Cap.20. Deus miſerebitur hominibus omnibus baptizatis, qui crediderunt, & veram habuerunt fidé, quamvis in hæreſim poſteà ſint lapſi, dicente Scriptura: *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſalvus erit.* Addit autem hæc poſitio ſupra aliam: quòd oportet illos fuiſſe fideles aliquando, quibus Deus miſeretur.

Cap. 21. Sexta opinio erronea dicebat, quòd Deus miſerebitur omnibus hominibus baptizatis, qui in fide permanſeruut, & ſi peſsimè vixerint, di-
1. *Cor.* 3. cente Apoſtolo: *Fundamentum nemo aliud ponere poteſt, præter illud quod poſitum eſt, quod eſt Chriſtus Ieſus. Si quis autem ſuperædificat ſuper fundamentum hoc, aurum, argentum, lapides pretioſos, ligna, fœnum, ſtipulam: uniuſcujuſque opus manifeſtum erit.* Et ſubdit: *Si cujus opus manſerit quod ſuperædificavit, mercedem accipiet. Si cujus opus arſerit, detrimentum patietur: ipſe autem ſalvus erit; ſic tamen quaſi per ignem.* Volùt ergo iſti, quòd ex quo in fundamento, id eſt, in Chriſti fide permanſerit, de neceſsitate homo ſalvetur.

Septima opinio erronea eſt, quòd Deus
Cap. 22. miſerebitur in judicio ſolùm illis fidelibus, qui ſe exercitaverunt in operibus miſericordiæ: juxta illud Iacobi 2. *Iudicium Dei ſine miſericordia fiet illi, qui non fecerit miſericordiam.* Sed iſti dicunt: Qui fecerit miſericordiam, quantumcumque malus, Deus illi miſerebitur, propter miſericordiam ſuam. Ad hoc etiam pertinere dicunt, & in oratione dominica quotidianam poſtulationem: *Dimitte nobis debita noſtra, ſicut*
Matth. 6. *& nos dimittimus debitoribus noſtris.* Propter quod qui ſe exercitaverint in operibus miſericordiæ, dimittentur eis peccata ſua.

Eſt & alia poſitio Catholica, concordans ſacræ Scripturæ: quòd tam dæmones, quã homines damnati, in æternum cruciabuntur: propter quod non erunt omnes pœnæ purgatoriæ, ſed erunt aliquæ infernales.

CAP. XI.

In quo reprobantur omnes errores, & falſæ opiniones ſupradictorum, ſcilicet, quòd Dei miſericordia ſe extendat ad ſalvandos damnatos.

DDVctis varijs opinionibus cõtra præſcitos ad infernum tendentes, volumus opiniones illas reprobare: & oſtendere, quomodo in inferno nulla eſt redẽptio: adhærentes ſententiæ Auguſt. in lib. de Fide ad Petrum dicentis: Impoſsibile eſt benè mori, qui malè vixerit, & qui in peccato mortali mortuus eſt: & malè mori, qui benè vixerit, & ſine peccato mortali mortuus eſt. Poſſunt enim opera miſericordiæ facta in peccato mortali, alleuiare peccantes in inferno: quia ſicut eſt dare gradum in Paradiſo, ita etiam in inferno. Poſſunt etiam talia bona diſponere hominem ad gratiam habendam: ſed quòd talia opera, niſi ſint perpetua, poſsint hominem eripere de æternali judicio, veritas non capit. Nulla ergo in inferno eſt redemptio, quantum ad pœnæ manſionem: eſt tamen ibi inæqualitas quantum ad acerbitatem: quia unus acerbiùs altero punitur. Et ut diſcurramus per omnes opiniones ſuperiùs enarratas, dicamus quòd prima poſitio dicens, quòd in finali judicio miſericordia Dei ſe extendet, tam ad dæmones, quàm ad damnatos homines, quia non obliviſcetur Deus miſereri, ſed poſt tormenta miſerebitur Deus eorum, erronea eſt, & falſa. Nam ſacra Scriptura dicit: *Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo & Angelis eius.* Ille ignis eſt æternus, quia ibi mali æternaliter puniuntur. Dicemus enim ut ait Auguſt. 21. de Civit. Dei, quòd damnati poſsint ſalvari; eſt dicere, quòd ſalvi poſsint damnari: quia ſicut ibi ſunt confirmati in bono, ita ibi ſunt obſtinati in malo. Quod ergo dicebatur, quòd non obliviſcetur Deus miſereri, poteſt referri ad hanc vitam præſentem, ubi non obliviſcetur miſereri Deus: quia ſemper eſt paratus miſereri, & parcere. Vel ſecundò, hoc meliùs referemus ad vitam futuram. Dicemus enim quòd damnatis ipſis, Deus non obliviſcetur miſereri, quia cùm eis miſericorditer agit, puniens eos minus quàm ſint digni.

7. *Pſal.* 5.

Matth. 25.

Cap. 23.

Secunda autem poſitio quæ dicebat, quòd Deus ſtatim miſerebitur, quia non continebit in ira miſericordiam ſuam, eſt multò irrationabilior alia. Dicere quidem, quòd mali ſic ſalvabuntur in judicio, quòd nullam pœnam ſuſtinebunt, eſt dicere Deum ita miſericordẽ, quòd nullo modo ſit juſtus: quod nefas eſt dicere. Quod ergo dicunt, quòd non continebit in ira miſericordiam ſuam, exponit hoc Auguſt. 21. de Civit. Dei cap. 24. ubi vult quòd illud referatur ad malos in præſenti, quos Deus ſemper eſt paratus recipere: vel quòd referatur ad malos in futuro, quibus Deus ſemper miſeretur, tum quia punit eos minùs quàm digni ſint, tum etiam quia in tali pœna eſt dare gradum, & unus, minùs alio crucietur, & puniatur: quod ſemper cum miſericordia fieri habet. Quod verò addebatur de ſanctis, quòd intercedant pro eis: dicendum ſecundũ Evangelicam ſententiam, quòd tunc chaos magnum

Pſal. 143.

gnum firmatum est inter bonos, & reprobatos, ut mali non possint ire ad justos, & justi ad injustos, per compassionem, & ut pro eis orent. Luc. 16. Vnde Gregorius in Homilia, super Evangelio B. Lucæ, De diuite, ait: *Sed qui volunt de beatorum sede ad afflictos atque in tormentis positos transire, non possunt: quia justorum animæ quamvis in suæ naturæ bonitate misericordiam habeant, jam tunc auctoris sui justitiæ conjunctæ, tanta rectitudine constringuntur, ut nulla ad reprobos compassione moveantur. Ipsi quippe judici concordant, cui inhærent, & eis quos eripere non possunt, nec ex misericordia condescendunt: quia tamen illos à se videbunt extraneos, quantum ab eo quem diligunt auctore suo conspicient esse repulsos.* Pater enim salvatus, non compatietur filio damnato; nec è contra. Immò secundùm Isydorum, utroque modo gaudent sancti, scilicet de salvatione, quam receperunt, & de judicio, quod evaserunt: & de utroque delectabuntur, videlicet, de Divina misericordia, quæ potissimè apparebit in salvatis, & de Divina justitia, quæ potissimè apparebit in damnatis. Adhuc etiam in vita ista experimento cernimus, quòd viri delectantur justitiæ, & veritatis, & contra quoscũque inimicos moventur, quando videtur eos malè facere: & gaudent de eorum punitione quod maximè implebitur in bonis in judicio, quando videbunt malos puniri: quia gaudebunt de divina justitia, & maximè quia scient talem esse Dei voluntatem, cui inseparabiliter adhærebunt. Vnde Ioannes in Canonica sua dicit: *Est autem peccatum ad mortem: non pro illo dico ut roget quis.* 1. cap. 5. Et Augustin. in 21. de Civit. Dei cap. 24. dicit non esse orandum pro dæmonibus, nec pro damnatis, nec etiam pro iis qui sunt in vita ista, si constaret nobis quòd usque in finem perseverarent in malo. Si ergo oramus pro quantumcumque malis in vita ista, hoc est, quia speramus de salvatione, & conversione eorum ad pœnitentiam, ut conversi salventur. Quod verò addebatur de Civitate Ninive, quòd Deus dixerat illam subversuram; Ionæ 3. & tamen non fecit, propter quod (ut videtur) pari ratione quantumcumque Scriptura dicat quòd mali in æternum punientur; non tamen oportet sic esse, ut in æternum puniantur. Dici debet, quòd non est simile, quia *iuravit Angelus per viventem in sæcula, quòd non erit amplius tempus.* Apoc. 20. Post enim diem judicij, non est amplius tempus miserendi, & ulteriùs pœnitẽtiam agendi, neque merendi, nec demerendi: propter quod quamdiu sumus in vita ista, quia possumus pœnitentiam agere, multa dicuntur nobis per comminationem, ut convertamur à via mala: propter quod sacra Scriptura, & si sic loquitur, vera est, quia comminatoriè loquitur. Sed post diem judicij, quia non est amplius tempus miserendi, non potest esse intellectus Scripturæ per comminationem, sed solùm per assertionem: propter quod falsa esset Scriptura, quæ hoc asseric, nisi sic esset, ut asserit: quod impium est cogitare de sacra Scriptura.

Tertia autem opinio, quæ dicebat, quòd Deus miserebitur non omnibus damnatis, sed solùm hominibus, est erronea, & falsa. Quod ut pateat, dici debet, quòd qua ratione possent salvari damnati, eadem ratione possunt damnari salvati, & dæmones salvari, ut dicit August. 21. de Civitate Dei cap. 24. Et quia ibidem dicit, dæmones salvari non possunt, non dicit homines damnatos salvari posse. Quod autem dicebatur, quòd concluśit Deus omnia infidelitate, secundùm Apostolum, vel ut habet alia littera, incredulitate, ut omnium misereatur: non est intentio Apostoli quòd nullus dãnetur, sed hoc referendum est secundùm August. 21. de Civit. Dei, cap. 24. ad ipsos prædestinatos, qui secundùm August. sunt vasa misericordiæ, quos Deus concluśit infidelitate, ut omnium talium Deus misereatur. Vel possumus dicere, omnes sic concluśit, ut omnium misereatur in hac vita, ut nullus possit conqueri de Divina misericordia, sed de sua culpa. Rom. 2.

Quarta opinio dicens quòd Divina misericordia se extendit ad damnatos ipsos, non ad omnes, sed baptizatos solùm etiam inter hæreticos existentes qui fuerunt participes corporis, & sanguinis Domini, debet etiam erronea judicari. Nam cùm dicitur, *Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum*: intelligendũ est, si manducat dignè, & si in tali statu se teneat. Quia ut dicitur ad Corint. 11. *Qui enim manducat, & bibit indignè judicium sibi manducat, & bibit.* Vel possumus dicere, ut dicit Augustin. 21. de Civitate Dei, cap. 25. *Non manducant corpus Christi, qui non sunt in corpore Christi.* Est tamen intelligendum, quòd corpus Christi potest sumi tripliciter, scilicet materialiter, & hoc modo possunt infideles manducare, quia possunt sumere species illas, sub quibus est corpus Christi. Sacramentaliter verò corpus Christi illi manducant, qui credunt sub speciebus illis esse Christi verum corpus, & sanguinem verum, quod fidelibus bonis, & malis competit. Spiritualiter verò corpus Christi sumunt illi, qui sine remorsu conscientiæ hoc faciunt. Et hoc modo intelligendum est, qui manducant corpus Christi spiritualiter, vivent in æternum, dumtamen perseverent.

Quin-

Quinta etiam opinio, scilicet, quòd Deus miserebitur baptizatis, qui fuerunt participes corporis Domini nostri Iesu-Christi, & fuerunt fideles, quamvis in hæresim lapsi fuerint, vel in quodcumque peccatum, est erronea, & falsa: quia ut dicitur ad Hæbr. 11. *Sine fide impossibile est placere Deo.* Si ergo post susceptionẽ fidei in hæresim fuerunt elapsi, impossibile est tales placere Deo.

Sexta autem opinio, scilicet, quòd Deus miserebitur omnibus fidelibus in judicio, dum tamen in fide sua permanserunt, est falsa. Quia *Fides sine operibus mortua est*: & Apostolus ad Cor. 11. dicit: *Si habuero omnem fidem: ita ut montes transferam, charitatem autem non habeam: nihil sum.* Dato ergo quòd quis haberet tantam B fidem quòd montes tranferri faceret, dumtamẽ charitatem non habeat, nihil sibi prodest ad vitam. Cùm autem dicitur: *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit.* Dici debet, quòd intelligendum est de iis qui credunt per fidem formatam per charitatem, non autem de iis qui credunt per fidem informem, quę est mortua. Quod autem dicebatur de fundamento, quòd si manet fides, manet fundamentum: dicendũ est, quòd fundamentum illud est Christus Iesus. Et si hoc fundamentum est fides: hoc est prout hac fide conjungeris Deo, vel ipsi Christo Iesu, & es membrum ejus: quod non facit fides informis, sed fides formata, & charitati conjuncta. Si ergo aliqua peccata venialia cõ- C mittimus, propter hæc peccata non damnabimur: quia adhuc manet fundamentum quod est Christus, quo manente, perire non possumus.

Septima autem opinio, quæ dicit quòd in judicio Deus miserebitur infidelibus, non omnibus, sed his qui se exercitaverunt in operibus misericordiæ: etiam est erronea & falsa. Quia quantumcumque nos exercitamur in operibus talibus, sine charitate, & fide; nihil prodest ad salutem. Fatuum est enim velle dicere, velle illuminari à sole, & nolle converti ad solem. Opera ergo facta sine charitate, valent ut cõ- D vertamur ad Deum: sed ad vitam nihil valent, si in hoc permanet homo. Dicamus ergo, & concludamus, quòd quæcumque mala quis fecerit, dumtamen finaliter in charitate moriatur, in alia vita pœnas purgatorias sufferre poterit, quia fortè non sufficienter in hac vita pœnitentiam egerit de peccatis suis: ex quo enim quòd in charitate morimur, nunquam pœnas æternas sustinebimus. Sic ergo quicumque in peccato mortali decedit, in perpetuum damnabitur: juxta illud Ezequiel. 18. *Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis quæ operatus est, & custodierit omnia præcepta mea, & fecerit judicium, & justitiam, vita vivet, & non morietur.* Et sequitur: *Si averterit se justus à justitia sua, & fecerit iniquitatem secundùm omnes abominationes quas operari solet impius, nunquid vivet? Omnes justitiæ ejus quas fecerat non recordabuntur.* Quod intelligendum est ad salutem: quia tales justitię nihil proficient sibi ad salutem.

CAP. XII.

Quòd dæmones, & animæ separatæ, possunt verè pati ab igne inferni.

POST omnia supradicta, investigare restat, quomodo anima in inferno crucietur, & patiatur. Dixerunt aliqui Angelos esse corporeos, ideò mali angeli patiuntur in inferno mediantibus suis corporibus. Sic etiam voluerunt quidam, animas hominum habere corpora aërea, non unita naturaliter, quæ nunquam deponunt: & mediantibus illis corporibus subtilibus, dicebant animas conjungi istis corporibus grossis. Anima ergo recedens à corpore, poterit pati ab igne inferni, secundùm hanc sententiam: quia defert secum quoddam corpus subtile, in quo poterit sustinere pœnas igneas. Sed cùm communiter teneamus, & veritas sit, animas, & angelos, esse substantias spirituales: videndum est, quomodo possint pati à corpore igneo. Dicemus ergo pati dolorem, hoc est, sentire dolorem: pati enim ab igne, hoc est sentire impressionem factam ab igne. Sentire enim dolorem, non est idem quod calefieri, vel pati: quia secundùm hoc lapides, cùm possint pati, & calefieri ab igne, dolerent. Dolor ergo addit supra passionem, sensus. Sed cùm sensus sit susceptivus specierum sine materia, & non fiat sensus nisi per immutationem intentionalem, consequens est, ut dolor formaliter, immutatione intentionali fiat. Immò immutatio realis impedit sensus; quia caro nimis calefacta, non percipit differentias tangibiles: contigit enim de quodam, cùm nimis haberet pedes infrigidatos posuit eos in aquam nimis calidam; nec sentiebat aquam illam, nisi priùs aliqua pars carnis decoctæ caderet de pedibus ejus. Immutatio ergo realis impedit sensus. Ideò natura fecit quòd oculus esset dicolor, ut posset omnem colorem sentire. Et fecit carnem esse

Plato in Phedone inquit: Animæ non puræ decedunt à corpore, sed visibile aliquid habent ut videri possint (& paulò infrà) Nunquam pura in vitam alteram perficitur, sed semper plena corporis habe egreditur.

esse proportionem mediam inter qualitates tangibiles, ut posset excellentias tangibilium cognoscere. Si ergo sentire est ex intentionali immutatione, erit dolor perceptio immutationis intentionalis displicentis. Est ergo in carne duplex passio. Una realis, inquantum realiter calefit: & secundùm hanc immutationem, licèt caro calefiat, non tamen propriè sentit: quia non fit sensus per immutationem realem, sed magis impeditur. Alia passio in carne est intentionalis, secundùm quam caro sentit. Si ergo tolleretur à carne immutatio intentionalis, manente reali, nec sentiret caro, nec doleret, sed pati posset, sicut & lapides patiuntur: & econtrariò si tolleretur realis (quòd non est possibile manente intentionali) non solùm adhuc doleret, immò plus doleret. Est nihilominus notandum, quòd maximè patimur, & dolemus secundùm qualitates tangibiles, à quibus dependent corpora nostra, & quæ possunt corpora nostra destruere.

His itaque prælibatis, investigare possumus, quomodo spiritualis substantia, pati possit ab igne. Dicemus verò, non esse inconveniens corporalia, quæ non possunt virtute propria agere in spiritualia, hæc facere in virtute alterius ut phantasmata, quæ sunt corporalia, in virtute luminis intellectus agentis, possunt agere in intellectum possibilem. Oportet tamen quòd semper sit aliqua unio agentis ad patiens. Et ideò cùm essentia animæ, sit in qualibet parte corporis, erit ergo intellectus possibilis in organo unitus phantasmatibus, propter quam unionem, licèt non possint phantasmata agere in intellectum possibilem sui virtute, hoc tamen possunt facere, virtute luminis intellectus agentis. Sic & in proposito, corporalia aliquã unionem habent ad spiritualia (aliter enim esset universum destructum) sed ex ista unione, non habent corporalia quòd possint agere in spiritualia, sed magis è converso: quia semper corporalis substantia gubernari habet per spiritualem: nec tamen est inconveniens, quòd in virtute superioris agentis, ut virtute Dei, corporalia possint aliquam similitudinem imprimere in spiritualia, etiam nocivam, & etiam verum dolorem causare in eis. Si enim qualitates tangibiles, quia ab eis dependet corpus, possunt sic sensum carnis immutare intentionaliter, quòd tamen causant dolorem: cùm magis dependeat spiritus à Deo, quàm corpus nostrum à qualitatibus tangibilibus, poterit ignis inferni virtute Dei, aliquam intentionem horribilem causare in spiritum, sive in animam, à qua magis affligetur, & cruciabitur, quàm affligatur caro, sive corpus, ab his qualitatibus tangibilibus. Plus ergo dolebit, & plus cruciabitur anima ab igne sine comparatione, quàm doleat nunc caro ab igne afflicta; tum quia magis dependet à Deo, in cujus virtute agit ignis, quàm faciat caro à qualitatibus tangibilibus: tum etiam quia caro ab igne afflicta mutatur realiter, & intentionaliter: quæ immutatio realis, ut quia calefit, impedit perceptionem doloris, & immutationem, & intentionem. Anima autem solùm immutatur intentionaliter, quia solùm sentit, sive (ut propriè dicatur) percipit læsionem, & dolet, & cruciatur maximè: non autem immutatur realiter, quia non calefit, licèt ab igne cremetur, & crucietur, quia in illo suus dolor, & sua afflictio impeditur.

CAP. XIII.

Quòd in animabus damnatis, & dæmonibus, intellectus fungitur vice sensus. Et quòd tales substantiæ cremantur, quia vident, id est sentiunt se cremari.

VIA verò intellectus hominis non quiescit, diceret aliquis, non esse possibile, corporalia quæcumq; in virtute Divina, posse in spiritualia agere: quia non communicant in materia corpus, & spiritus. Agentia autem, & patientia, oportet in materia communicare, ut est per habita declaratum. Dicemus ergo quòd qui intelligit quomodo sensus sit susceptivus specierum sine materia, potest intelligere veritatem hujus quæstionis. Est enim sensus, quantum ad præsens spectat, susceptivus specierum sine materia, quia talis susceptio fit sine materia, & quia est talis susceptio immaterialis: quia in hoc communicat sensus cum intellectu, & materialia cum immaterialibus, ut intentionaliter immutentur. Sed si spiritualia non immutantur à corporibus, hoc est, quia agens poterit esse præstantius patiente. In virtute ergo propria non poterit materiale immutare, sed in virtute alterius. Ignis ergo inferni in virtute Dei, agit in animam, intentionaliter immutando ipsam: secundùm quem modum eam affligit, & cruciat.

Et ut magis ad punctum descendamus. Dicamus quòd animæ peccatorum, quia suam rationem, & suum intellectum suppossuerunt rebus materialibus, & sensibus: dignum est, ut intellectus in eis fungatur vice sensus: ut sicut na-

naturaliter ignis potest immutare sensum causando intentionalem immutationem, sic ignis inferni causabit virtute Divina in intellectum animæ separatæ, vel causabit in intellectum spiritus maligni, intentionalem quamdam immutationem: propter quam verè affligitur anima, sicut verè affligitur caro propter immutationem intentionalem factam in sensu. Ex hoc autem apparet dictum Grego. in Dialog. Quòd anima crematur in inferno, quia videt se cremari: ut exponatur, videt, hoc est sentit: secundùm quem modum est quasi propositio per se nota, quia ratio prædicati, clauditur in subjecto: nullus enim dolet, nisi quia sentit se cremari. Dictum est enim quòd in anima separata, & in maligno spiritu, intellectus fungitur vice sensus: & quia ad intellectum spectat videre, & cognoscere, voluit sic loqui Greg. quia per intellectum, ad quem spectat videre, & cognoscere, anima crematur: & quia non fit per hoc quòd intellectus fiat sensus, sed quia fungitur vice sensus, ut sicut caro per sensum verè dolet, & cruciatur, sic anima verè affligitur, & cruciatur per intellectum.

Revertamur ergo ad propositum, & dicamus, quòd rerum creatarum, quædam sunt simpliciter immaterialia, ut Angeli, & animæ. Quædam simpliciter materialia, ut lapides, & ligna. Quædam sunt materialia: cùm hoc tamen aliquid participant de conditionibus immaterialibus: ut organa sensitiva, quæ licèt materialia sint, aliquid tamen participant de conditionibus rerum immaterialium, quia sunt susceptiva specierum sine materia. Lapides ergo, & ligna, quę solùm sunt materialia, solùm materialiter immutantur. Animæ, & spiritus solùm immaterialiter immutantur. Organa verò sensitiva, & maximè sensus tactus, utroque modo immutantur: quia cum utrisque communicant: cum lapidibus quidem, & lignis, prout materialiter immutantur: cum spiritualibus autem substantijs, prout immaterialiter immutãtur. Et inde est, quòd immutatio realis nunquam à sensu derivatur ad intellectum. Nunquam enim intellectus potest fieri frigidus, aut calidus: ut dicitur 3. de Anima. Vbi ostẽditur, quòd non est corpus, nec virtus in corpore. Sed immutatio intentionalis à sensu pervenit usque ad intellectum: sed inter has duas immutationes, hæc est differentia, quia secundùm immutationem realem fit corruptio passi, secundùm quem modum scriptum est, quòd *Passio magis facta abjicit à substantia*: sed secundũ immutationẽ intẽtionalẽ, si sit ultra proportionẽ debitam, causatur dolor, & cruciatus, non autem corruptio: propter hoc lapides immutati solùm realiter, corrumpuntur: non autem dolent: sensus autem dolere, & corrumpi potest. Anima autem damnata, quia solùm intentionaliter immutatur, dolere potest in mente, sed nunquam corrumpi: nunquam enim talis passio magis facta abjicit à substantia. Et de hoc intelligitur, quòd agens, & patiens, semper communicant in materia: ut de illis agentibus, quæ per realem actionem corrumpere possunt. Illa autem alia agentia quæ solùm intentionaliter immutant, & rem immutatam non corrũpunt, non cõcedimus in materia, & in essentia communicare. Nunquam enim dolor animę existentis in inferno cessabit, quia talis passio non cessabit: quia anima corrumpi non potest à tali igne, cùm secum non communicet in materia.

Dicemus ergo quòd sicut Deus in beatis est omnia in omnibus, quia quidquid homo desiderabit, erit in Deo suum desiderium adimpletum: sic ignis inferni in anima separata est quodammodo omnia in omnibus quantùm ad afflictionem: quia ille, virtute Divina affligit intellectum, qui fungitur vice sensus, ut quòd non possit de aliquo cogitare. Dicemus ergo quòd sic affligitur anima per ignem, sicut nunc caro per ignem. Quod sanè est intelligendum; quia multò ampliùs affligitur anima per intellectum ab igne, quàm nunc caro per sensum; & multò magis est ille dolor, quàm iste, ut superiùs fuit declaratum. Est tamen omninò consonum, ut secundùm illam partem corporis, ut secundùm linguam, fieret cruciatus in divite, secundùm quam plus peccavit: quia epulabatur quotidie splendidè. Sicut ergo dives ille si dum vivebat in corpore, fuisset positus in igne, sic cruciaretur lingua in flamma, quòd perveniisset dolor in animam per corpus, mediante sensu linguæ: sic virtute Divina talis dolor, & major erat in anima divitis separata, per illud quod agebat ignis inferni in intellectu ejus, cùm plus ageret in intellectu ejus, quàm egisset dum vivebat in sensu: ut per quæ peccat homo, per hæc torqueatur. Nam licèt in inferno esset anima divitis non habentis corporalem linguam, tamen talis cruciatus virtute Dei poterat causari in anima separata per intellectum, qualis fieri poterat, eo vivente, per linguam, & sensum. Hoc ergo modo potest intelligi lingua divitis, & digitus Lazari, quia ille dives sic affligebatur in anima exuta, ac si fuisset in igne posita carni conjuncta. Deus enim est causa causarum, & quidquid potest mediantibus secundis substantijs, benè potest sine illis. Sicut ergo potest affligere animam per ignem, mediante carne: sic potest eam affligere

Cap. 3.

6. Tap. c. 6.

sine

sine carne, per ignem. Petebat ergo dives, quòd Lazarus intingeret digitum suum, & refrigeraret sibi linguam : id est, petebat quòd saltem temperaretur in vita ista per guttam aquæ positam in lingua, si quis combureretur in igne.

CAP. XIV.

Quomodo verificatur dictum Augustini quòd animæ damnatæ exutæ corporibus, euntes ad infernũ, non dicuntur ire propriè ad corporalia, sed ad similitudines corporalium.



T dicta Doctoris sic excellentis, & sanctissimi, ac Reverendi Patris Augustini, sanè, solidè que intelligãtur, scilicet, quòd anima exuta à corpore non feratur ad corporalia loca, sed ad similitudinem corporalium: est diligenter advertendum, modum suum esse, ut semper attribuat factum ei, quod est faciendũ : secundùm quem modum loquitur ipse 8. super Genes. ad litteram, cùm dicit, *Deus movet spiritualem creaturam per tempora, non per loca.* Cõstat autem quòd per loca moventur Angeli: descendunt enim de Cœlo ad terram ; non tamen moventur per loca localiter, quia non commẽsurant se corporali loco : benè tamen moventur successivè, quia cùm applicant virtutẽ suã ad unum locum, desinunt applicare eam ad alium, ut cùm sunt in Cœlo Empyreo, non sunt in terra. Igitur quia successio tempori applicatur : quia quidquid successivum est, tempore mensuratur secundùm quod hujusmodi : ideò Augustin. ipsum motum Angelorum dividit per loca, quia non moventur sub hac ratione qua moventur successiva, quæ sunt nunc in uno loco, nunc in alio. Idem enim dicit, creaturam spiritualem moveri per tempora, non per loca, id est moveri successivè, non localiter, quamvis verè nunc sit spiritualis substantia in uno loco, nunc in alio. Sic & in proposito, quãvis locus infernalis corporalis sit, tamen si consideramus modum, & rationes, qualiter animę damnatæ sunt in inferno, dicemus quòd animæ damnatorum non feruntur ad loca pœnalia, sed magis feruntur ad similitudines corporum, quàm ad corporalia loca, sic etiam licèt Cœlum Empyreum, ad quod feruntur animæ, sit locus corporalis, & animæ existentes in Cœlo Empyreo, dicuntur esse in paradiso : tamen animæ euntes in paradisum, non dicuntur ire, nec ad loca corporalia, nec ad similitudines corporum, sed ad aliquod excellentius, tam corpore, quàm similitudine corporum. Est itaque infernus, corporalis locus, quia est locus infimus : & ille ignis est corporalis ignis: anima tamen exuta corpore non est localiter, id est per commensurationem, sicut corpora quãta commensurantur loco, sed solùm per applicationem virtutis ad infernalem ignem. Ex qua applicatione infernalis ignis per similitudinem suam intentionalem, virtute Divina immutat intellectum, tam animæ, quàm substantiæ separatæ : ex qua immutatione verè cruciantur, tam animæ damnatæ, quàm spiritus mali. Pœnalitas itaque animę est ex immutatione similitudinaria, & intentionali, & ideò prout anima fertur ad loca infernalia, vel ad loca pœnalia, non debet ferri ad corpora, sed ad similitudinem corporum : quia suscipiendo intentionaliter similitudinem corporum cruciatur, & dolet. Nec valet si quis objiceret ex hoc, quòd anima non feratur ad pœnas, sed ad similitudines pœnarum : quia (ut latè disputavimus) vera pœna, & verus dolor est ex eo quòd percipimus læsivum, vel immutationem aliquam terribilem, ita quòd qui non sentit, non dolet : & quia sensus non percipit nisi immutationem intentionalem, vera pœna, & verus dolor est ex hujus immutatione intentionali. Sicut nunc ergo anima conjuncta corpori verè dolet ex eo quòd per sensum applicatur igni, cùm sensus secundùm quod hujusmodi, & prout sentit, non immutatur corporaliter, & realiter, sed intentionaliter, & similitudinariè : sic & anima separata per intellectum applicata ad ignẽ, per hanc immutationem verè cruciatur, & dolet.

Advertendum tamen quòd (ut suprà diximus) licèt intellectus fungatur vice sensus, non tamen intellectus fit sensus : & aliter immutatur intellectus, quàm sensus. Sufficit tamẽ quòd etiam hoc recipiat similiter intellectus, sicut sensus. Quia verè cruciatur anima per intellectum sicut corpus per sensum. Nec tamen oportet quòd scilicet malignus sit semper conjunctus igni corporali inferni ad hoc quòd crucietur, & patiatur has pœnas. Nec est necessarium, quòd semper portet ignem inferni secum : quia potens est Deus similem immutationem facere, & similem pœnam horribilem in anima sine spiritu maligno, & sine igne, sicut cum igne. Intantum ergo dictum sit, quòd sive in nobis, sive in anima separata, non fit dolor ex immutatione reali : sed solùm ex intentionali. Et quia ire ad infernum, est ire ad locum pœnalem, & ad locum doloris : ideò

8. de Gen. ad lit. cap. 5. & 12. cap. 32.

cap. 22.

dictum est quòd infernus magis dicit similitudinem corporum, secundùm quem modum immutari potest anima separata, quàm dicatur corporalis, secundùm quem modum immutari nō potest : ut quòd infrigidetur, & calefiat. Quia si sic esset, tantum posset calefieri, quòd ad ultimum fieret ignis: quod omninò est absurdum.

Est etiam diligenter notandum ad plenā intelligentiam dictorum August. ut possimus adaptare omnia ista verba ad propositum nostrū quòd anima existens in inferno, duplicem passionem habet, vel dupliciter dolet. Primò, quia cruciatur. Secundò, quia sic carcerata cruciatur. Sicut enim corpus nostrum est in loco per commensurationem, sic spiritus est in loco per virtutis applicationem: & sicut nunc homo corporaliter vivens, suæ libertati relictus, potest se commensurare nunc isti loco, nunc illi, prout vult : sed si poneretur in carcere hoc non posset : sic spiritus suæ naturæ derelictus, potest applicare suam virtutem ad quodcumque corpus : sed propter hoc non patitur : sed postea in pœna delicti factum est quòd anima damnata suam virtutem applicare non posset, nisi ad tale corpus ; ut ad infernalem ignem : ut ex hoc quasi dicatur esse in carcere, & hoc sit ei magna pœna : secundùm quem modum ipsi maligni spiritus qui tenentur reclusi in infernum, dicent Christo : *Vt quid tibi, & nobis fili David venisti ante tempus torquere nos?* Secunda est pœna animæ damnatæ : quia non solùm carceri addicta cogitur virtutem suam applicare ad tale corpus, ut ad ignem inferni, sed quia ex tali applicatione sic fit intellectui suo quædam horribilis immutatio, ex qua immutatione verisimè cruciatur.

Qualitercumque tamen sumatur infernus, sive dicatur pœnalis locus, quia est carcer animæ : sive anima sit in tali corporali loco, non est ibi localiter per commensurationem, sed per virtutis applicationem. Vnde August. 12, super Genes. dicit animam exutam corpore, ad corporalia non ferri nisi cum aliquo corpore ; ut non localiter ferri : si verò dicatur infernus locus pœnalis ratione immutationis quā facit in anima, & ignis non dicitur esse quid corporale, sed similitudo corporalium : quia anima solùm immutatur intentionaliter, & similitudinariè : non verè calefit, nec frigefit : sed solùm cruciatur, & dolet : non quia corporalis locus sit infernus, & etiam ignis, sed quia (ut dictum est) modus essendi non est ita sicut ea quæ corporaliter sunt in loco, ut ex hoc verificentur dicta August. ut anima, cùm est exuta corpore, non fertur ad loca, id est ad modum essendi rerum corporalium in loco, sed ad similitudines corporalium, id est ad modum rerum spiritualium in loco existentium, quod est per applicationem virtutis, vel per immutationem intentionalem. Sic autem dicimus de anima damnata. Sed anima beata non fertur ad loca corporalia prout dicitur esse in paradiso, nec ad similitudinem corporalium, sed ad aliquod excellentius. Est enim cœlum Empyreū ubi sunt Angeli beati, & ad quod feruntur animæ beatæ, locus quidam : sed verè dicitur animam esse in hoc paradiso, quia est in cœlo Empyreo, quia fruitur ipsoDeo, & dicitur quòd verè paradisus animæ, sit locus amœnus ejus, & regio in qua optimè est sibi, sicut ipseDeus, qui nec est corpus, nec similitudo corporis, sed est longè, & in infinitum quid excellentius omnibus creaturis, paradisus animæ dici potest.

CAP. XV.

Quomodo præter paradisum, & infernum, est dare Purgatorium, & Limbum puerorum. Et quòd ante Christi adventum erat dare Limbū sanctorum Patrum. Et quomodo pro peccato temporali debeat infligi pœna æterna.

PRÆSENTEM tractatum volentes consumare, quem intitulare volumus de prædestinatione, & præscientia, ratione quarum de paradiso, ad quem feruntur prædestinati, & de inferno, ad quem feruntur præsciti, longum sermonem fecimus. Volumus summatim ad majorem gloriam beatorum, & ad majorem miseriam damnatorum dicere, quid nomine paradisi, & quid inferni, intelligi debeat. Dicit enim August. 12. super Genes. ad litteram : quòd *Inferi eò quòd infrà sint, latinè appellantur*, ut dicatur infernus locus inferior, & subtus terram : & sicut corpus mortuum subtus terram ponitur, sic anima peccatrix, quæ sequens voluntatem corporis digna est subtus terram poni : & ex hoc in infernum descendere : tamen ut idem in eodem dicat : *In Græca lingua, origo nominis quo appellantur inferi ex eo quòd nihil suave habeat, resonare perhibetur.* Idem etiam in eodem loco dicit : *Nec mihi occurrit inferos alicubi in bono posuisse Scripturam dumtaxat Canonicam* : semper enim infernus sumitur in malam partem, & pro afflictione, & pro carentia gaudiorum. Sic ergo intelligimus infernum, ut omne illud habeat, quod damnatis displiceat: & si ignis inferni potest

Cap. 33.

test habere lucem, hoc non est nisi ad dolorem damnatorum. Vnde Isid. de summo bon. lib. 1. cap. 29. dicit: *Ignem gehennæ ad aliqua lumen habere, & ad aliqua non habere*: hoc est, lumé ad damnationem, ut videant impii se in tanta miseria constitutos, & ad quas afficiantur, unde doleant: & non habet ille ignis lumen, unde videant, & gaudeant. Ponit autem Isidor. exemplum de illis tribus pueris missis in fornacé ignis ardentis, qui ignis combusit in eis quod erat contristans, quia combusit vincula, unde erant ligati: non autem combusit quod erat placens, & delectans: quia nec capillus capitis eorum erat adustus, ut dicitur Danie. 3. Sic è converso ignis, & alia quæ sunt in inferno, agent quæ erunt ad damnatorum tristitiá, non autem quæ ad lætitiam. Sic in beatis è cõverso paradisus dicit quidquid potest excogitari gaudij, non autem aliquod triste, vel molestum. Est ergo paradisus, locus in quo benè est animæ, infernus autem è converso, ut patet.

Præter autem paradisum, & infernum, est dare tertium locum, scilicet, purgatorium. Cũ enim multi decedunt cum charitate, & gratia, tamen quia non sufficientem pœnitentiam egerunt in hoc mundo de peccatis suis, & quia nullum malum impunitum, sic ut nec bonum irremuneratum, oportet sic se habentes, post hãc vitam alias pœnas tollerare, & in paradisum introire, & salvi fiant, sic quasi per ignem. Nõ ergo omnes pœnæ purgatoriæ sunt, ut videtur Plato sensisse, prout ei Augustin. imponit, quia in vita ista pœnæ purgatoriæ sunt, & pœnæ quæ ad purgationem non faciunt: quia aliqui flagellantur in vita ista, nec ex hoc pœnitent, sed ex hoc incipit quasi eorum damnatio. Pharaonem enim flagellatum, non pœnituit. Nabuchodonosor flagellatus, ad pœnitentiam reversus est. In vita ergo præsenti, ut experimento videmus, flagellationes, & percussiones Divinæ, vel sunt purgationes vitæ præsentis, quia per eas homines convertuntur, & boni fiunt: vel sunt initium carentiæ fœlicitatis æternæ: quia per eas homines non correpti, sed potiùs indurati morientes, ad inferna descendunt. Vnde Isid. 3. de Summ. bon. cap. 5. dicit, quòd *Omnis Divina percussio, aut est purgatio vitæ præsentis, aut est initium pœnæ sequẽtis.* Et subdit, quòd *Quibusdam flagella ab hac vita inchoant; & in æterna percussione perdurant.* Et sic in hac vita, non omnes pœnæ sunt purgatoriæ, & multò minus in alia vita.

Est ergo triplicem locum dare, videlicet, paradisum qui est decedentium cum gratia, & non habentium ad purgandum. Est & purgatorium, qui est decedentium cum gratia, & habentium ad purgandum. Et infernus damnatorum, qui est decedentium sine gratia, & non valentium purgatorium recipere. Verùm quia duplex est peccatum, videlicet, actuale, & originale. Decedentes in originali, quia carent gratia, nunquam vident Deum: habebunt ergo pœnam damni, propter carentiam gratiæ: sed non habebunt pœnam sensus, quia tale peccatum non est ex inordinata delectatione, sed solùm ex origine Protoplastorum contractum. Et quia pœna afflictionis respondet gaudio inordinatæ delectationis, nullam habebũt pœnam sensus. Præter ergo paradisum, infernum, & purgatorium, est dare limbum puerorum, quòd est quartus locus: sed decedentes in actuali peccato, digni sunt ut tormentis, & pœnis æternis plectantur. Insuper, prẽter omnia hęc tria loca, ante Christi adventum erat dare alium locum, scilicet sanctorum Patrum limbum. Omnibus enim ante Christi passionẽ, erat clausa janua regni cœlestis, quia non dum solutum erat prætium pro peccato primi hominis, prout fuit infectio totius humanæ naturæ: pro quo, purus homo satisfacere non potuit. Decedentes autem cum gratia, si habebant aliqua ad purgandum, ibant ad purgatorium, & purgabantur: cùm jam purgati essent, non poterant ad cœlum ascendere, quia non dum solutum erat prętium, nec satisfactum pro humana natura: ideò ibant ad limbum sanctorum Patrum, quem Christus expoliavit, ducens secum ad cœlos captivatos. Nunc autẽ nullus ad talem locum accedit, vel non est amplius dare modò talem locum. Quia si qui decedunt in gratia sine peccato aliquo, statim evolant ad cœlum; quia satisfactum est per passionem Christi, & est per hoc amotum naturæ impedimentum. Si verò aliqui decedunt in gratia, & habent aliquid purgandum, vadũt ad purgatorium, & purgati ad cœlum ascendunt.

Patet ergo quòd non sunt nisi quatuor loca, scilicet paradisus illorum, qui decedunt cum gratia, & sine peccato. Infernus sibi oppositus, qui est locus decedentium cum actuali culpa, & sine gratia. Et purgatorium, quòd est decedentium cum gratia, non tamen sine peccato: propter quod purgari indigent. Et limbus puerorũ in originali decedentium, qui nunquam Deum videbunt, non habẽtes pœnam sensus, sed damni. Vltimum autem locum, vel non est dare, vel ad eum nullus accedit, scilicet limbum sanctorum Patrum: quia passio Christi eum expoliavit totaliter.

His itaque prælibatis, quia ex dictis insurgit dubitatio: cùm dictum sit aliquos fore

in

in æternum cruciandos : volumus priusquam huic tractatui finem imponamus, difficultatem hanc aperire, & declarare quomodo deceat Divinam justitiam, pro peccato temporali infligere pœnam æternam. Dicimus quòd in peccato quatuor est considerare, videlicet, pœnam peccato debitam : ipsum peccantem : peccatum commissum : & Deum qui offenditur pro peccato. Omnibus his declaratis viis, patet decens esse pro peccato temporali debere infligi pœna æterna.

Prima via sumitur ex parte pœnarum inflictarum pro peccatis. Recitat autem Augustus. 21. de Civit. Dei, cap. 11. dixisse talium 8. genera esse pœnarum positarum in legibus, scilicet damnum, vincula, verbera, talionē, servitutem, ignominiam, exilium, & mortem. Vbi Augustus. dicit, quòd nihil horum tanta celeritate plectatur, quanta deprehenditur fuisse peccatum perpetuum, nec fortè talio. Vocatur autem talio, quando quis patitur in se quod alteri fecit, ut oculum pro oculo, & dentem pro dente. Potest enim contingere, quòd in tanto tempore oculus alicujus eruatur per justitiam, in quanto ipse eruit oculum alterius per nequitiam, & iram : sed ceteræ aliæ pœnæ, non æquantur in celeritate temporis cum peccatis. Vt si quis per morulam parvæ delectationis delectatur, si ex hoc puniatur pœna damni, nō oportet quòd solùm per tantam morulam patiatur hujusmodi damni pœnam, ut propter hoc damnatus sit in pecunia, sive in aliqua alia re, quòd carentiam hujus rei non plus tēpore patiatur, nisi quantum proposuit in perpetratione peccati. Immò illa re carebit in æternum etiam justè, pro peccato, quod commisit in parvo tempore. Sic de vinculis, & ignominiis, & de multis alijs, possunt habere talia justè pro peccato, quod in parvo tempore perpetrati sunt. Prēter enim talionem, nulla est ibi alia pœna numerata, quę non vel perpetuò, vel saltem non in majore parte possit de jure durare, quàm fuit peccatum perpetratum. Igitur si gentes hoc faciunt, quia pœnas perpetuas infligant pro peccato temporali: non debemus Deum de injustitia arguere, sed de justitia commendare, si pœna perpetua puniat peccatum, quod fuit in parvo tempore perpetratum.

Secunda via sumitur ex parte ipsius hominis peccantis : nam peccator usque ad mortem secundùm Greg. peccat in suo extremo, quia peccavit quamdiu potuit, ex quo usque ad mortem noluit pœnitere. Iudicandus est, quòd quantum est de se, in peccato perpetuò fuit. Igitur si peccavit, si quantum est de se perpetuò peccavit, justè æterna pœna plectitur.

Tertia via sumitur ex parte ipsius peccati commissi. Nam sunt aliqua peccata, quæ justa pœna plectuntur morte. Cùm igitur per mortem quis auferatur in sempiternum à societate viventium, quia si resurgat, vel moreretur morte naturali, hoc totum est per accidens : sic dignum est, ut Deus pro peccato temporali possit infligere pœnam æternā. Nam dato quòd nunquam esset futura resurrectio mortuorum, & posito quòd nūquam quis moreretur morbo, sed solùm posset mori gladio : quilibet sanæ mentis judicaret, quòd si quis delinqueret in regiam majestatem, vel in rempublicam, quòd esset morte moriendus, per quā mortem, in æternum privaretur à societate viventium.

Quarta via sumitur ex parte ipsius Dei. Quod per peccatum offendit infinitum bonum dignum est ut in infinitū patiatur. Sunt ergo in peccato duo : scilicet aversio ab incommutabili bono, & conversio ad commutabile bonum. Ex parte autem aversionis, peccatum est infinitum, quia avertit se ab incommutabili, & infinito bono : sed ratione conversionis est finitū : quia convertit se ad finitū bonū. Cùm ergo peccamus in infinitum, si secūdùm mensuram delicti, & peccati, debet esse mensura pœnæ, oportet hanc mensuram esse finitam, & infinitam. Cùm ergo in pœna non possint esse nisi duo, quæ potissimè sunt ponderanda, scilicet acerbitas, & duratio (nam ex hoc ponderamus pœnam, vel quia est multū acerba, vel quia multū durat) ergo secūdùm hæc duo, oportet esse finitatem, & infinitatem in pœna. Non potest autem esse infinitas, quantū ad acerbitatem, vel quia non est possibilis hujusmodi infinitas : vel si esset possibilis, creatura ad talem acerbitatem durare non posset. Si ergo sumetur finitas, & infinitas in pœna, ut respōdeat finitati, & infinitati delicti, erit infinitas ibi ex parte durationis, & finitas ex parte acerbitatis. Vel possumus dicere, quòd acerbitas pœnæ dicit quid positivum : nūquam autem finiri, dicit quid privativū. Cùm ergo in peccato sit privatio ex parte aversionis ab infinito bono, & ibi sit positio ex parte conversionis ad finitum bonum : dignum est ut acerbitas, quæ est quid positivum, respondeat conversioni : interminatio pœnæ, & carentia glorię, respondeat aversioni : & quia aversio est ab infinito, erit carentia gloriæ, cum interminatione pœnæ infinitæ: conversioni verò, quæ est quid finitum, erit acerbitas pœnæ finitæ. In infinitum ergo damnati privabuntur Deo, cum tanta pœnæ miseria : & in infinitum beati

fru

fruentur Deo cum tanta gaudii lætitia. Et in hoc erit ſumma fœlicitas bonorum, quia videbunt ſe evaſiſſe tantam miſeriam, & adeptos tantam gloriam. Cujus gloriæ nos participes faciat Chriſtus Ieſus, per infinita ſæcula. Amen.

B. ÆGIDII COLVMNÆ ROMANI Bituricenſis Archiepiſcopi, & Aquitaniæ Primatis, Ordinis fratrum Eremitarum Sancti Auguſtini, Doctoris fundatiſsimi.

De defectu & deviatione malorum culpæ, & peccatorum à Verbo Tractatus,

NUNC DENUO EXCUSSUS.

CAP. I.

In quo oſtenditur per quatuor clauſulas in principio Evangelij Ioannis poſitas, quòd mala, & peccata non ſunt à Verbo, nec per Verbum.

DLacuit nobis proponere quæſtionẽ de eo quod habetur Ioan. 1. *Omnia per ipſum facta ſunt; & ſine ipſo factum eſt nihil.* Vtrum ex hoc poſsimus concludere omnia tam bona, quàm mala eſſe facta per ipſum, ideſt, per Verbum? Et videtur quòd ſic: quia qui omne dicit, nihil excipit: ſi ergo omnia facta ſunt per ipſum, id eſt, per Verbum, & nulla exceptio eſt ibi adjecta, videntur omnia tam bona quàm mala eſſe facta per Verbum. Prætereà: Et quod ibi additur, *Et ſine ipſo factum eſt nihil*, ut videtur, multùm fortificat quæſtionem. Nam mala, id eſt, peccata non videntur eſſe nihil: nam pro nihilo Deus non damnaret hominem: cùm ergo Deus damnet hominem propter mala, & peccata, videtur quòd talia non ſunt nihil: quare ſi ſolùm nihil factum eſt ſine Verbo, mala, & peccata facta ſunt per Verbum. Sciendum ergo quòd multis viis per verba Evangelij, unde ſumpta ſunt verba præfata, probare poſſumus mala, & peccata non eſſe facta per Verbũ niſi permiſsivè, non autem effectivè. Incipiemus enim à principio Evangelij, quod ſic incipit: In principio erat Verbum) & oſtendemus per verba ipſius textus Evangelij præcedentia, & ſequentia, ac per propoſita verba, veritatem intentam. Duæ enim clauſulæ ſunt propoſitæ, quarum prima eſt, *Omnia per ipſum facta ſunt*, ſecunda eſt, *Et ſine ipſo factum eſt nihil.* Quatuor etiam ſunt clauſulæ præcedentes: quarum prima eſt (In principio erat Verbum.) Secunda (Et Verbum erat apud Deum.) Tertia eſt, (Et Deus erat Verbum.) Quarta eſt (Hoc erat in principio apud Deum.) Similiter quatuor clauſulæ ſunt ſequentes. Prima eſt (Quod factum, eſt in ipſo vita erat.) Secunda eſt (Et vita erat lux hominum.) Tertia (Et lux in tenebris lucet. (Quarta eſt (Et tenebræ eum non cõprehenderunt.)

Per omnes autem has decem clauſulas contentas in ipſo textu Evangelij, quarũ quatuor ſunt præcedentes, duæ propoſitæ, & quatuor ſequentes, intendimus declarare mala & peccata nõ eſſe facta per Verbum. Primæ enim quatuor clauſulæ præcedentes quantum ad Perſonas Divinas ſic ſe habent: quia prima continet eſſentiæ unitatem, ſecunda Perſonarum alietatem vel proprietatem, tertia Perſonarum Divinarum æqualitatem, quarta Perſonarum Divinarum æternitatem. Ille ergo qui fecit Præfationem in Miſſa de Trinitate, qui creditur fuiſſe Gregorius, cùm dixit de Trinitate, in eſſentia unitas, in Perſonis proprietas, in majeſtate adoretur æqualitas. Si addidiſſet, in duratione veneretur vel adoretur æternitas, fuiſſet ſatis, & competenter hæc quarta clauſula ad tres clauſulas propoſitas copulata. Prima ergo clauſula cùm dicitur: In principio erat Verbum. Continet in Patre, & Filio eſſentiæ unitatem: & quia nunquam ſunt ſeparandi Pater & Filius à Spiritu ſancto, qui eſt amor & unio & nexus amborum: nam, ut ait Dionyſ. 4. de Div. nomin. *Amorem ſive Divinum, ſive Angelicum, ſive ſpiritalem*, id eſt humanum, *ſive animalem*, id eſt ſenſibilem, & vegetabilem, *ſive naturalem* (ſecundùm quod gravia dicimus amare deorſum, & levia ſurſum) *Vim quãdam conjungentẽ, miſcentẽ que intelligamus.* Cùm ergo nominamus Patrem, & Filium ſemper intelligimus ibi Spiritum ſanctum, tanquã virtutem unitivam, & tanquam amorem, & nexũm amborum. Cùm ergo in prima clauſula dicitur: In principio erat Verbum, id eſt, in Patre erat Filius, notatur in Patre & Filio, & per conſequens in Spiritu ſancto, qui eſt amborum amor, nexus, & unio, in eſſentia unitas: nam Perſonæ ſibi inſunt propter eſſentiæ unitatem. Nam quia una eſt eſſentia omnium

trium

trium Personarum, & illa una & eadem essentia prædicatur de qualibet Persona singulariter, & de omnibus non pluraliter, quia Pater est Divina essentia, & Filius est illa eadem essentia, & Spiritus sanctus eadem essentia: omnes tamen tres Personæ non tres essentiæ, sed una essentia. Quia ergo nullus ita desiperet non solùm de Personis Divinis, sed etiam de quacumque re, quòd diceret, essentiam rei non esse in re: nullus ergo potest ita desipere: quòd dicat, essentiam Patris non esse in Patre. Et quia sic est, cùm illa essentia Patris sit ipsa persona Filij, & ipsa persona Spiritus sancti; si essentia Patris est in Patre, Filius, & Spiritus sanctus sunt in Patre: benè ergo dictum est, quòd personæ Divinæ sibi insunt propter essentiæ unitatem: & benè dictum est, quòd cùm in prima clausula dicitur, *In principio erat Verbum*, id est in Patre erat Filius, & in Patre & Filio Spiritus sanctus, qui tanquam nexus amborum intelligitur in utroque, circa omnes Personas Divinas notatur in essentia unitas. Ex hac autem prima clausula possumus expressè arguere, & probare quòd vitia & mala, & peccata nō sunt per ipsum, id est, per Verbum. Nam si est tanta unio Verbi ad Deum Patrem, quòd est in ipso Deo Patre, mala & peccata, quæ nō uniunt nos cum Deo, sed separant nos à Deo, per ipsum, id est per Verbum facta esse non possunt.

Viso quomodo prima clausula quæ est (In principio erat verbum) manifestè concludit, mala, vitia & peccata non esse facta per Verbū: volumus hoc idem ostendere ex secunda clausula, quæ est (Et Verbum erat apud Deum) dicebatur enim suprà quòd sicut in prima clausula (In principio erat Verbum) denotatur circa Personas Divinas in essentia unitas: sic in secunda clausula (Et Verbum erat apud Deum) notatur circa Personas Divinas Personarum alietas, vel proprietas. Nam distinctio, & alietas Personarum non nisi per propria esse potest: propter quod etiam in Divinis proprietas, & alietas pari passu currunt. Est enim Persona in Divinis essentia cum proprietate, ut Pater est essentia Divina cum paternitate, Filius est essentia Divina cum filiatione, Spiritus sanctus est illa eadem essentia cum processione, juxta illud Damasceni lib. 1. cap. 2. *In Divinis omnia sunt unum præter ingenerationem*, id est, paternitatem, *& generationem*, id est, filiationé, *& processionem*. Revertamur ergo ad propositum, & dicamus, quòd proprietas Filij, qui est Verbum in principio apud Deum, est quòd ei aproprietur virtus, & sapientia, juxta illud 1. Cor. 1. *Prædicamus Christum, Dei virtutem, & Dei sapientiam*. Procedit enim Filius à Patre sicut Verbum: ergo procedit per modum intellectus, & ei appropriatur sapientia: ipse est enim Patris sapientia, & splendor, & figura. Rursus quia Pater dicendo facit quidquid facit, juxta illud: *Ipse dixit, & facta sunt*, oportet quòd Filius non solùm sit sapientia Patris prout procedit à Patre per modum intellectus, sed etiam sit virtus Patris, quia Pater dicendo Verbum, per ipsum quod dicit, facit quidquid facit: propter quod dicitur virtus Patris, quia per ipsum tanquam per virtutem operatur, juxta illud Augustini 11. Confes. *Verbo tibi coæterno simul & sempiterno dicis omnia quæ dicis, & fit quidquid dicis*. Si ergo Dei Filius Verbum Patris, est sapientia, & virtus Patris, per se ipsum non possunt fieri aliqua mala, quia omnis malus ignorans, secundùm Philosophum in Ethicis, quæ scilicet ignorantia repugnat sapiétiæ: & omnis malus defectivus, quod repugnat virtuti. Deus ergo Pater per suum Verbum quod est ejus virtus, & sapientia, nulla mala (loquendo de malis culpæ) operari potest. Mala enim pœnæ, quæ inferuntur pro demeritis nostris, potest Deus operari tanquam justus judex, cui est tribuere unicuique secundùm opera sua, juxta illud: *Opera enim illorum sequuntur illos*, per suam virtutem & sapientiam: quia talia non inferuntur ex defectu Dei, sed ex ejus virtute: nec ex ignorantia Dei, sed ex ejus sciétia. Nam idéò nos punit, quia scit nos malos: aliter enim non esset justus judex, si puniret creaturas suas, nisi sciret eas esse malas, juxta illud Psal. *Vt justificeris in sermonibus tuis, & vincas cùm judicaris*, id est cùm in judicio ad alios compararis. Iudicamus enim Deum dicétes, quòd sic debet facere vel sic facere: sed cùm benè perspicimus, omnia in sapientia facit, & omnia debito modo facit. Benè ergo dictum est, quòd Deus Pater per Verbum tanquam per ejus virtutem, in qua non potest esse aliquis defectus: & sapientiam, in qua non potest esse ignorantia, licèt possit facere mala pœnę, quia ipse potest facere omne opus justitiæ; non tamen potest facere mala culpæ, quia talia sine defectu & ignorantia, quæ sunt à Dei Verbo penitus aliena, committi non possunt. Dei ergo Verbum ab æterno cum Patre & Spiritu sancto nos prędestinavit, id est, ad gratiam in præsenti, & ad gloriam in futuro nos præordinavit. Cùm ergo nec cum gratia, nec cum gloria, quæ est gratia consumata, possit stare peccatum, benè dictum est quòd per Verbum peccatum, vel mala culpę fieri non possunt.

Advertendum tamen quòd sicut Christus Dei Filius Verbum Patris ab æterno nos prædestinavit, nos præordinando ad gratiam in

præ

præsenti & gloriam in futuro, quæ duo culpæ, & peccato repugnant: sic nunc ad dexteram Dei sedens est apud Patrem advocatus pro nobis, ut peccata vitemus, & gratiam consequamur, juxta illud 1. Ioan. 2. *Filioli mei hæc scribo vobis ut non peccetis: sed si quis peccaverit advocatum habemus apud Patrem Iesum Christum justum, & ipse est propitiatio pro peccatis nostris. non pro nostris autem tantùm, sed etiam pro totius mundi.* Sunt enim hæc valdè repugnantia quòd Christus Iesus sit justus, & advocatus noster apud Patrem pro peccatis nostris, & tamen ipse sit ille, per quem peccata fiunt: & culpæ committuntur. Cùm ergo dicitur, *Et Verbum erat apud Deum*, id est apud Deum Patrem, quia erat apud ipsum tanquam virtus & sapientia, quibus repugnant defectus & ignorantia, quæ sunt in quolibet peccato, non possumus ex hoc arguere quòd per Verbum sint facta mala, & peccata: sed magis quòd per ipsum sint amota & deleta. In omni enim peccato est defectus & ignorantia: nam esse ibi defectum, non est dubium, cùm secundùm August. 12. de Civit. Dei, cap. 6. malum non habet causam efficientem, sed deficientem. Ait enim: *Nemo igitur quærat causam efficientem malæ voluntatis: non enim est efficiens, sed defficiens, quia nec illa*, id est, mala voluntas *Est effectio, sed defectio.* In omni itaque malo, & peccato est deficiēs: quod repugnat virtuti. Est etiam ibi ignorantia, quod repugnat sapientiæ. Nam etsi non omne peccatum fit per ignorantiam, quia ignorantia respectu peccati non semper se habet causaliter: tamen omnis malus ignorans, ut ait Philosophus: quia ignorantia ad peccatum, etsi non semper se habet causaliter, semper tamen se habet concomitativè.

Ostenso, quomodo per primam clausulā, quia *in principio erat Verbum*: & quomodo per secundam clausulam, quia *Verbum erat apud Deum*, non possumus arguere propositum, quòd mala & peccata sint facta per Verbum, sed magis oppositum: volumus hoc idem declarare per tertiam clausulam, cùm dicitur, *Et Deus erat Verbum*: quod statim apparere potest. Nā si omne peccatum intantum est peccatum, inquantum avertit à Deo, clarè clarius apparet quòd peccata non fiunt per Deum. Lumē enim quantum est de se semper habet illuminare; nullus enim obtenebratur ex eo quòd convertit se ad lumen: & quia Deus lux est, & tenebræ in eo non sunt ullæ: tenebra vel peccatum non committitur per Deum, qui est lumen sine admixtione alicujus tenebræ, cùm secundùm Cōment. *Deus sit actus purus sine admixtione alicujus potentiæ.* Peccatum itaque non est per Deum, nec à Deo: & quia Verbum est verè Deus, cū dictum sit in tertia clausula quòd *Deus erat Verbum*, peccatum non est per Verbum nec à Verbo. Propter quod Hilarius in suo libro de Trinitate exponens hoc dictum, *Et Deus erat Verbum*, ait: *Cessat sonus vocis, & cognitionis eloquium.* Et subdit: *Verbum hoc res est, non sonus: natura est, non sermo; Deus est, non inanitas.* Nos enim possumus esse dii dicto vel sermone, juxta illud Psalmi, *Ego dixi dii estis.* Et potest quis esse deus, quia constituitur aliquis deus, juxta illud quod dixit Dominus Moysi, *Ecce constitui te deum Pharaonis.* Sed Verbum non est hoc modo Deus: sed natura Deus. Mala ergo & peccata avertentia à Deo seu à Verbo, quod est natura Deus, non sunt per Verbum nec à Verbo. *Exod. 7.*

Declarato, omnes tres præfatas clausulas in hoc convenire, quòd mala & peccata non sunt à Verbo nec per Verbum: volumus hoc idem declarare per quartam clausulam, quæ est, *Hoc erat in principio apud Deum*: quod sic potest exponi. Hoc, scilicet, Deus Verbum erat in principio, id est, ab æterno apud Deum. Cùm ergo mala & peccata nunquam respiciant nisi res temporales & deficientes, ab æterno facta esse non possunt per Verbum, quod erat in principio, & ab æterno apud Deum. Potest ergo hæc quarta clausula (exponendo eam ut exposita est) circa personas Divinas asserere quòd Personis Divinis competit in duratione æternitas. Nam sicut in prima clausula, quòd in principio erat Verbum, id est in Patre Filius, & in utroque Spiritus sanctus, qui à Patre, & Filio minimè est separandus, denotabatur in essentia unitas, quia personæ sibi insunt propter essentiæ unitatem: & in secunda, quòd Verbum erat apud Deum, ostendebatur in personis proprietas: in tertia verò, & Deus erat Verbum, in majestate æqualitas: sic in hac quarta clausula, quòd

hoc erat in principio, id est ab æterno apud Deum, notatur circa Personas Divinas in duratione æternitas.

CAP. II.

Vbi per duas clauſulas propoſitas hoc idem concluditur, quòd mala & peccata non habent eſſe à Verbo nec per Verbum.

DIſtinguebamus enim ſuprà clauſulas Evangelij quas volebamus exponere ad oſtendendũ intentum quòd mala & peccata non ſunt à Verbo nec per Verbũ, dicẽtes quòd quatuor de illis clauſulis erant præcedentes, duæ erant propoſitæ, & quatuor ſequentes. Egimus ergo in præcedenti capite de quatuor clauſulis præcedentibus, & oſtendimus per quamlibet illarum clauſularum mala, & peccata non eſſe facta à Verbo nec per Verbũ Nunc autem volumus agere de clauſulis propoſitis, quæ ſunt duæ, quarum prima eſt: *Omnia per ipſum facta ſunt.* Secunda eſt: *Et ſine ipſo factum eſt nihil.* Per quamlibet autem iſtarũ propoſitarum clauſularum duarum oſtendebatur mala & peccata eſſe facta per Verbum. Nam cùm ſine exceptione aliqua dicatur quòd omnia ſint facta per ipſum, id eſt per Verbum; & qui omnia dicit, nihil excipit: videtur quòd mala & peccata ſint facta per Verbum. Rurſus cùm mala & peccata non ſint nihil, quia pro nihilo Deus non damnat hominem, & tamen damnat ipſum propter mala & peccata: cùm ergo à factione per Verbum non excludatur niſi ſolùm nihil, videtur quòd ab hujuſmodi factione non excludantur mala, & peccata. Sciẽdum ergo quòd cùm dicitur: *Omnia per ipſum facta ſunt*, non poteſt intelligi niſi de factibilibus. Nam ſicut ſub hoc nomine animal non continentur niſi animalia: propter quod ſi diceretur tali die Deus produxit omnia animalia, non poſſemus ex hoc arguere, quòd Deus illa die produxerit lapides, quia ſub nomine animalium lapides comprehendi non poſſunt. Sic à ſimili cùm dicitur: *Omnia per ipſum facta ſunt*, non poteſt hoc intelligi niſi de factibilibus, quia ſub nomine factorum ſolùm factibilia poſſunt denominari. Mala ergo & peccata, quæ non ſunt factibilia, ſed defectibilia, & quæ nõ ſunt factiones, ſed defectiones, ſub factis vel factibilibus comprehendi non poſſunt. Omnia enim facta, & omnes factiones habent cauſam efficiẽtem: mala enim & peccata non habent cauſã efficientem, ſed deficientem, & non ſunt factiones, ſed defectiones: quæ omnia concordant cum verbis Auguſt. ſuprà poſitis 12. de Civit. Dei, cap. 7. ubi ait: *Nemo igitur quærat efficiẽtem cauſam malæ voluntatis: non enim eſt efficiẽs cauſa, ſed deficiens, quia nec illa*, id eſt mala voluntas *Eſt effectio, ſed defectio.* Cùm ergo dicimus omnia eſſe facta per Verbum, intelligitur de factibilibus non de defectibilibus, vel intelligitur de factionibus, non de defectionibus. Argumentum ergo præfatum non eſt ad propoſitum quòd mala & peccata ſint facta per Verbum. Sed potiùs eſt ad oppoſitum quòd talia nõ ſunt facta per Verbum; cùm dictum ſit quòd talia non ſunt factiones, ſed defectiones, quo poſito, non ſunt factibilia, ſed defectibilia. Nam ſecundùm cauſam debent judicari quæ ſunt ex illa cauſa: cùm ergo mala & peccata non habeant cauſam efficientem, ſed deficientem, talia non poſſunt eſſe facta à Verbo vel per Verbum, cùm Verbum ſit natura Deus, ut patuit ſuprà per Hilarium exponentem illam clauſulam, *Et Deus erat Verbum.* Deus autem eſt in quo congregantur perfectiones omnium generum, ut patet per Philoſophum 5. Metaph. cap. de Perfecto, ubi vult quòd aliquid dicitur bonum nobile vel perfectum modo univerſali, in quo reperiuntur talia, ut ſunt in unoquoque genere ut nihil inveniatur extra illam, ſcilicet bonitatem vel perfectionem: & ut exponit Cõment. iſta eſt diſpoſitio primi principij, ſcilicet Dei. Nomine ergo Dei intelligitur aliquid perfectum omni perfectione, vel intelligitur aliquid bonum omni bonitate, & nobile omni nobilitate. Ideò de hoc primo principio, ſcilicet Deo, dicitur in 12. Meta. quòd Deus eſt vivus æternus in fine nobilitatis. Si ergo Deus eſt perfectus in fine, id eſt infinitæ perfectionis, & nobilis in fine, id eſt infinitæ nobilitatis: Verbum, quod eſt natura Deus, quia habet eandẽ Deitatem, & eandem naturam Divinam cum Patre, & Spiritu ſancto, erit hoc modo perfectũ, quia erit in fine perfectionis, id eſt infinitæ perfectionis, & nullo modo poterit eſſe cauſa deficiens, ſed ſemper efficiens, & perficiens: nullo ergo modo poterit eſſe cauſa malorum, & peccatorum, quę non ſunt effectiones nec perfectiones, ſed defectiones. Mala ergo & peccata non ſunt facta à Verbo nec per Verbum: quod declarare volebamus.

Tex. 21

Sed quid dicemus ad ſecundam clauſulã propoſitam, quòd *Sine ipſo factum eſt nihil?* Nũ quid vitia, & peccata vel mala culpę quæcumque, pro quibus damnatur homo, dicenda ſunt eſſe nihil, ut concludamus de Deo factore noſtro, & Creatore quòd pro nihilo damnat creaturas ſuas, quia damnat eas pro vitiis & peccatis? Ad quod videtur dicere Auguſtinus ſu-

per

per Ioannem, exponens iſtud verbum : *Sine ipſo factum eſt nihil*, id eſt peccatum, aſſerens quòd peccatum dicitur nihil, quia nihil fiunt homines, quando peccant. Sed hæc reſponſio indiget declaratione, quomodo peccatum nihil eſt, & quomodo nihil fiunt homines, cùm peccant.

Advertendum ergo, quòd hujuſmodi declarationem, videlicet, quòd peccatum nihil eſt, & quòd nihil fiunt homines cùm peccant, accipere poſſumus ab Auguſt. 12. de Civit. Dei, cap. 7. quærit enim ibi, unde hoc habet voluntas quòd poteſt fieri mala, & quòd poteſt eſſe cauſa malæ operationis, ſecundùm quem modum non erit cauſa efficiens, ſed deficiens, quia hoc eſt univerſale in omni malo, & in omni peccato quod non habet cauſam efficientem, ſed deficientem. Et ſolvit ibidem quæſtionem propoſitam, innuens, quòd voluntas ſit quędam natura, & ſit ex nihilo : ut eſt quædam natura, non eſt cauſa deficiens, ſed efficiens. Si ergo quæris unde habet hoc voluntas quòd ſit cauſa deficiens, & quòd ſit cauſa malæ operationis? Reſponderi poteſt, quòd hoc non habet ut eſt natura quædam, ſed ut eſt ex nihilo. Immò plus arguit ibidem Auguſt. quòd dicere voluntatem poſſe eſſe malam vel poſſe eſſe cauſam deficientem ut eſt natura quædam, idem eſt quòd retorquere hoc in ipſum Deum, & aſſerere ipſum Deum feciſſe naturas malas : quod falſum eſt. Nam, ut habetur Geneſ. 1. *Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valdè bona* : quod exponens Auguſt. in Enchiridion ait : *Vnumquodque in ſe bonum eſt, ſed omnia ſunt valdè bona, quia ex omnibus conſtat univerſitatis admirabilis pulchritudo.* Concludamus ergo ex his omnibus, & dicamus, quòd natura ut natura eſt, non eſt cauſa malæ voluntatis, ſed hoc habet ut eſt cauſa deficiens, & ut eſt ex nihilo : ſic voluntas ut voluntas eſt, & ut quædam natura eſt, non eſt cauſa malæ operationis, ſed hoc habet ut eſt cauſa deficiens, & ut eſt ex nihilo. Si ergo volumus hæc adaptare ad hominem, dicemus quòd homo ut homo eſt, & ut eſt natura quædam à Deo producta, non eſt cauſa peccati vel malæ operationis, ſed hoc habet ut eſt cauſa deficiens, & ut eſt ex nihilo.

Ex his autem patere poteſt, benè dictum eſſe hoc quod Auguſt. ait, & quod ponitur in Gloſſa, videlicet, quòd peccatum nihil eſt, & quòd nihil fiunt homines cùm peccant : quia poſſe peccare, & poſſe deficere, hoc non habet homines ut ſunt natura quædam, & ut ſunt à Deo, ſed ut ſunt cauſa deficiens, & ut ſunt ex nihilo. Sed dices, quòd adhuc ſtat argumentũ : nam ſi peccatũ eſt nihil modo quo dictum eſt : cùm ergo Deus pro peccato damnat homines, & A Angelos creaturas ſuas : ergo damnat eas pro nihilo. Ad hoc dici poteſt, quòd peccatum eſt aliquid materialiter, ſed eſt nihil formaliter : nam peccatum eſt operatio quędam, ſed eſt operatio deficiens. Propter quod (formaliter loquendo) peccatum non eſt aliquid, quia non eſt aliquis effectus, ſed eſt aliquis defectus : & inde dictum eſt, quòd peccatum non habet cauſam efficientem, ſed deficientem. Damnat ergo Deus creaturas ſuas pro aliquo materialiter, quia damnat eas pro mala operatione, quæ eſt aliquid materialiter : ſed cùm mala operatio ſit quidam defectus, formaliter loquendo potiùs eſt nihil quàm aliquid. Quid ergo damnat Deus? Patet quòd damnat ſolùm quod ipſe nõ B facit, & quod non eſt ex ipſo. Nam peccata & malas operationes ipſe non facit, ſed creatura facit, non ut eſt quædam natura, & ut eſt à Deo, ſed ut eſt quid deficiens, & ut eſt ex nihilo. Totum enim quod facit in nobis Deus, remunerat & præmiat : peccata autem punit, & damnat, quia non facit ea in nobis Deus, nec nos facimus ea ut ſumus à Deo, ſed ut ſumus quid deficiens & ex nihilo. Ex hoc autem poteſt patere, quòd peccata non ſunt facta per Verbum nec à Verbo, cùm Verbum ſit natura Deus, & peccata non ſint à Deo, nec à creaturis ſuis ut ſunt à Deo.

CAP. III.

In quo oſtenditur per quatuor clauſulas ſequentes, quòd mala & peccata non ſunt à Verbo nec per Verbum.



T patet per habita duæ fuerunt clauſulæ propoſitæ, quarum prima eſt, *Omnia per ipſum facta ſunt*, id eſt per Verbum. Secunda eſt, *Et ſine ipſo factum eſt nihil*, id eſt ſine Verbo. Has duas clauſulas propoſitas præcedunt in Evangelio Ioannis quatuor clauſulæ, quarũ prima concludit Divinarum Perſonarũ quantum ad ſubſtantiam, unitatem. Secunda concludit, & aſſerit earundem, quantum ad Perſonas, alietatem, & proprietatem. Tertia affirmat in Divinis Perſonis, quantum ad majeſtatem, æqualitatem. Quarta aſſerit in Divinis Perſonis, quantum ad durationem, æternitatem. Cùm ergo probatum ſit ſex modis, videlicet, per quatuor clauſulas præcedentes, & per duas clauſulas propoſitas quòd mala & peccata non ſunt à Verbo nec per Verbum : volumus

lumus hoc idem ostendere per quatuor clausulas sequentes. Sequuntur enim in Evangelio Ioannis omnia hæc quæ sunt dicta, quatuor clausulæ, quarum prima est, *Quod factum est, in ipso vita erat*. Secunda est, *Et vita erat lux hominum*. Tertia est, *Et lux in tenebris lucet*. Quarta est, *Et tenebræ eum non comprehenderunt*. Posteà sequitur alia materia, *Fuit homo missus à Deo*, de qua non intendimus prosequi in hoc tractatu.

Advertendum ergo quòd primam clausulam quæ est: *Quod factum est, in ipso vita erat*, Augustinus exponens super Ioannem, ait: *De ipso Dei Verbo, sive de ipso Dei Filio, quòd ipse est sapientia Dei*. Omnia ergo sunt facta per ipsum, quia omnia sunt facta per Verbum: & omnia sunt in ipso, quia omnia sunt facta in Dei sapiétia, juxta illud Psal. *Omnia in sapientia fecisti*. Psal. 130. Sed quærit Augustinus quomodo verum est, quod factum est in ipso, vita erat, cùm lapides facti sint in ipso & per ipsum, sed nunquam lapides vivunt: videtur ergo esse falsum, quod factum est in ipso vel etiam per ipsum vita erat. Ad quod dici debet quòd non habetur ex textu, Quod factum est in ipso, vita erat; sed quod factum est, in ipso vita erat: nam omnia facta etiam non viventia cujusmodi sunt lapides, & aqua, & terra, & alia non viventia, antequam fierent erant vita in ipso. Vnde Augustinus super Ioan. & habetur in Glos. ait: *Ipsa terra, quæ facta est, non est vita, est autem in ipsa sapientia spiritaliter ratio quædam, qua terra facta est, hæc vita est*. Et ponit exemplum. Sicut arca in opere non est vita, sed arca in arte, vel in artifice est vita: sic terra, & omnia quæ non vivunt, in se ipsis, & ut sunt in opere exteriori producta, non sunt vita: sed ut erant in Verbo quod est ars Dei Patris plena rationum omnium viventium, ut vult Augustinus 6. de Trinit. cap. ult. sunt vita. Nam in Verbo etiam de non viventibus sunt rationes viventes, aliter non esset ars plena rationum omnium. Ad hoc etiam valent verba Philosophi, qui dicit in 12. Metaph. quòd actio intellectus est vita. Et quia supponit Deum esse intelligentem, ideò concludit ipsum esse vivum, dicens ibidem: *Deus igitur est vivus, æternus in fine nobilitatis*. Benè ergo dictum est quòd quidquid factum est, in ipso erat vita antequam fieret, quia rationes fiendorum in Verbo, sunt rationes viventium: & quælibet talis ratio non solùm potest dici quid vivens, sed etiam potest dici vita. Nam tanta est Dei simplicitas, quòd quæcumque prædicantur de ipso in concreto, possunt prædicari in abstracto: nam si verificatur de Deo quòd est Deus, verificatur de ipso quòd est Deitas: & si verificatur de ipso quòd est vivens, verificatur de ipso quòd est vita. Et quod dictum est de Deo, veritatem habet de omnibus quæ sunt in Deo, quia quid quid est in Deo est Deus, juxta illud, *Nihil in Deo præter Deum*. Ex his autem omnibus arguamus, & concludamus mala & peccata non esse facta à Verbo nec per Verbum. Nam si Verbum est ipsa Dei sapientia, & quidquid factum est à Verbo vel per Verbum, factum est in Dei sapiétia; cùm omne malum & peccatum factum sit cum quadam insipientia, & in quadam ignorantia, quia, ut diximus per Philosophum, Omnis malus ignorans: concludere possumus mala & peccata non esse facta à Verbo nec in Verbo nec per Verbum. Rursus, ut arguamus ex hac prima clausula ut verba jacent, dicamus quòd ipsum Verbum est vita; & quidquid factū est in ipso vel per ipsum erat vita in ipso & vivebat in ipso: cùm ergo mala & peccata, quæ sunt quidam defectus, deficiant à vita, & nunquam possint vivere vel esse vita in Verbo, quia tunc Verbum esset artifex defectivus, claro clariùs patet mala & peccata non posse esse facta à Verbo nec per Verbum.

Ostenso per primam clausulam quæ est, *Quòd factum est, in ipso vita erat*, quòd mala & peccata non possunt esse facta nec à Verbo nec per Verbum, volumus hoc idem ostendere per clausulam secundam, quæ est, *Et vita erat lux hominum*, quod exponens Origenes ait, quòd non est prætermittendum quòd vitam præmittit luci: primò enim agit Evangelista de Verbo ut est vita, dicens: *Quod factum est, in ipso vita erat*. Et posteà agit de Verbo ut est lux hominum, dicens: *Et vita erat lux hominum*. Ipsum enim Verbum non solùm est vita, sed etiam est lux omnium hominum, juxta illud quod in hoc eodem capitulo habetur de Verbo, erat lux vera quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Advertendum tamen quòd non solùm referendo hanc clausulam ad præcedentem primò agitur de vita, quia primò dicitur: *Quod factum est, in ipso vita erat*, & posteà agitur de luce, cùm subditur: *Vita erat lux hominum*, sed si consideremus hanc eandem clausulā, primò agitur de vita, quia primò nominatur hic vita: & posteà agitur de luce, cùm subjungitur quòd hujus nostra vita erat lux hominum: quod ideò factum est secundùm Origenem, ut detur nobis intelligi, quòd non illuminantur nisi viventes: nam primò intelligitur homo spiritualiter vivere, quod pertinet ad esse, quia vivere viventibus est esse: & posteà intelligitur illuminari, quod pertinet ad opera, vel agere, juxtā illud Matth. 5. *Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant vestra bona opera*. Sicut ergo in corporalibus priùs est esse quàm agere, quia nihil

hil agit, niſi ut eſt in actu: ſic & in ſpiritualibus priùs habet aliquis ſpirituale eſſe, & poſteà ex tali eſſe competit ei ſpiritualiter agere. Propter quod Dionyſ. 2. cap. de Eccl. Hier. vult quòd priùs debemus eſſe divini,&poſteà operari divina: vel quod idem eſt, priùs debemus eſſe ſpirituales,& poſteà ſpiritualia agere. Hic enim fallit regula Philoſ. volentis, quia bona facimus, boni ſumus: imò è converſo, quia boni ſumus, bona facimus. Philoſophus enim quia ſolo ductu rationis proceſsit, non potuit videre de bonitate noſtra prout habet eſſe ex infuſione per gratiam, ſed ſolùm ut habet eſſe ex operibus. 4. Eth. c. 5.

Redeamus ergo ad propoſitũ, & dicamus quòd Evangeliſta ſecundùm Origenẽ vitam præmittit luci. Nã per vitam vel per vivere intelligimus eſſe, quia vivere viventibus eſt eſſe; ſed per lucẽ intelligimus operari vel agere. Nam opera ſunt quæ apparent in nobis: propter quod ſicut lux eſt illud quod ſe offert viſui, ſic opera noſtra ſunt illa quæ ſe offerunt viſui, & ſunt illa quæ teſtimoniũ perhibent de nobis, juxta illud Ioan. ubi Dominus ait: *Opera quæ ego facio, teſtimonium perhibent de me.* Quòd autẽ opera aſsimilentur luci, patet per id quod ſuprà diximus: *Sic luceat lux veſtra coram hominibus, ut videant bona opera veſtra.* His itaque excurſis, volumus evidenter & clarè declarare quod diximus. Dicemus ergo quòd per gratiã habemus ſpirituale eſſe, juxta illud 1. Cor. 15. *Gratia Dei ſum id quod ſum*: quod verũ eſt ad litteram, quia ipſum ſpirituale eſſe habemus à gratia: ſed ſpiritualiter operari & agere habemus per virtutes. Spiritualiter ergo gratia præcedit virtutes, ſicut ſpirituale eſſe præcedit ſpiritualiter agere: nulla enim opera ſunt meritoria niſi per gratiã, quia non poſſumus ſpiritualiter agere niſi per virtutes, niſi habeamus eſſe per gratiã. Poſſumus ergo ex his habere argumentũ ad propoſitũ, dicendo quòd Verbũ eſt vita noſtra, quia facit nos ſpiritualiter vivere, id eſt facit nos ſpiritualiter eſſe, dando nobis gratiã, per quam habemus ſpiritualiter vivere, & ſpirituale eſſe. Et ipſum idẽ Dei Verbũ vel Dei Filius, qui eſt vita noſtra, dando nobis ſpiritualiter vivere vel ſpiritualiter eſſe per gratiã: eſt lux noſtra, dãdo nobis per virtutes ſpiritualiter agere, & ſpiritualiter operari. Inſipientes ergo eſſemus, ſi diceremus à Verbo vel per Verbum eſſe mala vel peccata, à quo & per quod eſt noſtrum ſpirituale eſſe dando nobis gratiã: & ſunt noſtra ſpiritualia opera dando nobis virtutes, cùm virtutes & gratia ſint oppoſita noſtris vitiis & peccatis, & ideò tollant & deleant quæcumque vitia & peccata. Matth. 5.

Habito quomodo per primam clauſulam quæ eſt, *Quod factum eſt, in ipſo vita erat.* Nec à Verbo nec per Verbum facta ſunt mala & peccata: & oſtenſo hoc eodẽ per ſecundam clauſulam, quæ eſt *Et vita erat lux hominũ*: volumus hoc idem declarare per tertiã clauſulã quæ eſt, *Lux in tenebris lucet.* Vbi Chryſoſt. ait, quòd cũ dicitur: *Lux in tenebris lucet*, per tenebras mortem & errorem dicit: tenebræ enim noſtrę ſunt errores & mors noſtra. Nec tamen hoc eſt intelligendum ſecundùm eundem Chryſoſtomum de luce corporali, quia illa non lucet in tenebris, ſed tollit & fugat tenebras: ſed hoc intelligẽdum eſt de luce ſpirituali, ſcilicet de luce Chriſti; quia prædicatio Chriſti in medio erroris & ignorantiæ erat, & adhuc eſt per doctos Chriſtianos, & per imbutos doctrina Chriſti. Verè ergo lux Chriſti in tenebris lucet, quia errantes & tenebroſos convertit. Quis ergo erit auſus dicere quòd mala & peccata fiant à Verbo, & per Verbũ, cùm lux Verbi luceat in tenebris, & quantum eſt de ſe ſemper convertit errantes, & tollit mala, quæ ſunt vitia vel peccata.

His itaque omnibus peractis, volumus per quartam clauſulã quæ eſt, *Et tenebræ eum non cõprehenderunt*, declarare hoc idem, ubi Origenes ait, quòd Verbũ eſt vita, quę eſt lux hominũ: ſed ſtulta corda hominũ iſtam lucem capere non poſſunt, quia peccatis ſuis aggravantur. Si ergo peccata nos impediũt, ne poſsimus capere iſtã lucem, quæ eſt Verbũ Dei & Filius Dei, non debemus concedere quòd peccata ſint facta per Verbũ, vel à Verbo: quia effectus non impediũt, ſed ſunt apti nati ducere in cognitionem ſuæ cauſæ: ſi ergo mala & peccata eſſent facta per Verbũ quod eſt lux hominũ, non impedirent ne poſſemus capere talẽ lucem: imò nos diſponerẽt & habilitarent ad cognoſcendũ, & capiendũ eã, cùm ſemper effectus ad capiendũ, & intelligendũ ſuã cauſam nos habilitent, & diſponant. Secundùm ergo decẽ clauſulas, quatuor præcedentes duas propoſitas, & quatuor ſequentes, declaratũ eſt decem viis mala vel peccata non eſſe facta à Verbo vel per Verbũ. Nam intelligendo de malo pœnæ, ut ſuprà diximus, concedere poſſumus tale malũ eſſe factũ à Verbo vel per Verbũ, ſecundùm quem modũ dicitur Amos 3. *Si erit malum in civitate, quod Deus non fecerit?* Quod intelligendũ eſt de malo pœnę, ſive de tribulatione. Vnde Gloſſa marginalis dicit ibidẽ, quòd *Non erit tribulatio niſi à Domino.* Non ergo de malo culpæ; ſed de malo pœnæ vel tribulatione ſecundùm Gloſſam eſt hoc intelligendum. Et in hoc terminetur tractatus iſte, quem intitulari voluimus, de defectu & deviatione malorum, id eſt peccatorum, à Verbo.

B. ÆGIDII COLUMNÆ ROMANI, BITURICENSIS ARchiepiscopi, & Aquitaniæ Primatis, Ordinis fratrum Eremitarum Sancti Augustini, Doctoris Fundatissimi.

TRACTATVS DE PECCATO ORIGINALI.

Qui juxta septem sui nominis litteras, septem capitulis terminatur.

CAP. I.

In quo ponitur intentio operis.

Gen. 18. EGO cùm sim pulvis & cinis loquar ad Dominũ meum dicens: Domine Deus judex justus, si omnes animę tuæ sunt, sicut anima patris, sic & anima filij, portabit ne filius iniquitatem patris? Vertetur ne inter nos illud vulgare proverbium, patres comederunt uvas acerbas, & dentes filiorum obstupescunt? Quod si sic non est, sed justitia justi super eum erit, & anima quæ peccaverit, ipsa morietur, quare innocentibus, & parvulis, liberi arbitrii usum non habentibus, Plotoplastorum noxa imputatur ad culpam? Erit ne peccatum aliquod non voluntarium, cùm per Sanctos tuos Spiritu sancto inspiratos hanc sententiam proferas: *Omne peccatum adeò voluntarium esse, quod si voluntarium non existat, peccati rationem amittat.* Isti namque parvulo si per originem, quam vitare non potuit, originale peccatum imputatur ad noxam, nonne fateri cogimur esse peccatum aliquod quod non volũtate, sed necessitate contrahitur? Quod si hujusmodi culpæ ideò subditur anima, quia carni corruptæ infunditur: deceat ne bonitatem tuam animam bonam à te bono Deo creatam infundere corpori quod fœditatis obnoxium esse cognoscimus? Quid est ergo hoc originale peccatum? Quomodo parvulis imputatur ad pœnam? Quà justitia hoc crimen, culpæ rationem assumit? Quomodo caro infecta inficit animam? Per quam viam hæc noxa in baptismo dimittatur? Qualiter deceat tuam superabũdantem clementiam animam, tam purissimè procreatam permittere maculari? Igitur quia ad hæc lucidè declaranda humana industria minimè sufficit, Pater de cœlis Deus, cujus sapientia attingit à fine usque ad finem fortiter, & disponit omnia suaviter, mittere digneris eam de sede magnitudinis tuæ, ut mecum sit, & mecum laboret, ut sciam quid de his acceptũ sit coram te, & quæ de his veritas sit tenenda.

Ezech. 18. & Hier. 31

CAP. II.

In quo determinatur quid est originale peccatum, & quibus nominibus nominatur.

BGRATIÆ Dei innixus auxilio, priùs investigabo, quid est originale peccatum. Putaverunt autem quidam originale peccatum esse reatum pœnæ, pro peccato primi hominis, ut recitatur à Magistro 2. Sentent. secundùm hoc ergo originale peccatum culpa dici non debet. Ad quod dicendum, fortè movebantur, quia non videbatur eis decens nec congruũ, innocentes infantes culpam habere, qui (ut in prologo tetigimus) liberi arbitrij usum minimè habuerunt. Sed quòd originalis noxa sit iniquitas, & peccatum, satis aperit Psal. cùm dicit: *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea.* Sed de hoc quomodo habeat rationem culpæ infrà pleniùs describetur. Nunc autem investigandũ occurrit, quid nomine originalis peccati intelligi debeat. Invenimus autem à Sanctis (ut patet per August. in de Baptismo parvulorum) hoc peccatum quinque nominibus nominari: dicitur enim concupiscentia: Fomes peccati: lex membrorum, sive lex carnis: languor naturæ: & tyrannus. Itaque ut appareat quomodo omnia hæc nomina peccato originali conveniunt, advertendum quòd peccatum originale est carentia originalis justitiæ cum debito habendi eam. Sic enim imaginari debemus, quòd Deus fecit hominem rectum: sed ipse per aversionem à Deo, infinitis se miscuit quæstionibus, & in innumerabilibus modis peccandi se subjecit. Adam ergo creatus est rectus, quia in eo omnia inferiora superioribus erant subjecta: ea to enim in eo erat subjecta animæ, quia nullus morbus, nulla passio, nulla indispositio poterat insurgere in carne, quæ animæ repugnaret. Rursus, vires inferiores subjectę erant superioribus, ut concupiscibilis & irascibilis sic erant subditæ menti & rationi, ut nihil in eis insurgeret, nisi secundùm ordinem, & dictamen rationis. Iste ordo quodãmodo justitia dici poterat, quia

Psal. 50.

Ista est diffinitio Aug.

quo-

quodammodo juſtum eſt inferiora, ſuis ſuperioribus eſſe ſubjecta. Dicebatur autem hæc juſtitia originalis, quòd duplici de cauſa poterat talem denominationem aſſumere, videlicet, vel quia Adam à ſui origine à Deo talem juſtitiam acceperat, vel quia hujuſmodi juſtitia erat in poſteros per originem transferenda. Erat itaque ſecundũ inſtitutam naturã hic ordo ſalutis; ut quilibet ſalvandus haberet originalem juſtitiam. Sed cùm hujuſmodi juſtitia eſſet derivanda in poſteros per Adam, prout eramus futuri membra Adę, conſecuti fuiſſemus originalem juſtitiam, quę ſecundùm ordinem inſtitutæ naturę, erat neceſſaria ad ſalutem. Vtrum autem ſufficiens eſſet, vel poſt illam originalem juſtitiam neceſſaria eſſet ſuperaddita gratia, ſi volebamus proficere & ſalutem conſequi, inferiùs oſtendetur. In præſenti autem ſufficiat ſcire, hujuſmodi juſtitiam in poſteros derivandam, ſic eſſe neceſſariam, modo quo diximus. Adam ergo peccante, & à ſuo ſuperiori ſe avertente, ordo rationis poſcebat, quòd cùm ipſe nollet ſuo ſuperiori eſſe ſubjectus, quòd ejus inferiora ſuperioribus rebellarent. Propter quod caro ſtatim incepit rebellare animæ, & inceperunt inſurgere in corpore contrariæ diſpoſitiones ipſius formæ: ideo Adam, qui potuit non mori ſi non peccaſſet, eo peccante, neceſsitatem habuit moriendi. Super hanc quidem pugnam ſecundùm quam corpus rebellavit animæ, ſuperaddita eſt pugna ſecunda, ut vires inferiores rebellarent ſuperioribus: inceperunt enim ex tunc inſurgere primi motus, & concupiſcentiæ in viribus inferioribus, prętęr dictamen, & ordinem rationis.

Duo enim contraxit Adam ex eo quòd ſe avertit ab ipſo Deo, videlicet, neceſsitatem moriendi, & neceſsitatem peccandi: quamdiu quidem ſtetit in ſua rectitudine, poterat non mori, & poterat non peccare. Poterat enim non mori, quia eo ſic ſtante, nihil inſurrexiſſet in corpore, quod repugnaret animæ. Poterat non peccare, quia vires inferiores erant omnino ſubjectæ ſuperioribus. Acceperat enim Adam per originalem juſtitiam, unde poſſet ſtare, poterat enim per eam omnia peccata vitare: eo autem peccante, & à Deo ſe avertente, perdidit hanc originalem juſtitiam, & hanc rectitudinem, qua inferiora ſuperioribus ſubjecta erãt. Et quia hujuſmodi rectitudinem peccando perdidit, nõ potuit eam in poſteros transfundere. Hoc eſt ergo peccatum quod diximus originale, quia ipſum ex origine cõtraximus, ſcilicet carẽtia hujuſmodi rectitudinis, & hujuſmodi originalis juſtitiæ, cum debito habendi eam. Secundùm enim ordinem naturæ inſtitutæ neceſſaria erat originalis juſtitia ad ſalutem conſequendam: quia ergo ea caremus, & eam ut ſumus membra Adæ habere tenemur, privatio vel carentia originalis juſtitiæ cum debito habendi eam, eſt originale peccatum. Ex hoc autem apparet, quare hujuſmodi peccatum tot nominibus nominatur. Nam Adam perdendo originalem juſtitiam dicitur fuiſſe vulneratus in naturalibus, quia neceſsitatem habuit moriendi: vel vulneratus, quia peccando natura ejus facta eſt inepta, & inhabilis ad operandum bonum. Fuit inſuper ſpoliatus gratuitis: quia fuit ſpoliatus illa rectitudine, & juſtitia, quam gratis acceperat. Tertiò ex hoc factum eſt, ut vires inferiores ſuperioribus rebellarent. Quartò inde conſecutum eſt, ut in eo eſſet habilitas ad concupiſcendũ. Quintò ex hoc originem ſumpſit, ut in eo eſſet quædã infectio quędã corruptela, & quędã pronitas ad peccãdũ. Prout ergo fuit vulneratus in naturalibus, quod vulnus quodammodo eſt derivatum in poſteros, dicitur originale peccatum, languor naturæ. Prout vero fuit ſpoliatus gratuitis, hujuſmodi peccatum nominatur tyrannus, quia tyranni eſt ſemper ſpoliare ſibi ſubjectos. Tertiò quidem prout vires inferiores rebellaverũt ſuperioribus, hoc peccatum dicitur lex membrorum, ſecundũ quem modum loquitur Apoſtolus ad Rom. dicens: *Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ.* Rom. 7 Quartò verò prout ex hoc fuit in Adam, & etiam in nobis habilitas ad concupiſcendum, dicitur concupiſcentia. Nam originale peccatum, non dicitur concupiſcentia, quia ſit actualis cõcupiſcentia, ſed quia eſt habilitas ad concupiſcendum. Quintò autem prout ex hoc fuit in Adam, & eſt in nobis quędam corruptela, & quædam pronitas ad peccandum, hujuſmodi peccatum dicitur fomes peccati.

CAP. III.

In quo determinatur, quomodo Originale peccatum parvulis imputatur ad pœnam.



VSTITIA Dei exigit, ut ſicut eſt duplex peccatum, originale, & actuale; ita duplex ſit pœna, damni, ſcilicèt, & ſenſus: pœna autem damni reſpondet peccato originali, ſed pœna ſenſus (ut communiter ponitur) reſpondet actuali. Hæ autem duæ pœnæ quodammodo ſe habent ad invicem ſicut ipſa peccata. Nã ſicut contingit aliquos ſolum originale peccatum habere, qui numquam actualiter peccaverunt, aliquos verò qui ſupra peccatum originale plura pec-

ra peccata actualia addiderunt: sic aliqui punientur solùm pœna damni, aliqui verò simul cum pœna damni, experientur pœnam sensus.

Sed dicet aliquis. An oporteat sic has duas pœnas ad invicem esse connexas ita, ut numquam sit pœna damni quin adsit pœna sensus? nam cùm naturale sit quemlibet ex damno dolore, dolor autem sine pœna sensus esse non possit, pœna damni (ut videtur) à pœna sensus separari non poterit. Advertendum ergo quòd licèt pœna sensus à pœna damni separari non possit, pœnam tamen damni à pœna sensus separari contingit. Nullo enim modo esse potest, quòd in aliquo sit pœna sensus, & tamen non sit in eo pœna damni, ut quòd aliquis affligatur, crucietur, & sentiat pœnam, & tamen videat Divinam essentiam, quam videndo non dicatur habere pœnam damni. Quod duplici de causa contingit, primò ex superabundantia delectationis, secundò ex gratia consummata quæ requiritur ad hujusmodi visionē. Primum sic patet, semper enim delectatio diminuit dolorē, & tristitiam, quare non poterit esse superexcellens delectatio cum aliqua tristitia, vel dolore: & quia in visione Divinæ essentiæ erit delectatio superabundans, illa visio nullum dolorem, nullam tristitiam, poterit secum compati: quare esse non poterit, quòd aliquis sentiat dolorem, & pœnam, & tamen videat illam admirabilem Divinitatem: ergo esse non poterit quòd aliquis habeat pœnam sensus, & tamen non habeat pœnam damni.

Secunda via ad investigandum hoc idem sic ostenditur. Nam post hanc vitam nunquam Divina essentia videtur ab aliquo qui non sit omnino mundus, & in quo non sit gratia perfecta, & consummata: in nullo autem tali potest esse pœna sensus: ergo quicumque habet pœnam sensus, de necessitate habet pœnam damni, & caret visione Divinæ essentiæ. Non separatur igitur pœna sensus à pœna damni: attamen è converso esse contingit. Potest enim quis habere pœnam damni absque eo quòd experiatur pœnam sensibilem. Sciendum tamen, quòd damnificari aliquem, est ipsum privari aliquo bono: bonum ergo illud vel est naturale, vel supernaturale: si enim habemus pœnam damni, quia privamur aliquo naturali bono, non video quin ad talem pœnam in habente usum liberi arbitrij non sequatur tristitia, dolor, & pœna sensus. Sed si per pœnam damni privamur supernaturali bono, numquam ad talem damnum rationabiliter sequitur pœna sensus: quia irrationabile est tristari de carentia alicujus boni, quod secundùm naturam obtinere non possumus; ut si secundùm naturam volare nobis non competit irrationabile est si tristemur, si volare non possumus. Sic quia originalis justitia, quæ secundū ordinem naturę institutæ requirebatur ad salutem consequendam, erat bonum superadditum naturalibus: & quia ipsa Divina visio est bonum supernaturale, parvuli decedentes solùm in originali peccato, si privantur visione Divina, habent pœnam damni: sed non propter hoc dolent, vel tristantur: nec etiam habent pœnam sensus, quia vident bonum illud esse supernaturale, de cujus carentia irrationabile est dolere.

Viso quomodo pœna damni separari potest à pœna sensus, de levi patere potest, quomodo justo judicio Dei originale peccatum parvulis imputetur ad pœnam, non ad pœnam sensus, sed damni. Quantum enim ad pœnam sensus, & maximè si illa pœna sit æterna, filius non portabit iniquitatem patris, nec patres, secūdum hujusmodi pœnam comedent uvas acerbas, & dentes filiorum obstupescent. Sed anima quæ peccaverit ipsa morietur, inquantum ad pœnam damni: & potissimè si hujusmodi pœna damni sit carentia boni supernaturalis, justè iniquitas patris filio imputatur. Vt si aliquis rex castrum aliquod daret militi, ejus filij ex successione hereditaria castrum illud possidere debebant; si autem miles ille contra regem forefaceret, nonne justo judicio castrum perderet; quo perdito filij privarentur illo? Itaque in hoc nulla injuria fieret filijs, quia castrum illud liberaliter fuit militi à rege collatum, & filij per patrem debebant consequi tale castrum, quare eo peccante, justè filij incurrunt hujusmodi pœnam. A simili ergo quia originalis justitia liberaliter fuit collata ipsi Adæ, quam debebat in posteros transfundere, eo peccante, & hujusmodi justitiam amittente, non potuit eam transfundere in posteros: quare nos Adæ filij per privationem patris, privati sumus hujusmodi justitia, & rectitudine originali. In hoc tamen nulla injuria facta est nobis, quia illa justitia quodammodo donū supernaturale erat. Igitur cùm nos ab Adam processerimus naturaliter, fortè injuria fieret nobis, si sic procedendo, privaremur naturalibus bonis: sed si sic procedendo naturaliter, non communicatur nobis originalis justitia vel aliquod aliud supernaturale bonum, in nullo injuriatur nobis Deus, nec de eo possumus rationabiliter conqueri. Privati ergo originali justitia, quę secundùm ordinem naturæ institutæ erat necessaria ad salutem, nisi per gratiam Dei, & per Iesum mediatorem Dei, & hominum liberemur, non possumus salutem consequi: quare carebimus divina visione, & propter originale

male peccatum habebimus pœnam damni. Sed hoc non injustè fit, nec propter hoc nobis injuriatur Deus, quia hoc damnum, quod incurrimus propter originale peccatum, non est privatio boni naturalis, sed supernaturalis, scilicèt gratiæ.

CAP. IV.

In quo determinatur, quomodo originale peccatum assumit rationem culpæ.

DVBITABATVR à multis cùm omne peccatum sit voluntarium, & adeò sit voluntarium quòd si non est volũtarium non est peccatum, quomodo originalis noxa cùm non voluntate, sed quadam necessitate originis contrahatur, habeat rationem peccati, & maximè quomodo habeat rationem culpæ: nam culpa super peccatum videtur addere voluntariam inordinationem: concedimus enim aliquando peccatum esse in agentibus naturaliter, dum tamen hujusmodi agentia contingat inordinatè agere: ut si per actionẽ naturalem fiat sextus digitus in manu, vel contingat aliquod aliud monstrum, dicimus esse peccatum in natura, non tamen ibi esse culpam: videtur ergo culpa omninò importare voluntariam nequitiam, & inordinationem. Et cùm Augustin. ait in lib. de Libero arb. Omne peccatum esse voluntarium: accepit peccatum prout est idem quod culpa. Igitur licèt fortè per originem possemus salvare nos contrahere peccatum, prout peccatum extendit se ad actiones naturales, quia generatio, & origo sunt opera naturæ: nullo tamen modo (ut videtur) per originem salvare poterimus quòd contrahamus culpam, vel quòd contrahamus peccatum, ut est idem quod culpa. Sciendum itaque quòd peccato, & culpæ respondet pœna, quare si videre volumus quomodo originale peccatum habeat rationem culpę, videndum est qualis pœna debeatur tali peccato, & quomodo parvuli per hujusmodi culpam puniuntur. Ad hoc autem intelligendum valet exemplum superiùs positum de milite accipiente castrum à rege. Si ergo miles accipiens castrum à rege forefaceret contra ipsum, contra quem forefaciendo perderet castrum, quo perdito, privarentur filij ejus dicto castro: insurgeret, quæstio quomodo filij puniũtur ex castri amissione. Ad quod esset responsio manifesta. Nam filij militis contra regem forefacientis dupliciter cõsiderari possunt. Primo, ut sunt quædam personæ in se. Secundo, ut sunt filij patris, vel ut sunt membra præfati militis. Si considerantur hujusmodi filij ut sunt quædam personæ in se, non puniuntur, nec peccant: non puniuntur quidem, quia eis secundùm se non debetur hoc castrum. Si autem debetur eis castri hereditas, hoc non est, ut sunt quædam personæ in se, cùm eis secundùm se non fuerit hoc castrum tributum, sed hoc solùm esse contingit, in quantum sunt membra patris, vel in quantum sunt membra dicti militis, quia ab illo milite ad suos filios erat castri hereditas derivanda: quare si hujusmodi filij non puniuntur ut quædam personæ in se, sed solùm ut sunt quædam membra patris, & solùm puniuntur in patre, quia secundùm hunc modum non puniuntur in se, sed in patre, ad hoc quòd talis punitio sit justa, non oportet quòd peccaverint in se, sed in patre. Sufficit ergo culpa patris quãtum ad hunc modum punitionis quòd hujusmodi noxa imputetur filijs. Quod ergo dictũ est de castro quod miles à rege accepit suis posteris relinquendum, intelligendum est de originali justitia, quam accepit Adam à Deo in suos posteros filios derivandã: sicut ergo milite forefaciente contra regem, justè amittit castrũ à rege acceptum, sic Adam se avertente à Deo, justè amisit originalem justitiam, quam ab ipso nullis prȩcedentibus meritis, sed solùm gratis acceperat. Ipso itaque Adam originalem justitiam amittente, in posteros filios eam nequit transfundere, quia nullus dat quod non habet. Videntur ergo ex hoc filij Adæ, ex peccato patris esse puniti, quia nascendo non accipiunt originalem justitiam, quam accepissent si Adam eorum pater in sua rectitudine permansisset. Si ergo quæratur, si filij Adæ puniuntur, quia originalem justitiam non accipiunt: nullam difficultatem habet responsio, si priùs dicta ad memoriam reducantur. Patet enim quòd si considerentur filij Adæ ut quædam personæ in se, non puniuntur: quia nullo bono privantur, quod sit eis debitum secundùm se. Sed si considerantur in quantum sunt membra patris, sic aliquo modo puniuntur, quia non transfunditur in nos originalis justitia, quæ secundùm ordinem naturę institutæ per Adam patrem nostrum in nos transfundenda erat: quare si nos carendo originali justitia non punimur ut sumus aliquid in nobis ipsis, sed ut sumus membra ipsius Adæ: ad hoc quod talem punitionem justè patiamur, non oportet quòd peccaverimus in nobis ipsis, sed sufficit quòd peccaverimus in Adam. Et ista est sententia Apostoli ad Rom. 5. ubi probat nos omnes esse peccatores non per operationes factas in nobis ipsis, sed quia peccavimus in Adã: per peccatum enim illius hominis, mors transivit

Lib. 3. cap. 18.

vit in omnes homines, & omnes peccaverunt in illo. Hoc est ergo quod Apostolus ait, quòd sicut per unum hominem in hunc mundum peccatum intravit, & per peccatum mors: ita & in omnes homines mors pertranſivit, in quo uno homine, scilicet Adam, omnes peccaverunt. Ex hoc autem apparere potest: quomodo originale peccatum sit voluntarium. Nam si filijs Adæ non imputatur originale peccatum ad culpam ut sunt aliquid in se, sed ut sunt membra Adæ, ita quòd contrahunt originale peccatum ut ex Adam descendunt: non oportet hujusmodi peccatum originale esse voluntarium per usum liberi arbitrij existentem in pueris parvulis, sed sufficit hujusmodi peccatum esse voluntarium per voluntatem Adæ, & per usum liberi arbitrij existentem in Adam. Et ista est sententia Aug. respondentis Juliano hæretico contendenti nullum peccatum esse in parvulis. Inquit enim Julianus: Si per hominem peccatum intravit in mundum, vel hoc est ex voluntate, vel ex natura. Si ex voluntate, mala est voluntas quæ peccatum facit: si autem ex natura, mala est natura. Cui respondet August. quòd ex voluntate peccatum est. Sed ulteriùs posset quærere Julianus, dato quòd aliquod peccatum sit ex voluntate ut peccatũ actuale, utrum originale peccatũ ex voluntate sit. Cui respondet August. quòd ex voluntate est originale peccatũ, quia hoc est ex voluntate primi hominis seminatum, ut in illo esset, & in omnes trãsiret. Patet ergo quòd sicut per peccatũ originale punimur, sic est culpa, & sic voluntarium; punimur autem ut sumus membra Adæ: ideo sufficit quòd per hoc peccatum peccaverimus in Adam, & quòd fuerit voluntarium in ipso.

Lib. 3. c. 5.

Ibidem, & cap. 24.

CAP. V.

In quo determinatur quomodo caro infecta inficit animam.

Lib. 3. contra Iul. per totum: & præcipuè c. 24.

QUESTA fuit objectio Juliani hæretici contendentis contra August. nostræ fidei defensorem. Dicebat præfatus Julianus August. per quod pecatum invenitur in parvulo? Non peccat ille qui nascitur; non peccat qui gignit, non peccat Deus qui condidit animam: per quas ergo rimas, per quæ foramina, inter tot præsidia, & subsidia innocentię peccatum fingis intrasse, vel ingressum habuisse? Cùm ergo Deus producens animam justus sit, & contingat parentes aliquos justos esse, & ipse parvulus non peccaverit: dubitabat Julianus hæreticus quomodo peccatum originale subintrat infantes, & qualiter anima maculatur à carne. Vt ergo in hoc cap. omnes difficultates contra hanc materiam emergentes tollamus de medio, est diligenter notandum, quòd parvulus iste qui in originali peccato concipitur, tripliciter consideratur. Primo, ut est aliquid in se. Secundo, ut refertur ad parentes proximos. Tertio, ut refertur ad Adam protoplastum. Secundùm autem has tres considerationes, circa hanc materiam triplex difficultas insurgit. Consurgit itaque difficultas prima, ex eo quòd ille parvulus in originali conceptus, est aliquid in se; constat autem peccatum omne esse in anima; cùm ergo anima humana non sit ex traduce; quia intellectus est ab extrà, & rationalis anima immediatè creatur à Deo: si nõ potest traduci accidens nisi traducto subjecto, nõ poterit originale peccatũ à parẽtibus descendere in parvulum, ex quo anima, quæ est peccati subjectum, non est à parentibus derivata. Secunda autem difficultas oritur ex eo quòd parvuli ad parentes proximos referuntur. Nam contingit aliquando parvulorum progenitores esse baptizatos, & non habere originale peccatum, quare si nullus dat quod non habet, quomodo est intelligibile originale peccatum à parentibus derivari in parvulos, si hoc crimen in ipsis progenitoribus non existat? Tertia quidem difficultas oritur ex eo, quòd ipsi parvuli referuntur ad Adam protoplastum. Nam si anima originale peccatum contrahit, quia carni infectæ conjungitur, & caro ista ideò infecta dicitur, quia in Adam primo parente corrupta fuit: cùm omnino incredibile sit dicere totam carnem omnium hominum fuisse in Adam, & cùm possit contingere animam alicujus parvuli uniri alicui carni, de qua nihil omnino fuit in primo parente, consurgit difficilis & admirabilis quæstio: unde in illo parvulo peccatum originale insurgat? Non ex parte animæ, quia illa est immediatè à Deo producta: non ex parte carnis, quia positum est nihil de carne fuisse in Adam protoparente nostro, per cujus corruptionem, peccatum transivit in omnes. Has autem difficultates quidam per opiniones falsas conati sunt solvere. Voluerunt enim aliqui, quòd sicut caro à parentibus traducitur, ita traducitur anima: hoc posito, de facili solvebant difficultatem primam, quomodo originale peccatum subintrat infantes. Dicebant enim, quòd sicut à carne corrupta parentum, progreditur caro corrupta filiorum, sic ab anima peccatrice progenitorum, oritur peccatrix anima prolis. Sed hæc positio stare non potest, dicente Domino per Ezech. *Cap. 18.* Omnes animæ meæ sunt sicut anima patris, ita & anima filij. Et in Psal. Qui finxit sigillatim *Psalm. 32.*

corda

cordâ eorum. Omnes ergo animæ sunt Dei, & non magis est anima patris, quàm anima filij: quia omnes animæ immediatè producuntur à Deo: nulla ergo rationalis anima educitur de potentia materiæ, sed quælibet sigillatim à Deo creando infunditur, & infundendo creatur. Cùm enim intelligere quod est actus rationalis animæ, sit per abstractionem à materia, sufficienter ostenditur rationalem animam, cujus est habere talem operationem, de potentia materiæ non esse eductam.

Secunda autem opinio falsa contra originale peccatum est, dicens, non esse in parvulis traductionem originis, sed similitudinem prævaricationis. Hoc est ergo quod Aug. 1. *cap.* 19. ait in lib. de Baptismo parvulorum loquens de ipsis Pelagianis hæreticis dicens: Sciendum est hæreticos quosdam, qui nominati sunt Pelagiani, dixisse peccatum primæ transgressionis in aliquos homines non propagatione, sed imitatione trãsisse: consueverũt enim filij imitari progenitores. Dicebat ergo Pelagius hæreticus peccatum originale esse in parvulis, non quia per originem aliquod peccatum contrahant, sed quia per originem in peccando consueverunt filij imitari parentes. Secundùm hoc itaque si hæc positio vera esset, plenè solvetur difficultas secunda. Nam cùm dicebatur quòd parentes mundi, & baptizati generabant filios mundos, & sine originali peccato, patet quòd secundũ hunc modum tales filij non nascuntur immundi, nec per originem contrahunt peccatum hoc, sed solùm dicuntur habere originale peccatum imitando parentes. Sed hæc positio Pelagij stare *Rom.* 5. non potest, quia plana est sententia Apost. Quòd *Ephe.* 2. omnes peccavimus in Adam, & quòd omnes natura nascimur filij iræ. Hoc etiam Sancti volunt. Vnde Greg. ait quòd nos ex carnis delectatione concepti, culpam originalem nobis contraxi- *In cap.* 15. *primi Reg.* mus. Et Aug. in lib. de Natura & gratia, vult *circa finem.* parvulos peccatum ex origine contraxisse,

Cap. 3. *Dist.* 3. Ad tertiã autem difficultatẽ vitandã Magister secundo sententiarum, singularis opinionis esse videtur: nam ut salvaret quòd caro infecta in Adam inficit animã omniũ posteriorũ filiorum, posuit quòd nihil est de veritate carnis in filijs, nisi quod à parentibus contraxerunt. Vult enim quòd nihil de alimento transeat in veritatem humanæ naturæ. Illud ergo quod à parentibus traximus, in seipso multiplicatur, & consurgit in tantam quantitatem, quanta sufficit ad veritatem humanæ naturæ: & quia secundùm hunc modum dicendi, nihil de exteriori materia convertitur in veram carnem naturaliter & carnaliter, quidquid est in humanis corporibus, dicitur fuisse in primo homine: secundùm hoc itaque solvitur difficultas tertia. Supponebatur enim animam rationalem posse conjungi alicui carni, de qua nihil omninò fuit in primo parente: propter quod arguebatur quòd si caro illa non fuit infecta in Adam, non potuit inficere animam.

Sed opinio hæc Magistri, stare non potest. Improbavimus enim eam diffusiùs in quibusdam specialibus quęstionibus. Ad prẹsens autem sufficit dicere, quòd si talis esset hominis generatio, non esset naturalis sed miraculosa: quod est inconveniens. Vt ergo prædictæ tres difficultates tollantur de medio, ut sciamus quomodo inficitur in parvulis anima, & per quam viam peccatum originale subintrat infantes: sciendum quòd (ut suprà titigimus) originale peccatum est carentia originalis justitiæ cum debito habendi eam: Si enim Adam in sua rectitudine stetisset, filij nati ex eo consecuti fuissent originalem justitiam, & nati fuissent innocentes. Sed Adam peccante, & originalem justitiam amittente, non potuit eam transfundere in posteros. Quare sicut in Adam post peccatum fuit carentia originalis justitiæ quam habere debebat: sic & in filijs fuit carentia illius justitiæ quam justitiam tenebantur habere in quantum erant membra ipsius Adæ. Et quia hæc carentia cum debito habendi eam, est originale peccatum: cùm in ipsis infantibus sit talis carentia, in ipsis infantibus erit originale peccatum. In peccato enim originali tria est considerare. Primò, carentiam ipsius originalis justitiæ. Secundò, infectionem animę. Tertiò, naturalem originem, per quam talis infectio contrahitur.

q. 3. de Retur. mor.

Tripliciter ergo circa hanc materiam errare contingit: quia vel erratur circa ipsam originalem justitiam: & secundũ hoc oriebatur difficultas prima. Vel erratur circa ipsam originem naturalem, & sic insurgebat difficultas secunda. Vel contingit error quantum ad infectionem animæ, & quantum ad hoc habebat ortum tertia difficultas. Si hæc ergo tria plenè declarare poterimus, sufficienter patefactum erit quod quæritur. Propter primum ergo sciendum, quòd justitia originalis non erat donum ex debito naturæ adeptum, sed ex largitate Creatoris gratis datum. Non ergo sic imaginari debemus, quòd animæ ex sua natura debeatur originalis justitia, quæ unita carni, hujusmodi perfectionem suæ naturæ debitam, perdit. Sed animæ filiorum Adæ, hoc modo habuissent originalem justitiam: quia si primi parentes non peccassent, & originalem justitiam non perdidissent, concepissent sine libidine, & hoc modo in posteros originalem justitiam transfudissent: animæ ergo filiorum Adæ conjunctæ carni, conceptæ sine libidi-

ne,

ne, originalem justitiam habuissent. Igitur ad hoc quòd anima contrahat originale peccatum, nõ oportet eam esse ex traduce, vel esse eductam de potentia materiæ (ut arguebat difficultas prima) sed sufficit eam esse conjunctã carni libidinosæ, & ex corruptione conceptæ. Oriebatur itaque difficultas prima ex errore circa originalem justitiam: quia supponebat eam esse donum naturæ debitum, non gratis datum.

Secunda autem difficultas sic tollitur. Nam homini competit duplex generatio: una carnalis, secundùm quam accepit esse naturæ: alia verò baptismalis, secundũ quã accepit esse gratię. Quãtum ergo ad generationem primam, nascitur homo natura filius iræ, quia cõcipitur in originali peccato. In omnibus ergo considerandum B est quod est per se, & dimittendum quod est per accidens. Iste ergo baptizatus generans filium, vel generat ipsum unde carnaliter natus, vel unde spiritualiter regeneratus. Si unde spiritualiter regeneratus, cùm per hujusmodi regenerationem absolvatur ab originali, producet filium absque originali. Si generat eum unde carnaliter natus, cùm secundũ hoc in originali nascatur, quantumcumque sit ipse baptizatus, generabit filium in originali conceptum. Cũ ergo generatio filiorum sit naturalis, quantumcumque parentes sint baptizati: (quia non generant unde renati, sed unde nati) faciunt filios in originali conceptos. Et ista est solutio C Aug. in lib. de Baptismo parvulorum, qui ait parentes baptizatos generare filios in originali, quia non generant filios secundũ generationem illam qua de novo sunt nati, sed potiùs secundũ eã, qua carnaliter & ipsi priùs sunt generati. Vnde idem ibidem ait; quòd sicut homines circumsciſi generãt filios non circumsciſos, & sicut granum à palea purgatum, generat granum à palea non purgatum; sic homo baptizatus, & ab originali mundatus, generat filium ab originali non mundatum: quia sicut granum producit aliud granum non ex eo quòd est à palea excussum, sed quia est cũ palea ortum: & homo circumsciD sus generat ex eo quòd carnaliter natus est cum præputio, nõ ex eo quòd est posteà circumsciſus: sic homo baptizatus, non generat ex eo quòd est spiritualiter regeneratus, & ab originali absolutus, sed generat ex eo quòd est carnaliter generatus, & in originali conceptus. Difficultas ergo secunda, dicens, ex parentibus baptizatis, & ab originali absolutis, deberi procreari filios ab originali mundatos, oriebatur ex errore circa generationem naturalem: referebat enim difficultas illa generationem filiorum in regenerationem spiritualem, non in generationem carnalem.

2. *cap.* 27.

A Tertia autem difficultas sic solvitur. Nam non debemus imaginari infectionem, & turpitudinem animæ quam contrahit ex originali, esse per appositionem alicujus turpitudinis, sed magis per subtractionem alicujus decoris, & alijus pulchritudinis. Dupliciter enim posset deturpari corporalis imago: primò, per appositionem luti, vel alicujus alterius turpitudinis vel infectionis: secundò, per subtractionem alicujus pulchritudinis, & decoris: ut si imagini amputaretur nasus, vel evellerentur oculi, deturpata diceretur. Sic & in proposito, non inficitur anima ex originali peccato, sicut inficitur imago ex luto: quia hoc modo infectio carnis animam inficere non posset, cùm sit quid spirituale. Sed est ista infectio per carentiam cujusdam pulchritudinis, & decoris: ut per carentiam originalis justitiæ, quæ esset decor & pulchritudo animæ, & quam haberet anima, si conjungeretur carni non libidinosæ, & non ex corruptione conceptæ. Quare ad hoc quòd secundùm hunc modum inficiatur anima, non oportet totam carnem filiorum carnaliter & materialiter fuisse in Adam, ut Magister opinabatur, sed sufficit quòd per propagationem sit caro libidinosè concepta. Patet ergo quòd inficitur anima cujuslibet parvuli ab originali peccato; & peccatum originale inbintrat infantes non obstante, quòd anima non est ex traduce, ut tangebat difficultas prima, & non obstante quòd contingit aliquos generari ex parentibus baptizatis, ut tangebat secunda difficultas: & etiam non obstante quòd tota caro nostra non fuerit materialiter & carnaliter in Adam, ut difficultas tertia prætendebat.

CAP. VI.

In quo determinatur, quomodo in baptismo dimittitur noxa originalis peccati.

EX prædictis, oritur vehemens difficultas, quomodo originalis noxa dimittitur in baptismo? Dicebatur enim quòd originale peccatum est languor naturæ, concupiscentia, lex membrorum, tyrannus, & fomes peccati. Cùm ergo homines baptizati adhuc in seipsis sentiant concupiscentiam, ideſt aptitudinem ad concupiscendũ: & cũ videant quamdam legem in membris suis Rom. 7. repugnantem legi mentis suæ: & cũ ex hoc sit in eis quidam fomes peccati, & quidam languor naturæ: & ulteriùs sit in eis quodammodo quidam

dam tyrannus ; quia ex hoc habent quamdam promptitudinem ut ſerviant peccato ; qualitercumque accipiatur originale peccatum, non videtur quòd dimittatur in baptiſmo.

Sciendum ergo quòd (ut patet ex habitis) originale peccatum eſt carentia originalis juſtitiæ cum debito habendi illam. Sic enim requirebat ordo naturæ inſtitutæ , ut ad conſequendam ſalutem neceſſaria eſſet originalis juſtitia: quare cũ originalem juſtitiam ſecundũ ordinem illum debeamus conſequi inquantum eſſemus membra ipſius Adæ, patet quòd ſalutem conſequi debueramus ſecundũ ordinem naturæ inſtitutæ, exiſtentes membra ipſius Adæ. Peccante itaque Adã, ordo ille non ſolũ fuit interruptus, ſed etiam quodammodo fuit in contrariũ permutatus: ita quòd ſicut ex Adam Protoparente ſecundùm naturam inſtitutam nati fuiſſemus innocentes,& habentes originalem juſtitiam:ſic ſecundũ naturam corruptam ex Adam naſcimur natura filij iræ,& privamur illa rectitudine naturali. Itaque ſecundũ hunc ordinem quem habemus ad Adam non ſolũ ſalutem non conſequimur, ſed in ipſo morimur,quia in ipſo peccavimus omnes. Oportuit ergo quòd per alium ordinem conſequeremur ſalutem. Propter quod in hoc fuit maxima Dei diſpenſatio, quòd mitteret unigenitum Filium ſuum factum ſub lege, factum ex muliere , per quem adoptionem filiorum reciperemus , & per quem poſſemus ſalutem conſequi.

Ephe. 2.

Rom. 5.

Gal. 4.

Eſt igitur dare naturam in triplici ſtatu, ſcilicet in ſtatu innocentiæ : corruptam : & reſtauratam. Innocens quidem natura à Deo eſt creata , ſed per Adam eſt corrupta , per Chriſtum verò mediatorem Dei, & hominum eſt reſtaurata. Hoc ergo modo dimittitur originale peccatum in baptiſmo , non quia nobis reſtituatur originalis juſtitia , ſed quia dimittitur nobis debitum habendi eam. Nam in ſtatu naturæ innocentiæ, ſi permanſiſſemus in tali ſtatu, habuiſſemus originalem juſtitiam: nunc autem in ſtatu naturæ corruptæ non habemus eã, ſed quamdiu ſumus in tali ſtatu, tenemur eam habere. Quando autem per baptiſmum ſumus membra Chriſti, qui naturam humanam reparavit , abſolvimur à debito habendi eam. Debemus ergo imaginari duos Adam : unum terreſtrem , ut Protoplaſtum noſtrum : & unum cœleſtem , ut ipſum Chriſtum. Ante ergo baptiſmum ſumus in ordine Adæ terreni , & ſumus membra illius Adæ : & quia Adæ data fuit originalis juſtitia in ſtatu naturæ conditæ , neceſſaria erat originalis juſtitia ad ſalutem conſequendam , ut eſt per habita manifeſtum : & quamdiu ſumus in tali ordine, tenemur originalem juſtitiam habere. Baptiſmus itaque hoc facit , quòd per baptiſmum conſepulti ſumus morti Chriſti, & facit nos membra Chriſti , ut jam non ulterius dicamur eſſe de ordine ipſius Adæ terreni , ſed magis de ordine ipſius Adæ cœleſtis. Et quia originalis juſtitia neceſſaria erat nobis quamdiu eramus membra Adæ terreni, & quamdiu eramus in ordine illo: nunc autem in ordine alio conſtituti & facti membra Chriſti, abſolvimur à debito habendi originalem juſtitiam, & ad conſequendam ſalutem nõ tenemur habere eam : quia exiſtentes membra Chriſti confertur nobis à Deo quoddam donũ , ut gratia baptiſmalis, quæ (ut patebit) eſt potior ad ſalutem conſequendam, quàm eſſet originalis juſtitia, quam conſecuti fuiſſemus per Adam, ſi ipſe in ſua rectitudine permãſiſſet.

Rom. 6.

Vnde quodammodo ſimile eſt de conſecutione ſalutis , ſicut eſt de tranſitu cujuſdam magnæ aquæ. Si enim eſſet aqua magna,quamdiu non eſſet ibi pons , neſcientibus natare neceſſaria eſſet navis, ſi vellent tranſire aquam: facto autem ibi ponte haberent homines alium ordinem, & aliam viam ad tranſeundum aquã, & ſine navi poſſent aquam tranſire , immò pons potior eſſet , quàm navis ipſa ad tranſeundum. Sic quodammodo eſt in propoſito,quamdiu ſumus membra Adæ terreni , antequam ſimus membra Chriſti , tenemur originalem juſtitiam habere : facti autem membra Chriſti per gratiam baptiſmalem, poſſumus conſequi ſalutem abſque originali juſtitia : abſolvimur enim à debito habendi eam. Patet igitur verum eſſe quod diximus , videlicet , in baptiſmo dimitti originale peccatum , non quia reddatur nobis originalis juſtitia , ſed quia abſolvimur à debito habendi eam. Et inde eſt quòd ſicut in Adam omnes morimur,quia per eum privamur originali juſtitia,quam habere tenemur quamdiu ſumus membra ejus : ſic in Chriſto omnes vivificamur , quia in baptiſmo confertur nobis per ipſum gratia baptiſmalis,& abſolvimur à debito habendi originalem juſtitiam. Relinquendo ergo imaginem Adæ hominis terreni in quo morimur per carentiam originalis juſtitiæ, & debitum habendi eam, & portandi imaginem Chriſti hominis cœleſtis, in quo vivificamur,dimittitur nobis originale peccatum. Vnde Apoſtolus 1. ad Corint. 15. ad hoc nos hortatur dicens : quòd *Primus homo ex terra terrenus , ſecundus homo de cœlo cœleſtis.* Et ſubdit, quòd *Sicut portavimus imaginem terreni , ita portemus imaginem cœleſtis.* Vnde ibidem ait, quòd *Sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Chriſto omnes vivificabuntur.*

Dicamus ergo quòd originale peccatum

ratione qua dicit carentiam originalis juſtitiæ, non eſt formaliter culpa, ſed magis eſt quædam habilitas ad culpam. Ratione verò qua dicit debitum habendi eam, habet quòd ſit formaliter culpa. Ex eo igitur quòd tenemur, vel debemus habere originalem juſtitiam, & non habemus eam, eſt nobis culpa originalis. Quare ſi in baptiſmo abſolvimur à debito habendi originalem juſtitiam, remittitur nobis originale peccatum, inquantum habet rationem culpæ. Ratio autem, quare in baptiſmo dimittitur nobis debitum habendi originalem juſtitiam, eſt, quia datur nobis gratia baptiſmalis, quæ potior eſt ad conſequendam ſalutem, quàm juſtitia originalis. Nam ſecundùm Magiſtrum 2. Sent. *Diſt.* 24. & 29. per originalem juſtitiam ſolùm habebat Adam quòd poſſet ſtare, non autem habebat quòd poſſet proficere. Sed per gratiam baptiſmalem non ſolùm conſequimur quòd poſſumus ſtare, ſed etiam quòd poſsimus proficere: Quare ſicut volens tranſire aquam non teneretur habere navigium ſi eſſet ibi pons, quia pons in tranſeundo eſt navigio potior: ſic ſi volumus ſalutem conſequi, non tenemur habere originalem juſtitiam, ſi habuerimus gratiam baptiſmalem: quia in conſequendo ſalutem, hujuſmodi gratia eſt potior, quàm illa juſtitia.

Quod non ſic intelligendum eſt quòd gratia baptiſmalis ſimul cum originali juſtitia nõ eſſet potior ad conſequendum ſalutem, quàm ſola hujuſmodi gratia: tamen hæc gratia ſine illa potior eſt ad conſequendum ſalutem, quàm illa juſtitia ſine hac gratia: cùm per talem gratiam poſsimus mereri, & proficere, per originalem verò juſtitiam ſolùm ſtare. Ex hoc ergo apparet quòd licèt gratia baptiſmalis, ſimpliciter loquendo, quantum ad cõſequendam ſalutem ſit potior, quàm originalis juſtitia, attamen hęc & illa quodam modo ſe habent ſicut excedentia, & exceſſa. Nam quantum ad ſtandum potior erat originalis juſtitia, quia illa non ſolùm tollebat peccatum, ſed etiam habilitatem ad peccandum: gratia verò baptiſmalis licèt peccatum, & culpam tollat, non tamen tollit habilitatem & pronitatem ad peccandum, ſed ſolùm eam debilitat, & minuit. Ex hoc ergo apparere poteſt intellectus illius verbi Auguſt. in lib. de Nuptijs & concupiſcentia, quòd dimittitur concupiſcentia carnalis in baptiſmo, non ut non ſit, ſed ut non imputetur ad peccatum. Per baptiſmum ergo non tollitur concupiſcentia ut non ſit, quia non redditur nobis originalis juſtitia: ſed tollitur ut non imputetur in culpam, quia abſolvimur à debito habendi eam: ex quo debito originale peccatum, culpæ rationem habebat.

Lib. 1. c. 25. 11.

CAP. VII.

In quo determinatur quomodo Decet divinam clementiam infundere animam corporibus maculatis.



VNT non nulli de ſua intelligentia pręſumentes volentes Divina metiri judicia, dicentes non decere Divinam bonitatem, & clementiam, infundere animam corpori maculato. Sed cùm Deus ſit ipſa bonitas, & ipſa clementia, quidquid voluntate Divina completur in opere, totum ordinatum & juſtum eſt penitùs judicandum. Verùm quia intellectus humanus neſcit quieſcere niſi dictorum ratio aſsignetur, poſſumus triplici via oſtendere quomodo hoc deceat Divinam clemẽtiam, & bonitatem. Sumitur autem hæc triplex ratio ſecundùm quod triplex bonum in rebus aſpicimus, videlicet, univerſale, ſpeciale, & perſonale. Eſt enim quilibet homo primò quædam perſona in ſe: ſecundò, eſt in ſpecie humana: tertiò, eſt pars univerſi. Prout ergo eſt pars univerſi, refertur ad bonum univerſale. Prout verò eſt in ſpecie humana, habet ordinem ad bonum ſpeciale. Sed prout eſt quædam perſona in ſe, eſt in ſe ipſo quoddam perſonale bonum.

Prima itaque via ſumpta ex bono univerſali, ſic patet: nam ſpectat ad univerſalẽ cauſam principaliter intendere univerſale bonũ; ubi ergo non impediretur univerſale bonum ex aliquo particulari malo, decet principem univerſi permittere aliquod particulare malum, ne impediatur univerſale bonum. Et quia magnus eſt decor univerſi ex humana ſpecie, non decet Divinam bonitatem impedire generationem in ſpecie humana, quantumcumque non poſsit fieri talis generatio niſi infundantur animæ corporibus maculatis: quia ſi impediret generationem humanam, & animæ non infunderentur corporibus, ipſi univerſo tolleretur maxima pulchritudo. Iſtam viam videtur tangere Auguſt. in Enchiridion, qui vult Deum decenter permittere aliquam inæqualitatem in rebus, & aliquos defectus in creaturis, ne aliquis decor detrahatur ab univerſo: unde *Cap.* 10.

ait

quòd *Ex omnibus constat universitatis admirabilis pulchritudo.* Secunda via sumitur ex ipsa specie humana, vel ex ipsa natura humana, sive ex ipso bono speciali. Nam quia homines nascuntur peccatores, Deus Pater motus clementia, & pietate ordinavit ut magnus veniret medicus, eò quòd ubique magnus jacebat ægrotus. Iste autem magnus medicus est Dei Filius assumés carnem, per quam assumptionem tota natura humana, & omnes homines sunt quodammodo mirabiliter sublimati: ita ut post Filij Dei incarnationem, omnes Angeli se reputent conservos nostros: quia licèt ante incarnationem permitterent Angeli se adorari ab hominibus, ut patet in Daniele, qui cecidit in faciem suam, & adoravit Angelum loquentem ei: post incarnationem tamen hoc non est permissum: nam ut habetur in Apoc. Ioannes hoc volens facere, est prohibitus ab Angelo dicente sibi: *Vide ne feceris, conservus enim tuus sum, & fratrum tuorum.* Quare cùm Deus præviderit hominem peccaturum, & præviderit se immaculatas animas maculatis corporibus infundere, quod prævidendo ordinavit Filium proprium in carnem mittere, ex qua incarnatione, humana species sit tota sublimata: patet quòd hoc arguit maximam Dei bonitatem, & clementiam, ex qua species humana consecuta est tantũ bonũ.

Dan. 10.

Apo. 19. & 22.

Tertia via sumitur ex bonitate personali. Nã ipsæ personæ humanæ consequuntur multa bona ex redemptore nostro. Nam ex hoc, ipsis personis humanis, fiunt multæ gratiæ speciales. Hanc autem viam innuit Greg. cùm peccatum Adæ propter quod nascimur natura filij iræ, & animæ infunduntur maculatis corporibus, appellat fœlicem culpam dicens: *O fœlix culpa quæ talem ac tantum meruit habere redemptorem.* Etsi contingat aliquas personas humanas non fieri participes hujusmodi redemptionis, hoc est ex culpa sua, vel ex culpa parentum, nec propter hoc humana generatio est prætermittẽda quin fiat secundùm omnem gentem, & secundùm omnem nationem. Sicut non debet impediri pluvia quæ fit propter nascendum frumentum, vel propter alia terræ nascentia, licèt pluat alicubi ubi privatur tali fructu, & licèt alicubi pluvia faciat ad destructionem frumenti, ut cùm frumentum est in area congregatũ. Bona enim quæ de se sunt universalia, propter particulares defectus, sunt minimè impedienda.

In benedict. fœrei.

Recapitulat. Patefacta sunt ergo quæ in proëmio dicebantur: nam ostensum est, quid est originale peccatum, quia est languor naturæ, inquantum eam inhabilitat ad bonum. Est fomes peccati, inquantum eam habilitat ad malum. Est concupiscentia, prout nos reddit pronos ad concupiscendum. Est lex carnis vel lex membrorum, pro Aut membra & carnem facit rebellem menti, & rationi. Est tyrannus, prout nos facit pronos ad serviendum peccato.

Secundò ostendebatur quomodo hujusmodi peccatum parvulis imputatur ad pœnã: quia sicut peccant, sic ordinãtur ad pœnam; non autem peccaverunt ut sunt quædam personæ in se, sed ut sunt quædam membra Adæ: sic puniuntur ut sunt Adæ membra, non ut sunt aliquid in se ipsis. Nam originalis justitia qua privamur per originale peccatum, non debebatur parvulis ut sunt aliquid in se, sed ut ab Adam in eos erat hæc justitia transfundenda. Rursus, visio Divina, cujus carentia ponitur pœna originalis peccati, nõ debetur hominibus secundùm se: sed eam habuissent, si in sua innocentia, & in originali justitia permansissent.

Tertiò declaratum est quomodo originale peccatum habet rationem culpæ: cùm hoc peccatum sit carentia justitiæ originalis cũ debito habendi eam, ratione, qua est carentia, non est formaliter culpa, sed ratione debiti habendi: & quia tenemur hujusmodi justitiam habere, reputamur culpabiles. Ex quo apparet quòd cùm non teneamur eam habere nisi inquantum sumus membra Adæ, omnes peccavimus in Adam: & per illum hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors.

Rom. 5.

Quartò ostensum est, quomodo hæc noxa subintrat infantes, quia hoc est, non prout sunt quædam personæ in se, sed prout sunt quædam membra Adę Protoparentis nostri.

Quintò ostendebatur, quomodo talis noxa in baptismo dimittitur: nam cùm ostensum sit eam habere rationem culpæ, non ratione carentiæ originalis justitiæ, sed ex eo quòd tenemur habere eam, in baptismo dimittitur hæc noxa, quia absolvimur à debito habendi talem justitiam, ut ex tunc non ulteriùs nobis imputetur ad peccatum, si caruerimus ipsa: quoniam (ut per August. patuit) tollitur in baptismo concupiscentia, non ut non sit, sed ut non imputetur ad peccatum.

Sextò & ultimò declarabatur, quòd decebat Divinam clementiam & bonitatem infundere animam corporibus quantumcumque maculatis, & hoc propter triplex bonum, universale, speciale, & personale. Verè ergo Domine Deus tibi soli peccamus, & vincis cùm judicaris: quia tu solus in omnibus æquus es, & quæ animalibus hominibus iniqua videntur, æquissima ratione sunt à te condita. Tu ergo solus bonus & pius, & nos in iniquitatibus concepti sumus, & in peccatis concepit nos mater nostra. Sed tu pro tua pietate miserere nobis, ut facie ad faciem te videre possimus, qui es benedictus in sæcula sæculorum. Amen.

Psal. 50.

FIN.

B. ÆGIDIJ COLVMNÆ ROMANI, S. R. E. CARDINALIS Archiepiscopi Bituricensis, & Aquitaniæ Primatis, Ordinis fratrum Eremitarum S. Augustini, de Charactere libellus.

OCCasione cujusdam clerici minus sufficienter in subdiaconum promoti, tria in presenti tractatu principaliter investigabimus.

1. Quid sit Character, & in quibus Sacramentis imprimatur?
2. Cùm in quolibet ordine imprimatur Character, in quo puncto illius ordinis imprimatur?
3. Vtrum, Clerico ad ordinem subdiaconatus ordinato sine minoribus ordinibus: & qui incepit ordinari ordine subdiaconatus, & non stetit usque ad finem dictę ordinationis, imprimatur Character, ut ex B hoc teneatur ad perpetuam continentiam?

QVÆTIO PRIMA.

ROpter primam quęstionē est iciendum, quòd nomine characteris non potest intelligi aliquid corporale, quia tunc esset quid visibile; nullam autem videmus visibilem mutationem factam in recipiente sacramentum, in quo imprimitur character; propter quod cogimur ponere, characterem esse aliquid spirituale. Dicemus enim, quòd si mali, tempore Antichristi, dicentur recipere characterem bestię, ut habetur in Apocalypsi, ubi dicitur: *Et factum est vulnus sævum, & pessimum in omnes,* (vel ut habent quidam textus) *in homines, qui habebant characterem bestiæ.* Cap. 19. Quod solùm de charactere corporali, vel de vulnere solùm corporali non potest intelligi; cùm per merè corporalia non mereamur, nec demereamur, nisi prout ex spiritualibus procedunt. Sicut ergo qui sunt diaboli, & qui circa finem mundi erunt ex parte Antichristi, dicuntur habere characterem, & imaginem bestię: sic qui se tenent ex parte Christi, dicuntur habere characterem & imaginem Christi. Apostolus tamen ad Corinthios comparat imaginem Christi ad imaginem Adæ, dicens: *Sicut portavimus imaginem terreni, portemus & imaginem cælestis.* 1. Cor. 15. f. Tamen qualitercumque sumatur imago, vel character per oppositum ad Christum, semper est imago, & character corruptionis spiritualis: & qualitercumque sumantur talia per adhesionem ad Christum, semper sumuntur per modum gratiæ spiritualis, accipiendo gratiam largè pro quocumque dono spirituali. Revertamur ergo ad propositum, & dicamus, quòd character nominat aliquod signum spirituale in anima, in quo anima hominis, habentis characterem, distinguitur ab anima non habente.

corporalibus solum non meremur nec demeremus.

Viso, quòd character est quid spirituale distinctivum, volumus declarare quale sit tale signum. Vtrum scilicet solis bonis conveniat, vel solis malis, vel possit convenire utrisque? Constat autē quòd non possit cōvenire solis malis, cum non recipiant characterem, nisi sint recipientes sacramenta Ecclesię, in quibus imprimitur character: sacramenta autem Ecclesiæ (quęcumque sint illa) quantum est de se, bona sunt, & ad bonum salutis animarum nostrarum ordinata sunt. Cùm ergo mali devient à salute, signa ista spiritualia, quę dicuntur characteres, per se conveniunt bonis, per accidens autem conveniunt malis: quia cùm character sit signum indelebile, & quamdiu sumus in via, peccare possimus, characteres non solùm habent esse in hominibus bonis, sed etiam in malis: sed in bonis sunt per se, & in malis per accidens. Et quia ex naturalibus sumus apti nati cognoscere alia, & potentię naturales animę sunt communes bonis & malis, characteres erunt quędam potentiæ spirituales animę, quæ possunt esse communes bonis & malis. Et si hęc ratio sit nimis logica, & non sufficiat ad concludendum, sed ex quibusdam probabilibus procedat; tamen si consideremus sacramenta, in quibus imprimitur character, sufficit concludere characterem esse quamdam potentiam spiritualem. Nam juxta triplicem modum potentiæ, repertum in corporalibus, per quę oportet nos in spiritualia ascendere, in tribus sacramentis imprimitur character. Videmus enim in his corporalibus triplicem potentiam, videlicet recipiendi, & hęc est potentia materię, materia enim est in potentia ad diversas formas. Alia verò est potentia resistendi, ut non recipiant de facili peregrinas impressiones. Tertia est potentia agendi, secundùm quam dicimus calida habere potentiam calefaciendi. Sic etiam in tribus sacramentis imprimitur character: nam in Baptismo imprimitur character, id est, spiritualis potentia recipiendi spiritualia dona: nam sine Baptismo in re, vel sine Baptismo in voto (quantum est de lege communi) non fit receptio spiritualium donorum vel bonorum. Dicimus quantum est de lege communi, quia Deus, qui non alligavit virtutem suam sacramentis, potest in utero matris hominem sanctificare, juxta illud Ieremię; *Priusquam te formarem in utero, novi te, & antequam exires de vulva sanctificavi te.* Et sicut in Baptismo imprimitur spiritualis potentia recipiēdi, Cap. 1. sic in Confirmatione recipitur spiritualis potentia resistendi. Ideò forma Confirmationis est, *Signo te signo crucis, confirmo te chrismate salutis.* Fit enim talis confirmatio in fronte, ut non erubescentes, audacter confiteamur nomen Christi, & audacter resistamus diabolo: & sicut fit corporaliter in fronte, sic fit spiritualiter in anima quædam spiritualis potentia ad resistendum diabolo. Fit etiam ibi mentio de cruce, & de confirmatione salutis, ut ex hoc significetur, quòd ibi spiritualiter confertur potentia resistendi diabolo. In sacramento autem ordinis confertur potentia agendi spiritualia, quia (ut in prosequendo patebit) in quolibet ordine confertur aliqua potentia spiritualis, per quam agi potest aliquis spiritualis actus. Patet ergo, quòd in ipsa prima quæstione quęrebatur, videlicet, quid sit character, quia est quoddam signum distinctivum, in quo distinguuntur habentes istam spiritualem potentiam à non habentibus. D Patet etiam in quibus sacramētis hujusmodi character imprimatur, quia juxta triplicem modum potentię superiùs prętaxatæ, imprimitur in tribus, videlicet, in sacramento Baptismi, Confirmationis, & sacri Ordinis.

QVÆSTIO SECVNDA.

POpter quæstionem autem secundò propositam (Quis sit ille punctus, in quo imprimitur character in quolibet Ordine?) sciendum est, quòd in quocumque ordine fit quædam oblatio rei visibilis & corporalis, ad cujus contactum, unà cum verbis dictis ab Episcopo, fit impressio in

Anima cujusdam potentiæ ſpiritualis. Cùm autem hujuſmodi oblatio rei corporalis aliquando fiat ab Archidiacono, aliquando ab Epiſcopo, quia Archidiaconi non eſt ordinare, ſed Epiſcopi, in oblatione facta ab Archidiacono de re corporali, ſive ſit una, ſive plures, non imprimitur ibi character: ſed in oblatione facta ab Epiſcopo imprimitur ibi character. Sed dices, quod aliquando in uno & eodem ordine plura corporalia offeruntur ab Epiſcopo; & tamen in uno & eodem ordine non imprimitur niſi unus character. Ad quod dici debet, quòd ſi in uno & eodem ordine, uni & eidem ordinato Epiſcopus plura corporalia confert & tribuit, videndum eſt quod inter illa corporalia ſit excellentius quantum ad miniſterium Euchariſtiæ, ad quod omnes ordines ordinantur: quia eo, in illo puncto, quo in ordinatione verba proferuntur ab Epiſcopo, aliquod corporale tradente, imprimitur in anima ordinati character. Et ut diſcurramus per ſingulos ordines, dicemus primum ordinem eſſe Oſtiariorum, qui de manu Epiſcopi accipiunt claves, de manu verò Archidiaconi oſtia Eccleſiæ, & funes campanarum. In illis ergo rebus corporalibus, quas accipiunt ab Archidiacono, videlicet, in funibus campanarum, & in oſtijs Eccleſiæ, non imprimitur character: ſed cùm accipiunt claves ab Epiſcopo dicente, *Sic agite quaſi reddituri Deo rationem pro his rebus, quæ his clavibus recluduntur*, imprimitur character Oſtiariorum. Poſt hunc ordinem eſt ordo Lectorum, in quo non eſt niſi una collatio, videlicet, libri, in quo leguntur lectiones, facta, Epiſcopo dicente: *Accipite, & eſtote verbi Dei relatores &c.* In quo nulla poteſt eſſe dubitatio, quando, & in quo puncto character, id eſt, ſpiritualis potentia hujus ordinis imprimatur: quia fit talis impreſsio in ipſa traditione libri, dicente Epiſcopo verba ſuperiùs poſita. Poſt ordinem autem Lectorum, eſt ordo Exorciſtarum, in quo etiam non poteſt eſſe dubium, quando, & in quo puncto fiat impreſsio characteris: quia cùm non tradatur ibi niſi una res corporalis, videlicet, liber, in quo ſunt exorciſmi, in traditione illius libri, dicente Epiſcopo: *Accipite, & commendate memoriæ, & habete poteſtatem imponendi manus ſuper energumenum, ſive baptizatum, ſive catechumenum*, imprimitur character illius ordinis.

Advertendum autem, quod ad inſtruendum nos, quòd character ſit potentia ſpiritualis, in quibuscumque ordinibus ſit ſpecialis mentio de poteſtate, ſicut in hoc ordine Exorciſtarum, qui ſpecialiter eſt contra dæmones, ad abjiciendum eos de corporibus obſeſsis. Omnes enim obſeſsi corporaliter à dæmonibus dici poſſunt energumeni, quaſi interiùs laborantes: eſt enim energia idem quod interior actio, juxta illud Hieronymi in Prologo Bibliæ: *Habet neſcio quid latentis energiæ, viva vocis actus.* Vox enim viva ultra vocem ſcriptam, habet quamdam latentem operationem: quia magis movebit diſcipulum vox viva à magiſtro prolata, quàm mortua in libro ſcripta. Et quia dæmones per latentem operationem vexant corpora noſtra, ideò ſic vexati dicuntur energumeni, id eſt, interiùs laborantes.

Advertendum etiam, quòd quando Exorciſtæ accipiunt poteſtatem ad abjiciendum dæmones de corporibus obſeſsis (quia intra Eccleſiam dicuntur eſſe non ſolùm baptizati, ſed etiam catechumeni, id eſt in fide inſtructi; & quia nihil ad Eccleſiam de his quia foris ſunt) ideò cùm datur eis talis poteſtas imponendi manus ſuper energumenos, ſpecialiter additur, ſive baptizatos, ſive catechumenos, ut ex hoc ſpecialiter detur intelligi, quod qui non eſt baptizatus, nec catechumenus, eſſe extra Eccleſiam judicatur. Poſt

1. *Ordo ex minoribus.*

2. *Ordo.*

3. *Ordo.*

Ad Paulinū Phresbyt.

1. *Cor. 5.*

A Exorciſtas autem ſunt Acolyti, quorum officium eſt ceroferarium conferre, & luminaria accendere, & vinum & aquam ad Euchariſtiam miniſtrare. In ordine ergo Acolytorum, eſt dare duo corporalia, ab Epiſcopo tradita: quia Epiſcopus primò tradit Acolytis ceroferarium cum cereo, dicens: *Accipite ceroferarium cum cereo &c.* Secundò tradit eis urceolum vacuum, dicens: *Accipite urceolum ad ſuggerendum vinum, & aquam &c.* Propter quod meritò quæritur, quomodò cùm duo ſint officia Acolitorum, videlicet, ſervire de ceroferario cum cereo, & de urceolo, & cùm utrumque iſtorum accipiat ab Epiſcopo, in quo iſtorū imprimatur character? Sed ad hoc plana eſt ſolutio: quia ſervire de urceolo ad ſuggerendum vinum & aquam in Euchariſtia ſanguinis Chriſti, immediatiùs ſe habet ad ſacramentum Euchariſtiæ, ad quod aliquo modo ordinantur omnes ordines, ideò in datione urceoli, cum verbis, quæ tunc debet dicere Epiſcopus, imprimitur character in Acolytis. 4. *Ordo.*

B Conſequens eſt ergo agere de Subdiaconatu, propter quem ordinem omnes hæ quęſtiones ſunt ortę & motæ: & videndum eſt quando imprimatur character in Subdiacono. Sciendum ergo, quòd ſex traduntur Subdiaconis, tria, videlicet, ab Archidiacono, & tria ab Epiſcopo. Ab Archidiacono enim traduntur urceolus cum aqua, Bacile, & Martyrologium. Ab Epiſcopo verò primò Patena vacua & Calix vacuus cum verbis ad hoc ordinatis, quæ ſunt hęc, *Videte cujus miniſterium vobis traditur &c.* Poſtea ab eodem Epiſcopo traditur Manipulus, & tertiò Tunicella: vel ſecundùm ordinarium Romanæ curiæ, primò Tunicella, & poſtea Manipulus. In nullo autem illorum, quæ Subdiaconus accipit ab Archidiacono, imprimitur character: quod tripliciter conſtare poteſt. Primò, quia (ut ſuperiùs tangebatur) Archidiaconi non eſt ordinare, ſed Epiſcopi. Secundò, quia Archidiaconus omnia illa tria ſimul tradit: & tamen traditio illius rei, ſecundùm quam imprimitur character, ab C eo, cujus eſt hoc facere, fit ſeparatim ab alijs: nam Epiſcopus primò tradit ſolum Calicem cum Patena, & poſteà ſeparatim tradit alia. Tertiò quia non oportet, quòd Archidiaconus dicat aliqua verba in traditione illorum. Eſt enim in talibus hęc regula obſervanda, quòd quando imprimitur character, ſemper tradatur aliquid corporale, quod ſe habet ut elementum, ut puta in Baptiſmo, aqua: in Confirmatione, chriſma, & ſic de alijs: & quòd ſemper dicantur ibi aliqua verba: quia ex his duobus fit ſacramentum, juxta illud Auguſtini ſuper Ioannem, *Accedens verbum ad elementum, fit ſacramentum.* Videndum ergo eſt de his, quę conferuntur ab Epiſcopo, in quo imprimatur character. Sed (ſi bene conſiderentur prædicta) non habet dubium quod quæritur. Nam cùm tria tradantur ab Epiſcopo, videlicet Patena ſimul cum Calice vacuo, manipulus, & tunicella, conſtat quòd in D traditione illius imprimitur character, quod magis ex propinquo deſervit Euchariſtię ad quam aliquo modo ordinantur omnes ordines, & potiſsimè ordines ſacri, inter quos (quantum ad modernos) Ordo ſubdiaconatus computatur: & quia calix cum patena magis ex propinquo deſervit Euchariſtiæ, in ordine ſubdiaconatus in tradicione patenæ & calicis, unà cum prolatione verborum ad hoc ordinatorum, imprimitur character. *Subdiaconus* *Tract. 80.*

His itaque peractis, videndum eſt de ordine Diaconatus, in quo ab Epiſcopo quatuor corporaliter ſiunt: primò enim ſolus Epiſcopus imponit manum ſuper capita eorum: ſecundò, dat eis ſtolam: tertiò dalmaticam: quartò Evangelium, dicens, *Accipite poteſtatem legendi Evangelium in Eccleſia Dei.* Vel ſecun- *Diaconus.*

dùm

dùm Ordinarium Romanæ curiæ primò dat eis librum Evangelij cum verbis ad hoc ordinatis, & posteà tradit dalmaticam. Videndum est ergo, in quo istorum imprimatur character. Ad quod dici debet, quòd in traditione libri Evangelij cum verbis ad hoc ordinatis, videlicet, *Accipite potestatem &c.* imprimitur character. Quod tripliciter declari potest. Primo, ex eo quod quilibet character est quædam spiritualis potestas. Cùm ergo in traditione libri Evangelij, & non in alijs fiat mentio de potestate, in traditione dicti libri character imprimitur. Secundo, quia in Evangelio traditur forma conficiendi corpus & sanguinem Christi, ut ex hoc in traditione libri Evangelij imprimatur character, & potestas ad serviendum altari eo modo, quo debet servire Diaconus: in quo altari conficitur corpus & sanguis Christi. Tertio, quia ipsius diaconi Dicitur esse triplex officium, videlicet, Ministrare ad altare, Baptizare, & Prædicare. Sed ex eo quòd Diacono datur potestas legendi Evangelium, datur sibi potestas prædicandi, & ministrandi ad altare. Et quia per prædicationem Evangelij in primitiva Ecclesia homines convertebantur, & deinde baptizabantur, ideò baptizare dicitur ad ejus officium pertinere. Et quia omnia illa tria in traditione libri Evangelici includuntur, rationabiliter concluditur, quòd in traditione talis libri, & talis potestatis, in ordine Diaconatus imprimatur character

Diaconi triplex officiū.

Sacerdos.

Restat ergo ultimo videre, quando imprimatur character in ordine sacerdotali. Sed cùm multa fiant in collatione talis ordinis, non oportet singula enarrare. Sed cùm character sacerdotalis sit potestas conficiendi corpus Christi, ut tale sacrificium offeratur Deo, & oblatio talis sacrificij fiat in celebratione Missæ, nulli dubium esse debet, quòd, quando Pontifex accipit patenam cum oblatis, & calicem cum vino & aqua, & dat cuilibet sacerdoti, dicens; *Accipe potestatem offerendi sacrificium Deo, Missamque celebrandi &c.* In tali traditione unà cum prolatione dictorum verborū, imprimatur character sacerdotalis in sacerdote.

QVÆSTIO TERTIA.

HIS itaque transcursis, restat videre de tertia quæstione: Vtrum ille Clericus ad ordinem subdiaconatus minus sufficienter ordinatus acceperit characterem, qui imprimitur in tali ordine, & ex hoc teneatur ad perpetuam continentiam, ut de cætero sibi non liceat nubere, nec cum aliqua conjugalem copulam habere. Verùm quia ex factis jus oritur, necesse est, volentem judicare de aliquibus esse instructum quoad facta, & quoad jura. Ait enim Phus 1. Rhetoricorum; *Quòd oportet judicem esse medium inter leges & partes, & ab utrisque discere & doceri.* Nam à partibus debet discere quid factum, & quid non factum: à legibus verò quid justum, & quid non justum. Propter quod in talibus dat bonum documentum, videlicet, quòd quantum possibile est, omnia determinanda sint legibus, & quàm paucissima committenda Iudicibus: & assignat ad hoc rationes plures, de quibus ad præsens supersedemus. Et licèt nesciamus leges & jura, assueti tamen sumus ad eas rationes, quas sancti Doctores, & ad eas, quas sapientes Philosophi tradunt: quibus rationibus leges & jura inniti debent. Primò ergo à partibus, vel à parte accipiemus, quid factum, & quid non factum: & posteà à rationibus, quid judicandum, & tenendum,

Cap. 1.

A vel non tenendum. Cùm igitur agatur hìc de foro conscientiæ, ubi sine testibus creditur confitenti; & confiteatur pars, sive ille Clericus minus sufficienter in Subdiaconum ordinatus, quòd fuit ascriptus ad ordinem subdiaconatus absque priorum ordinum receptione, confitetur etiam quòd & si inceperit ordinari subdiaconus, non tamen stetit usque ad finem dictæ ordinationis.

In foro conscientiæ sine testibus confitenti creditur.

Orientur hìc duæ difficultates; una: Vtrum ex hoc quòd non acceperat priores ordines, & non fuerat factus ostiarius, lector, exorcista, & acolytus, potuerit fieri Subdiaconus. Sed hoc de levi solvitur, quia si esset vera opinio dicentium, quòd in omnibus quatuor primis ordinibus non imprimitur nisi unus character tantùm, quia in primo ordine imprimitur character ille imperfectè, in secundo magis perfectè, & sic successivè usque ad ultimum ordinem, in quo præfactus character habet esse omnino perfectè, posset esse dubium quod dicitur. Sed hæc opinio stare non potest, B quia in primitiva Ecclesia fiebant ordines per saltum, & accipiebat quis posteriorem ordinem absque acceptione prioris; quod fieri non potuisset, si ilta opinio vera esset. Propter quod communiter tenetur, quòd quilibet ordo habeat suum characterem distinctum ab alio. Ideò promotio per saltum fieri potest, licèt valdè peccaret ille, qui modò hoc faceret. Peccavit ergo ille Clericus accipiendo ordinem subdiaconatus absque prioribus ordinibus. Hoc tamen non obstante, potuit ei imprimi character, qui imprimitur Subdiacono.

In primitiva Ecclesia conferebantur ordines per saltum, ut habetur extra de Presbyt. Ordinato per.

Soluta ergo prima difficultate, restat solvere secundam, quæ est: Vtrum ex hoc quòd ipse clericus non stetit usque ad ordinationis finem, susceperit characterem, & ex hoc sit factus inhabilis ad contrahendum. Ad quod dici potest, quòd in aliquibus ordinibus imprimitur character in principio illius ordinationis, in qua recipitur ordo talis, ut in Ostiarijs statim cùm offeruntur claves clerico ordinando, cum C prolatione verborum Episcopi: *Sic agite &c.* Ille hujusmodi clericus accipit characterem ostiarij, & esset Ostiarius, si tunc recederet. Peccaret tamen, si hoc faceret, quia debet ordines recipere secundùm statuta, & ordinationem Ecclesiæ. In aliquibus verò ordinibus imprimitur character non in principio, sed in processu, ut Acolyti primò accipiunt ceroferarium cum cereo, dicente Episcopo sua verba, sed ibi non imprimitur character: posteà accipiunt urceolū ad suggerendū vinum & aquā in Eucharistiam sanguinis Christi, & in traditione talis urceoli cum prefatis verbis ab Episcopo prolatis, imprimitur character. In aliquibus verò ordinibus character imprimitur in fine, vel quasi in fine ordinationis, ut in diacono, & sacerdote, ut potest per habita esse manifestum. Cùm ergo in ordine subdiaconatus in principio ordinationis imprimatur character, quia in principio clericus sic ordinan- D dus accipit de manu Episcopi patenam & calicem vacuum, dicente Episcopo; *Videte cujus ministerium vobis traditur &c.* In qua traditione & verborum prolatione imprimitur character in subdiacono. Sunt enim verba illa (quantum ad formam dicti ordinis) hæc, *Videte cujus ministerium vobis traditur: & ideo si usque nunc fuistis tardi ad Ecclesiam, amodo debetis esse assidui; si usque nunc somnolenti, amodò vigiles: si usque nunc ebriosi, amodo sobrij; si usque nunc inhonesti, amodo casti. Ideò vos admoneo, ut tales vos exhibeatis, quod Deo placere possitis.* Ordinarium tamen Romanę Ecclesiæ plura verba immiscet: sed ilta videntur sufficere ad formam, & ad accipiendum characterem.

Et quia non videtur probabile, quòd ille clericus ordinandus non acceperit patenam & calicem,

quæ

quæ primò offeruntur, & non ſteterit tantum, quòd prærata verba audierit, quæ primo dicuntur, ideo probabile credendum eſt, quòd ipſe ſit ſubdiaconus, & acceperit characterem, & ſit ad perpetuam continentiam obligatus; maximè cùm in verbis illis dicatur, Si uſque nunc inhoneſti, amodo caſti: in quibus ſaltem interpretativè intelligitur, Quemlibet ſubdiaconum votum continentiæ emiſiſſe. Et quod dictus clericus ait, quòd in dicta ordinatione acceperit librum. Dicendum eſt, quòd non recordatur, cùm in ordinatione ſubdiaconi non offeratur liber: ſed primum, quod offertur, eſt calix vacuus cum patena vacua. Tamen quia in confeſsione creditur confitenti, quærendum eſt à ſic ordinato, utrum tantum ſteterit in illa ordinatione, quòd acceperit ab Epiſcopo aliquid: & quòd audierit Epiſcopum proferentem verba ſecundùm acceptionem illam. Quòd ſi nihil corporaliter acceperit ab Epiſcopo, nihil ſpiritualiter recipit in anima: quia ubi non eſt corporalis acceptio, ibi non eſt ſpiritualis impreſsio. Vel ſi accepit aliquid ab Epiſcopo, & poſt acceptionem non expectavit verborum prolationem, ſed ſtatim receſsit, non fuit ibi effectus ſacramenti: quia ſine re corporali, & ſine verbali prolatione, non fit effectus ſacramenti, quia verbo accedente ad elementum, fit ſacramentum; ſubtrahe enim verbum, quid eſt aqua niſi aqua? Sed ſi acceperit aliquid ab Epiſcopo (quia primum, quod offert Epiſcopus, eſt calix cum patena) & expectavit verba ab Epiſcopo prolata, quæ modica ſunt, & cito proferuntur, quia in tali oblatione unà cum verborum prolatione character imprimitur, & eſt ibi effectus ſacramenti, dicendum eſt, clericum illum ſuſcepiſſe characterem, & effectum ſacramenti, propter quod obligatur ad perpetuam continentiam. Suſcipiens ergo ille clericus ſacramenti effectum, dicitur minus ſufficienter ordinatus, non quantum ad ſacramenti neceſsitatem, ſed quantum ad ſacramenti ſolemnitatem, quia non expectavit totam ordinationem, ſed receſsit ante ordinationis complementum. Vel dicitur minus ſufficienter ordinatus, non quantum ad ſacramenti ſuſceptionem, ſed quantum ad ſacramenti executionem, quia ſatis poteſt probabiliter teneri, quod ſic recedens & fugiens ante completionem ordinationis illius ordinis, quem volebat ſuſcipere, quòd impediatur ab executione officij, niſi per eum, qui diſpenſare poteſt, cum eo diſpenſetur. Sic ergo dicendum eſt, ſi volumus ſententiare pro hac parte, quòd Clericus fuerit ordinatus, & quod ſuſceperit characterem, & maneat obligatus ad perpetuam continentiam. Sed ſi quis vellet dare ſententiam pro altera parte, ſciremus ad hoc viam invenire. Sed ſubticeamus ad præſens, imponentes dictis finem, & dicentes quòd hæc de quæſitis ſufficiant.

A B. ÆGIDIJ COLVMNÆ ROMANI, Archiepiſcopi Bituricenſis, & Aquitaniæ Primatis, Ordinis fratrum Eremitarum S. Auguſtini,

TRACTATVS,

Quomodo Reges & Principes poſſunt poſſeſsiones, & bona Regni peculiaria Eccleſijs elargiri?

PRIMA PARS.

B ERtebatur in dubium, cùm cõmuniter Reges & Principes in ſua coronatione præſtare cõſueverint juramentum de non alienandis poſſeſsionibus, nec immobilibus bonis ad ſuam coronam ſpectantibus, An huic juramento obſiſtat, ſi de hujuſmodi bonis aliqua ipſis Eccleſijs largiantur? quia & ſi hoc ſimpliciter minimè fieri poſsit, poſtquam ipſum tale juramentum fuiſſet exhibitum: Vtrum tamen in aliquo caſu particulari puta pro ſuis exceſsibus, ut quia forefeceruntEccleſiæ, pro emendatione illius exceſſus poſsint Eccleſiæ recompentare in poſſeſsionibus & immobilibus bonis: hoc enim annexum queſtioni propoſitæ, tribuit ampliorem probabilitatem, ut hæc largitio poſsit effectum mancipari. Sed ipſa queſtio abſolutè propoſita ſuam veritatẽ continet, quòd Reges & Principes poſſunt Eccleſijs bona hujuſmodi elargiri. Ad evidentiam autẽ C omnium prædictorum dicemus, quòd nemo dat quod non habet: ideò cùm de Datione loquemur, videndum qui dare poſsint, & quæ, & qualiter dare poſsint. Item videndum eſt quę, & qualiter habeant, & quot modis illa habeant, ut ex hoc poſsimus concludere, quomodò valeant, & qualiter, illa dare.

Propter quod iciendum, quòd Reges & Principes bona regni tripliciter habere dicuntur; primo, quantũ ad fructum & utilitatem: ſecundo, quantum ad judicium & poteſtatem: tertio quantum ad patrocinium & defenſionem, prout innuit Hugo de ſacramentis lib. 2. parte 2. cap. 7. Quantum autẽ ad primum modum habendi bonum utile regni, multa habent Reges, quæ non ſunt regni regulariter, ſed in caſu: habent enim milites & barones: & etiam populares vineas, agros, & poſſeſsiones, de quibus habent utilitatem & fructum: multa enim ſunt in regno de quibus regula- D riter Rex nullum habet cenſum nec fructum, in caſu autem (ſicut apparebit) poterit hæc habere. Secundo modo dicuntur bona Regni eſſe Regis quantum ad judicium & poteſtatem, prout ipſe Rex poteſt in eis judicium & juſtitiam exercere: & hoc ſecundo modo, multò plura dicuntur Rex habere (loquendo regulariter) quàm habeat primo modo: nam non ſequitur, quòd ubicunque quis habet dominium utile, quòd habeat ibi dominium poteſtativum, quòd poſsit ibi judicium & juſtitiam exercere. Homines enim regni licèt habeant ſuas vineas, ſuos agros, & ſuas domos, de quibus habent ſuos fructus & ſua emolumenta, tamen ſi contingat aliquem forefacere, non poterunt in proprijs vineis, agris, & domibus judicium & juſtitiam exercere. Tertio modo dicitur Rex habere bona regni quantum ad patrocinium & defenſionem,

& ſic, nihil eſt in regno quod non ſit Regis; quia omnibus bonis regni debet rex ſuum patrocinium exhibere, & ad defenſionem bonorum omnium obligari.

Sed dices, quòd hoc non eſt habere, ſed haberi: nam habere aliqua, eſt quòd illa ſint obligata ſibi: haberi verò quòd ipſe ſit obligatus alijs. Igitur quia haberi ad patrocinium & defenſionem, ut quia rebus regni teneatur Rex defenſionem & patrocinium exhibere (ut videtur) magis eſt eſſe obligatum rebus, quàm res eſſe obligatas ſibi: unde & Apoſtolus ad Rom. dicit de poteſtatibus terrenis, quòd miniſtri Dei ſunt, in hoc ipſum ſervientes: poteſtates enim terrenæ ſunt miniſtri Dei & ſerviunt his quibus præſunt, in hoc ipſum; videlicet patriam defendendo: & Gloſſa ibidem dicit de talibus poteſtatibus, quòd ſunt miniſtri Dei ſervientes nobis, dum patriam defendunt: ergo ſi in hoc ſerviunt nobis patriam defendendo, magis habentur, quàm habeant. Habere igitur aliqua ad patrocinium & defenſionem: magis eſt haberi, quàm habere, quia hoc facere (ut videtur) magis eſt miniſtrare, quàm miniſtrari. Sciendum igitur, quòd quicumque ſic ſervit, conſequens eſt, quòd ſibi vice verſa ſerviatur: & quicumque ſic habetur, conſequens eſt, quod & ipſe vice verſa habeat. Vnde & Apoſt. ad Rom. Cùm priùs dixiſſet: *Ideo enim & tributa præſtatis*, poſteà ſubdit, *Miniſtri enim Dei ſunt; in hoc ipſum ſervientes.* Propter hoc Reges ſerviunt his, qui ſunt in regno, patriam defendendo, quia incolæ regni ſibi præſtant tributa: & econtrario, quia homines regni præſtant tributa Regibus, ideò vice verſa Reges eis ſerviunt, patriam defendendo. Vnde & Glo. ibidem dicit, quòd poteſtates terrenæ ſunt ſervientes nobis, dum patriam defendunt; & in hoc ipſo id eſt propter hoc ipſum ſcilicet propter tributum, ſerviunt. Quæcumque enim Rex habet ad defenſionem, oportet, quòd in neceſsitate habeat omnia illa ad ſubvẽtionem. Res tamen Eccleſiæ ſunt in hoc caſu ſpecialiter excipiendæ, quia non tanta eſt neceſsitas, quòd debeat Princeps ad caput Eccleſiarum recurrere, cùm non poſsit propria auctoritate bona Eccleſiarum accipere. Res autem & omnia bona, quæ ſunt in Regno, quibus Rex debet defenſionem & patrocinium, in caſu neceſsitatis debent eſſe Regi ſubventio & obſequium: & hoc modo omnia ſunt Principis, ut patet per Hugonem de ſacramentis lib. 2. cap. 7. par. 2. qui ait: *Poſſeſsiones regni nunquam ſic elongari poſſent à regia poteſtate, quin ipſa poteſtas eis debeat patrocinium: & poſſeſsiones poteſtati regiæ in neceſsitate obſequium.* Habere ergo ad defenſionem eſt in neceſsitate habere ad ſubventionem. Itaque ſi hoc modo poteſtas regia habetur à rebus, conſequens eſt, quòd & res à Regia poteſtate habeantur.

SECVNDA PARS.



POſtquam declaravimus quot modis Reges & Principes dicũtur habere ea, quæ ſunt in Regno, quia ex hoc (ut apparebit) evidentiùs poterimus deſcendere ad ſolutionẽ quæſtionis propoſitę, videlicet, Quomodo Reges & Principes circà bona regni, vel circa bona pertinentia ad coronã, poſsint liberalitatis opera exercere. Sed volumus, antequã hoc fiat, declarare: Quid eſt regnũ, & cujus cauſa inventa fuerit communitas regni: quia ex hoc ſolutio quæſtionis propoſitæ clariùs apparebit. Videbitur namque fortè quis rationabiliter dubitare, A quòd non fuerit neceſsaria communitas civitatis. Sed quòd præter cõmunitatem domus, quæ conſtat ex pluribus partibus, ex viro videlicet & uxore & ex liberis, & ſervilibus: & præter communitatem vici, quę conſtat ex pluribus dominibus, fuerit neceſsaria communitas civitatis, poteſt de facili declari. Quoniã nec in bona domo, nec in bono vico poſsunt reperiri omnia neceſsaria ad humanam vitam, propterea neceſse fuit communitatem conſtruere, quæ conſtat ex multis vicis, in qua reperirentur neceſsaria in vita tota; ideo Phus in 1. Politic. deſcribens civitatem dicit: *Quòd civitas eſt communitas perfecta in vita tota.* Nam ſi bona ſit civitas, debent in ea perfectè reperiri omnia quibus, poteſt indigere humana vita quocumque tempore.

Diverſificatur quidem humana vita per varias humorum proportiones, quia quidam habent humores æquatos, & ſunt ſani: quidam, inæquatos, & ſunt infirmi. Diverſificatur etiam per varias complexiones, quia in quibuſdam abundat ſanguis, & ſunt ſanguinei: B in quibuſdam abundat cholera, & ſunt cholerici: & ſic de complexionibus alijs. Diverſificatur inſuper per varias ætates, quia quidam ſunt in ætate pueritię, quidam adoleſcentiæ, & ſic de ætatibus alijs. Ipſa etiam varietas temporum, & aliarum conditionum facit varietatem in humano regimine, ut ſcilicet omnia hæc ad continuandam vitam, & ad commodè vivendum, alijs & alijs egeamus. Non enim eadem competunt ſanis & ægris, nec flegmaticis & cholericis, nec competunt juvenibus & ſenibus eadem: & utrum hyeme an æſtate. Cùm igitur tot ſint diverſitates in regimine humanę vitæ, & nihil ſit neceſſarium in hujuſmodi regimine, quod non reperiatur in civitate, ſi Civitas ſit bona, perfecta, & bene ordinata: neceſſarium fuit propter hæc, quòd præter communitatem domus & vici, inventa fuerit communitas alia, videlicet civitatis. Ideo dicitur 1. Politic. *Quòd inventor civitatis maximorum bonorum cauſa fuit*: debent enim in civitate eſſe omnes artes, omnia ingenia, omnia auC xilia, per quæ quis poteſt juvari ad regimen humanæ vitæ. Rector enim civitatis, cujus eſt politiam regere, debet de omnibus his ordinare, ut patet ex 1. Politic.

Eſt autem advertendum, quòd, (Cùm Deus ab initio conſtituerit hominem, & reliquerit eum in manu conſilij ſui: beſtiæ autem habeant ſufficienter inſtinctus naturales ad cognoſcendum quæ ſunt ſibi proficua in regimine vitæ, propter quod aliquæ beſtiæ ex naturali inſtinctu cognoſcunt herbas medicinales, quæ ſunt ſibi neceſsarię ad juvamentum corporis) homo relictus eſt in voluntate conſilij ſui ut ex ſuo ingenio inquirat quę ſibi expediũt ad regimen vitę. Et quia unus homo non poteſt cum proprio ingenio omnia perquirere, nec poteſt ſibi in vita ſufficere, ideò aliqui ſtudent circa medicinam, ut de hoc cuilibet ſatisfaciant; alij circa carpentativam artem, & ſic de alijs artibus: quæ omnia debent eſſe ordinata, ut in civitate D ea omnia reperiantur, quę ſunt neceſsaria homini in tota vita. Sed quia etiam poſſent multę civitates, vel multæ gentes inſurgere contra civitatem aliquam, & impugnare illam: ideò bonum fuit, quòd civitates, caſtra, & villę ſe congregarent ad invicem, & facerent confœderationem, ut ſe invicem juvarent, & defenderent, & contra alios unanimiter compugnarent. Præter ergo neceſsaria vitæ, quę reperiuntur in civitate, expediebat communitas regni ratione defenſionis & compugnationis. Et quia ubi multitudo, ibi confuſio, oportuit communitati regni, quæ conſiſtit in confœderatione multarum civitatum, ac multarum villarum, & multorum caſtrorum, præficere aliquem in Regem, ad cujus imperium ſinguli ſe juvarent, ut ſinguli patrocinium exhiberent. Inde dictum eſt, quòd omnia ſunt Principis, ſeu omnia ſunt Regis,

gis quantum ad patrocinium & defensionem. quia communitas regni ratione patrocinij & defensionis inventa fuit. Debet ergo Rex omnibus, quæ sunt in regno patrocinium & defensionem: & omnia bona regni in necessitate modo quo diximus, debent obsequium & subventionem (ut suprà patuit per Hugonem) ipsi Regi præstare. Et quia semper quod est per se, est potius eò quod est per aliud, cùm quæritur de regimine regio, & de actionibus Regis, & quæ debent Reges liberaliter dare, qualiter se debeant regere, quove modo debeant se habere, potissimè recurrendum est ad regni patrocinium & defensionem, ratione cujus, regni communitas est inventa.

TERTIA PARS.




ISO, quomodo tribus modis Reges & Principes habere dicuntur bona quæ sunt in Regno: & ostenso, quæ fuit necessitas inveniendi communitatem regni: volumus in hoc capitulo declarare, quod salva unitate regni quantum ad tertium modum habendi, videlicet, quantum ad patrocinium & defensionem, non possunt Reges à se elongare possessiones & bona immobilia, quę sunt in regno. Dicebatur quidem suprà, quòd communitas regni inventa fuit causa compugnationis & defensionis: cùm enim in civitate reperiantur vel inveniri debeant (si bona sit Civitas) omnia, quibus potest homo indigere in tota vita, superflueret communitas regni, si homines essent justi, & alios non invaderent, & nollent alijs injurias facere: unde quia homines, ut plurimum, mala agunt cùm possunt, & libenter alijs violentiam inferunt, excogitata fuit communitas regni: ut civitates, & oppida simul in unum coniuncta contra volentes eos invádere compugnarent, & se invicem defenderent. Itaque si regnum causa compugnationis & defensionis est inventum, consequens est, quod Rex, qui est caput regni, debeat patrocinium & defensionem. Quod ergo sit aliquid in regno, quod non sit sub defensione & protectione Regis, nihil est aliud dicere, quàm quòd illa res nō pertineat ad regnum & non sit de communitate regni. Propter quod bene dictum est quod suprà dicebatur, quòd, salva unitate regni, nihil est in regno, loquendo de possessionibus & de bonis immobilibus, quod possit sic elongari à Rege, quod Rex ei non debeat patrocinium & defensionem. Debet enim Rex omnibus rebus regni tam mobilibus quàm immobilibus patrocinium & defensionem: spectat enim ad Regem quemlibet tueri in jure suo quantum ad omnia bona tam mobilia quàm immobilia. Omnibus ergo rebus regni debet Rex patrocinium & defensionem, aliter tamen & aliter: quia rebus mobilibus debet Rex patrocinium & defensionē, quia, cùm talia bona sint mobilia, deportari possunt ad regnum aliud, ut non ulteriùs sint sub defensione vel sub protectione illius Regis: sed bona immobilia sic sunt sub patrocinio & defensione Regis, ut elongari non possint ab ejus patrocinio & defensione. Hoc est ergo quod dicit Hugo lib. 2. part. 2. cap. 7. Ipsas possessiones nunquam ita elongari posse à regia potestate, quin ipsa potestas eis debeat patrocinium, & ipsę possessiones potestati regię debeant in necessitate obsequium.

Ex his autem habetur via ad solvendam propositam quæstionem: nam dato quod Rex juret, non alienare bona immobilia pertinentia ad coronam ejus, patet, quòd non est alienare hujusmodi bona, quandiu sunt sub protectione & defensione Regis, & quàdiu pertinent ad regnum, & sunt de unitate regni: quia quandiu Rex debet rebus & possessionibus regni patrocinium, consequens est, quod res & possessiones regni debeant Regi in necessitate obsequium, ut patuit per Hugonem. Advertendum tamen, quòd, ut suprà aliqualiter tetigimus, licèt omnia bona, quę sunt in regno tam laicorum quàm clericorum, vel tam sæcularium quàm aliarum personarum, sint sub patrocinio & & defensione Regis, non tamen hujusmodi bona æqualiter debent Regi, & obsequium & subventionem.

Et si dicatur quòd immò, quia in necessitate omnia hujusmodi bona debent Regi obsequium, sicut omnibus talibus bonis Rex debet patrocinium: Dicemus quòd necessitas subventionis, vel necessitas obsequij, quantum ad Regem, in bonis ecclesiasticis, & in alijs bonis, non eodem modo sumitur. Nam quantum ad bonum laicorum ad Regem spectat interpretari quæ sit illa necessitas, in qua possit accipere de hujusmodi bonis ad obsequium & subventionem ejus. Nam absque eo quòd sit recursus ad aliquem alium, poterit hoc Rex facere sine culpa, dummodo hoc faciendo, non excedat modum neque mensuram. Nam non sic præest Rex his, qui sunt in regno, sicut præest dominus servis: sed sicut Pater filijs, ut declarari habetur in Politicis. Non enim homines regni comparantur ad regem sicut servi, sed sicut liberi, ut in eisdem Politicis declaratur. Præest enim Rex regno propter bonū eorum quę sunt in regno. Mensura ergo & modus actionis Regis sumitur ex bono eorum, quæ sunt in regno, ut sic debet Rex se habere circa regnum, prout expedit ipsi regno. Quantum ergo ad bona laicorum, quotiescumque Rex viderit, quòd expediat regno: & quandocumque Rex viderit se esse in necessitate, poterit propter bona regni, absque eo quòd habeatur recursus ad alium, accipere subsidium & subventionem ab hujusmodi bonis. 3. Pol. c. 7. 1. Pol. c. 3.

Sed quantum ad bona ecclesiarum non poterit, etiam in necessitate, talem subventionem accipere, nisi recurratur ad caput Ecclesiæ: nisi fortè tanta esset necessitas & tam evidens, quod sine dispendio regni non posset haberi recursus ad caput Ecclesię: in quo casu intelligendum est dictum Hugonis; qui loquens de possessionibus ecclesiarum existentibus in regno, dicit eas nunquam elongari à regia potestate; quod si ratio expostulaverit & necessitas, debeant regię potestati ipsæ possessiones in necessitate obsequium. Non enim ait absolutè, quòd possessiones Ecclesiæ debeant potestati regiæ subventionem sive obsequium in necessitate: sed si ratio & necessitas postulaverit. Postulat enim ratio, quòd, si adsit necessitas, possit haberi recursus ad caput Ecclesiæ, sed hoc fiat de licentia capitis ecclesiastici, ita quod de licentia Summi Pontificis debent Ecclesiæ subventionem regię potestati: sed (ut dicebatur) si tanta sit urgens necessitas, quod sine periculo regni, hujusmodi recursus haberi non possit: in hoc enim casu, ratio postulat, quòd ab Ecclesijs, sit talis subventio capienda.

QVARTA PARS.



IS itaque omnibus prælibatis, volumus solvere prædictam quæstionem, ut totus presens tractatus quatuor partes contineat. Valet enim pars prima ad solutionem quæstionis propositę; quia cùm distinguantur ibidem varij modi habendi, secundùm quod dicitur Rex habere bona, quæ sunt in

Regno

Regno: quia ex hoc patere poteſt ſecundùm quem modum hujuſmodi ipſæ poſſeſsiones regni elongari poſſunt à regia poteſtate, & ſecundùm quem modum nequeunt elongari. Valet etiam ad hoc idem pars ſecunda, ubi agitur quæ fuit neceſsitas inveniendi communitatem regni: quia ratione defenſionis & patrocinij talis communitas eſt inventa Ex hoc ergo patere poteſt, quod illa datio potiſsimè repugnat regno, per quam poſſeſsiones à Regis defenſione & patrocinio elongantur. Valet inſuper ad hoc idem & pars tertia, ubi dicitur quod, ſalva unitate regni, non poterit poſſeſsiones & bona immobilia quantum ad patrocinium & defenſionem elongari à Regia poteſtate.

Quibus omnibus peractis, ſolvamus ſecundùm ſententiam Hugonis quæſtionem propoſitam, dicentes, quòd cùm Rex tribus modis dicatur habere poſſeſsiones & bona immobilia, quæ ſunt in regno, videlicet, quantum ad fructum & utilitatem, quantum ad Iudicium & poteſtatem, & quantum ad patrocinium & defenſionem: primis duobus modis, poteſt Rex poſſeſsiones & bona immobilia donare Eccleſiis: tertio autem modo, non poteſt, ſalva unitate regni: & ratio eſt, quia diviſio regni eſt deſtructio regni, ſi ergo daret tertio modo, eſſet diſsipator regni: duobus autem primis modis dare poteſt diviſim & conjunctim. Diviſim quidem, dando unum ſine alio, quia poteſt dare fructum & utilitatem, retinendo ſibi judicium, & exercendo juſtitiæ poteſtatem. Hoc eſt ergo, quod ait Hugo in de ſacramentis, libro & parte & cap. prǽallegatis, dicens quòd *Terreni Principes in terrenis poſſeſsionibus, quas vel in ſubditis vel ſine ſubditis poſsident, aliquando concedunt Eccleſiæ utilitatem ſine poteſtate.* Et ſubdit deinde: Vtilitatem ſine poteſtate concedunt quando fructum quidem poſſeſsionis ad uſum Eccleſiæ conferri diſcernunt, ſed poteſtatem juſtitiæ exercere in ipſa poſſeſsione Eccleſiæ non prætermittunt. Sic ergo datur unum ſine alio diviſim. Aliquãdo verò datur unum cum alio conjunctim, quando eccleſijs in poſſeſsionibus ſic datur à Regia poteſtate fructus & utilitas, quòd etiam in eiſdem conceditur exercendæ juſtitiæ poteſtas. Vnde & Hugo in loco prǽallegato ait, *Terreni Principes in terrenis poſſeſsionibus aliquando concedunt eccleſijs ſolam utilitatem, aliquando utilitatem & poteſtatem.* Advertendum tamen quòd licèt Eccleſia in poſſeſsionibus à terrenis Principibus utrumque habere poſsit, utilitatem ſcilicet & poteſtatem: ipſam tamen poteſtatem & ipſum judicium, & potiſsimè judicium ſæculare, cujuſmodi eſt judicium ſanguinis, per perſonas eccleſiaſticas exercere non debet; ſed poteſt Eccleſia habere miniſtros perſonas laicas, per quos poterit Eccleſia effectum mancipare, Ideo Hugo dicit, *Diligenter attendendum eſſe quod licèt Eccleſia, fructum terrenæ poſſeſsionis in uſum accipiant, poteſtatem tamen exercendæ juſtitiæ per eccleſiaſticas perſonas in judicijs ſæcularibus exercere non poſſunt.* Et ſubdit, quòd poteſt tamen Eccleſia miniſtros habere laicas perſonas per quas jura & judicia ad terrenam poteſtatẽ pertinentia poterit exercere.

Reges itaque & Principes de ſuis poſſeſsionibus terrenis poſsunt donare Eccleſijs, vt ex eis habeant fructum & utilitatem, & ut per perſonas laicas, ſive per ſuos miniſtros habeant in eis judicium, & exercere juſtitiæ poteſtatem: quod potiſsimè intelligendum eſt, quando non eſt tanta datio quod per eam notabiliter impediri poſsit à Regimine regni: Si enim Reges ſicut à ſeipſis elongarent fructum poſſeſsionum terrenarum, quòd ſine novis exactionibus, non imminente ſibi nova perturbatione regni, pondera Regis ſuſtinere non poſſent, eſſet aliter judicandum: ſed quòd de ſuis bonis immobilibus non poſsint Eccleſias participes facere, retentis ſibi poſſeſsionibus, per quas poſsint ſuum effectum in regimine populi adimplere; nullus aſſereret ſanæ mentis. Benè ergo dictum eſt, quòd quãtum ad duos primos modos habendi diviſim (ut patuit) & conjunctim poſſunt Principes terreni poſſeſsiones eccleſijs elargiri. Sed quantum ad tertium modum habendi, videlicet, quantum ad patrocinium & defenſionem, & quantum ad obſequium in neceſsitate, & ſubventione, poſſeſsiones regni elongare non poſſunt à regia poteſtate, pro ut verba allegata Hugonis expreſsè hoc aſſerunt. Quantum ergo ad formam arguendi, quòd Rex in ſua coronatione prǽſtat juramentum de non alienandis bonis ad ſuam coronam ſpectantibus, dicemus quòd non alienantur bona à Rege quàndiu pertinent ad unitatem regni & quandiu ſunt ſub patrocinio & protectione regni: quòd ſi Rex expreſsè juraret, quòd nihil de immobilibus bonis ad ſuam coronam ſpectantibus, nec quantum ad fructum & utilitatem, nec quantum ad judicium & poteſtatem largiretur Eccleſijs, dicemus, quòd eſſet indebitum juramentum quod fatuè fieret, & impiè impleretur: eſſet enim contra charitatem & contra devotionem, quam debẽt terreni Principes erga Eccleſias demonſtrare: dicemus enim tunc cum Iſidoro, *In malè promiſsis reſcinde fidem, in turpi voto immuta decretum.* Et hęc de quæſito ſufficiant.

FINIS.

BEATI ÆGIDIJ ROMANI
ARCHIEPISCOPI BITURICENSIS ECCLESIÆ, ET PRIMATIS AQVITANIÆ, ORDINIS FRATRVM EREMITARVM SANCTI AVGVSTINI, DOCTORIS FUNDATISSIMI,
LIBER CONTRA EXEMPTOS, NVNC DENVO IMPRESSVS.

CAP. I.

Quòd exemptio ſecundùm humanos actus contradicit curſui naturæ ſecundùm naturales motus.

AVguſt. 7. de Civit. Dei cap. 30. ait: *Deus ſic adminiſtravit omnia quæ creavit, ut etiam ipſa proprios exercere, & agere motus ſinat.* Summus ergo Pontifex Dei Vicarius univerſalis, quia gloria magna eſt ſequi Dominum, tanquam Dei verus imitator, ſic debet adminiſtrare Eccleſiam, ut perſonas Eccleſiaſticas proprios motus facere ſinat, quia proprium eſt Prælatorum præeſſe, ſubditorum ſubeſſe. Exéptio hoc impediens, naturæ curſui contradicit. Cùm ergo ſecundùm Dionyſ. & Damaſc. in omnibus reperiatur ſubſtantia, virtus, & operatio, dicere poſſumus quòd omnia hæc confundit exemptio, ut verè contra naturam dici debeat: quia ſi eſſet exemptio in naturalibus, confunderentur in eis operatio, virtus, & ſubſtantia. Sic per exemptionem in moralibus confunduntur operatio, virtus, & ſubſtantia in Eccleſia: ut ex his triplex ratio ſumi valeat contra exemptionem.

Ecc. c. 23. d.

Prima ergo hujus ratio ſumi poteſt, ne confundatur operatio, & ne res ſint deſtitutæ proprijs operationibus: ſupponit enim Philoſophus tanquam notum rationi & ſenſui, quòd appropinquante activo paſsivo, hoc quidem agit, illud verò patitur: dicitur autem appropinquare activum paſsivo, ut ignis calefaciens rei calefactibili, quando ſic appropinquat unum alteri; & eſt in tali diſtantia, quòd hoc quidem aptum natum eſt calefacere, & illud calefieri. Quod, ut ad propoſitum adaptemus, dicere poſſumus, tota Diœceſis illa eſt diſtantia, in qua Prælatus eſt aptus natus præcipere, & ſubditus obedire. Dicere ergo perſonas aliquas eſſe in Diœceſi, quæ non teneantur obedire Prælato, eſt dicere calefactibile eſſe in illa diſtantia, in qua eſt aptum natum calefieri ab igne, & tamen non calefit ab igne.

Sicut ergo hoc ponere in naturalibus eſt contra naturæ curſum, & eſt deſtituere res naturales à proprijs operationibus: ſic hoc ponere in perſonis Eccleſiaſticis videtur eſſe contra naturam, & eſt deſtituere perſonas Eccleſiaſticas ſuis proprijs operationibus.

Advertendum, quòd Deus multa facit per miraculum, quæ contradicunt ſolito naturæ curſui: ſic & ſummus Pontifex, quando aliquos eximit ab auctoritate Prælati, facit miraculum in Eccleſia: nec dicimus quin poſsit hoc facere, ſed dicimus, quòd debet rarò facere, ut imitetur Deum, cujus miniſter eſt, qui rarò facit miracula, ſed (ut diximus per Aug.) *Sic adminiſtrat res, ut eas proprios curſus agere ſinat*: & ſi hoc facit, facit quantum ad ſingulares perſonas, non autem quantum ad aliquem totum ſtatum, vel quantum ad aliquem totum populum: ſicut fecit in Ægypto, quòd ubi erant filij Iſrael, ibi erat lux; ubi autem Ægyptij, ibi erant palpabiles tenebræ: hoc fecit pro maxima & evidenti utilitate fidei. Propter quod ſi Vniverſitati ſtudentium in aliquo ſtudio conceduntur privilegia ut commodiùs ſtudeant, hoc fit ut vitetur ignorantia: nam ex ignorantia multa mala ſequuntur, juxta illud Ambroſij, *Graviſsimè peccas, ſi ignoras*: quod exponendum eſt, graviſsimè, ideſt, periculoſiſsimè. Et licèt ignorantia excuſet peccatum, juxta illud Apoſtoli: *Miſericordiam conſecutus ſum, quia ignorans feci*) propter quod peccans per ignorantiam quamvis ex hoc aliquam excuſationem habeat, tamen ſic peccans eſt in magno periculo conſtitutus: melius enim eſſet aliquem infirmari graviori morbo, & tamen cognoſcere cauſam morbi, ut poſsit ſuccurrere morbo per Medicum, quàm ſi infirmaretur leviori morbo, & ignoraret cauſam morbi, quia non ſolicitaretur ad ſuccurrendum morbo. Vt ergo homines eruantur à tanto periculo, & captivitate diaboli, bonum eſt per privilegia, & per aliquam gratiam inducere homines ad ſtudendum. Sic etiam in Religionibus aliquibus, ut puta Ordinibus paupertatis, omninò ſtudio deditis, exemptiones & gratiæ aliquæ conceduntur: quia ex ſtudio vitatur ignorantia tam in ſtudentibus, quàm in ſimplicibus, qui per doctrinas ſtudentium erudiri poſſunt. Et cùm ignorantia ſit periculoſiſsimum peccatorum, laudandus eſt ſummus Pontifex hoc faciens propter evidentem utilitatem, quæ exinde ſequitur, tam ad ignorantiam evitandam, quàm ad fidem Catholi-

7. de Civit. de c. 30.

1. Timoth. 1. c.

tholicam defendendam: nam (ut ait Hieronymus in primo Prologo Bibliæ) *Sancta quippe rusticitas sibi tantùm sibi prodest: & quantum ædificat ex vitæ merito Ecclesiam Christi, tantum nocet si destruentibus non resistat.* Valet ergo scientia ad fidem defendendam, & ad peccatum vitandum, juxta illud Isai. 5. *Captivus ductus est populus meus, quia non habuit scientiam.*

Hieronym. Paulino. cap. 4.

Isai. 5. c.

Redeamus ergo ad propositum, & dicamus, quòd Deus facit miracula in naturalibus, sed rarò: facit enim quòd natura ignis non comburat, quod fecit, quando tres pueros liberavit de camino ignis: & potest facere quòd Leones naturaliter exurientes, cibum non capiant, quod fecit, quando liberavit Danielem de lacu leonum. Ita & summus Pontifex potest facere & facit miraculum in moralibus non quæ sunt de jure naturali, sed quæ sunt de jure positivo: sed talia miracula debet facere rarò, & pro evidenti utilitate Reipublicæ. Cùm ergo exemptio sit hujusmodi miraculum, rarò debet aliquos eximere; & quando facit, pro evidenti utilitate reipublicæ debet hoc facere, utputa propter studium, per quod fides defenditur, captivitas & servitus à diabolo evitatur. Sed quòd Religionem totam aliquam faciat exemptam, quæ in nullo vel modico est studio dedita: vel quòd Capitulum aliquod faciat exemptum, quod non studio, sed potiùs otio est deditum, & Prælatum non metuens, in peccata prorumpat, non solùm hoc non facere, sed etiam facta, vel quocumque modo inducta expedit tollere, & potissimè si publicæ utilitati repugnent.

Dan. 3. & 14.

CAP. II.

Quòd exemptio est contra naturam, quia per quoddam simile à rebus naturalibus, tollit substantias & virtutes.

CUm autem dicimus quòd exemptio sit contra naturam, intelligēda sunt verba quòd ex exéptione arguere possumus per quoddam simile aliqua contra naturam, & probare possumus quòd ex exemptione sequitur res naturales destitutas esse proprijs operationibus, virtutibus & substantijs. Nam licèt summus Pontifex non possit facere miraculum in naturalibus nec in moralibus, quæ sunt de jure naturali, sed solùm in moralibus quæ sunt de jure positivo, cùm ea, quæ sunt de jure positivo, debeant esse conformia jis quæ videmus in naturalibus, & his quæ videmus de jure naturali; † naturale est tamen quòd ars imitetur naturam, quia ea quæ sunt ab arte, sunt ab intellectu humano & sapientia, & ea quę sunt de jure positivo sunt à ratione humana, naturalia verò sunt ab intellectu Divino & sapientia Divina: ars igitur & ea quæ sunt de jure positivo debent imitari intellectum Divinum, à quo sunt naturalia, & à quo dependent quæ sunt de jure naturali.

† *Rationale.*

Viso, quomodo artificialia & positiva quæ sunt ab intellectu & sapientia debent imitari intellectum & sapientiam Divinam, volumus per hoc descendere ad id quod in capitulo proponitur, videlicet quòd exemptio est contra naturam, quia per quoddam simile à rebus naturalibus, tollit substantias & virtutes. Ad hoc autem declarandum assumimus verba illa, quæ habentur Sapientiæ. 14. ubi auctor illius libri, Deo Patri omnium nostrum ait: *Tua autem, Pater, providentia cuncta gubernat; quoniam dedisti & in mari viam, & inter fluctus semitam firmissimam, ostendens quàm potens es ex omnibus salvare, etiam si sine rate aliquis adeat mare. Sed ut non essent vacua sapientiæ tuæ opera: propter hoc etiam & exiguo ligno credunt homines animas suas, & transeuntes mare per ratem liberati sunt.* Fecit enim Deus, ut habetur in Exodo, quòd mare se divisit, & apparuit in mari via, & semita firmissima, ita quòd siccis pedibus transierunt filij Israel per medium maris. Et posset nunc facere, si vellet, quòd sine rate & navi transiremus mare, ut fecit quādo siccis pedibus ambulavit super mare. Sed ut non essent vacua, facta & producta opera sapientiæ suæ, & res naturales non sint otiosæ, & destitutæ suis operationibus, videmus continuè quòd exiguo ligno (ideſt exigua rati) homines credunt animas suas (ideſt committunt vitas suas & transeuntes mare per ratem liberati sunt.

Sap. 14. à. 3.

Exod. 14.

Vult ergo Deus substantias naturales habere virtutes suas, & mediantibus virtutibus procedere naturaliter opera: ut à substantia ignis, mediante calore qui est virtus, procedat calefacere, ita quòd non potest ignis propter virtutem caloris quam habet, non calefacere, præsente calefactibili. Tollere ergo à rebus naturalibus proprias operationes, est tollere ab eis substantias & virtutes, à quibus propriæ operationes sumunt originem: naturale est enim quòd molle cedat gravi, & quòd plūbum vel ferrum vel etiam lapis in aqua natare non possint: naturale est etiam homini quòd malè natet, & quòd non natet naturaliter, sed per artem, quia naturale est homini quòd vadat rectus, propter quòd naturale est ei quòd stans in aqua se erigat, & erectus ita modicum occupat

de

de aquâ ; quòd illa modica aqua eum sustinere non possit : propter quod ex arte habet, quòd volens natare, se dilatat & diffundit super aquam, ut hoc modo occupans multum de aqua, meliùs natare possit, & meliùs sustineatur ab aqua : movet etiam aquam cùm natat, quia mota meliùs sustinet pondus quàm non mota. Sed naturale est ligno quòd natet super aquam: & si ex ligno fiat navis, propter concavitatem quam habet, in qua recipitur aër, qui naturaliter est super aquam & non patitur esse sub aqua, non solùm ratione materiæ quia lignum naturaliter natat in aquam, sed etiam ratione formæ, quia in ligno inducta est forma navis, lignum sic dispositum fertur super aquas, & ligno sic disposito, & facta navi, possunt in navi ferri super aquas homines, & quæcumque gravia, quæ naturaliter non natant in aquis.

Sed dicemus esse duplex mare, videlicet mare materiale secundùm quem modum magna congregatio aquarum dicitur mare, juxta illud: *Congregationes aquarum appellavit maria* : est etiam aliud mare, videlicet hoc sæculum, in quo multas procellas patimur : & sicut est duplex mare, ita est duplex navis, materialis in qua salvantur omnia existentia in navi : & ipse Prælatus potest dici navis, sub cujus regimine salvantur vel salvari possunt omnes existentes sub eo. Sed dices quòd Prælatus non debet assimilari navi, sed nautæ, qui gubernat navem: ipsi vero navi debet assimilari Ecclesia, quæ gubernatur à Prælato. Ad quod dici potest, quòd mystica Theologia non est argumentativa, & quòd non est in metaphoris disputare : propter varias enim similitudines Christus assimilatus est Pastori, & Ovi, & agno : assimilatus est Pastori, in quantum gubernat oves, assimilatus est ovi, in quantum pro nobis factus est victima : assimilatus est agno propter eandem causam, vel propter summam innocentiam. Sic etiam Prælatus potest dici nauta, navis, & anchora : dicitur enim nauta, in quantum gubernat navem, idest Ecclesiam, dicitur navis, in quantum verbo, & exemplo ponit suos subditos ad portum salutis : dicitur anchora, in quantum facit navem, idest Ecclesiam, firmam stare. Erit prælatus ergo navis animata, sicut dicimus de Servo, quòd est organum, animatum: & sicut dicimus de Rege, quòd est lex animata.

Gen. 1. b.

Ioan. 10.
Isa. 53.

His ergo prælibatis, dicamus quòd sicut existentes in navi materiali, si navis sit talis qualis debet esse, possunt salvari omnes, nihilominus qui vellet exire navim, posset se in mari præcipitari : sic, si Prælatus est talis qualis debet esse, possunt salvari omnes qui sunt sub eo, nihilominus qui vult ire post procellas hujus sæculi, liberum arbitrium habet per quod potest hoc facere. Sicut ergo esset contra naturam navis, si benè regatur & benè gubernetur, quòd aliqui sint in navi, & non liberètur per navim : sic est contra naturam regiminis Prælati, quòd in Diœcesi Prælati, cùm ad totam Diœcesem se extendat ejus auctoritas, aliqui sint exempti, & non sint sub regimine Prælati. Et sicut dicimus de Deo, quòd potest sine rate homines salvos facere, tamen ut non sint supervacua opera Divinæ sapientiæ, & non sint res destitutæ proprijs operationibus, non facit, quia tunc (naturaliter loquendo) essent destitutę proprijs substantijs & virtutibus ; sic potest summus Pontifex facere, quòd aliqui sint exempti, & transeant mare hujus sæculi non sub regimine proprij Episcopi vel proprij Pontificis : sed cùm Pontifices & Episcopi sint opera sapientię summi Pontificis, quia per eum vel auctoritatem ejus sunt assumpti in partem solicitudinis, ut non sint supervacua opera sapientiæ suæ, ideſt Prælati non sint destituti proprijs operationibus, non solùm non debet aliquot eximere, sed etiam exemptionem ex consuetudine vel ex aliquo alio modo inductâ, debet tollere, nisi hoc facit ex aliqua manifesta evidentia. Nam si omnia sibi licèt, tamen suæ Ecclesiæ, quâ debet cum summa diligentia gubernare, non omnia expediunt; immò multa, & specialiter exemptiones regimen Ecclesiasticum impediunt.

Cùm ergo regimen Ecclesiasticum debeat se conformare rebus naturalibus, & cùm res naturales non possint esse naturaliter destitutæ proprijs operationibus, nisi sint destitutæ proprijs substantijs & virtutibus : benè dictum est quod in capitulo dicebatur ; quòd exemptio est contra naturam, quia per quoddam simile à rebus naturalibus, tollit proprias substantias & virtutes : nam cùm simile sit de regimine naturali, ponere exemptionem, & ponere Prælatos in aliqua parte suarum Diœcesium non habere proprias operationes, est simile ac si poneremus verba esse otiosa, & non habere suas significationes, & virtutes.

CAP. III.

Quòd exemptio est contra naturam, quia quantum est de se facit idolum de Pastore.

PAstor autem & Prælatus aliquâdo assimilatur fonti, secundùm quem modum rivulis assimilantur subditi. Hoc autem modo loquitur Ambrosius de Pastore, dicens: *Quidquid in hac plebe potest esse virtutis, & gratiæ : de*

hoc quasi de quodam lucidissimo fonte omnium rivulorum hæc puritas emanavit. Aliquando etiam Prælatus assimilatur ligno, & quantum ad præsens spectat, est dare triplex lignum, videlicet lignum salvans, ut si de ligno fiat navis: lignum crucians, ut si de ligno fiat patibulum: lignum idolum, ut si de ligno fiat simulacrum. Huic autem triplici ligno potest assimilari Prælatus, quia ut operatur ad bonos, debet esse lignum salvans; quia debet esse quasi navis portans suos subditos per procellas hujus sæculi ad salutis portum: nam sicut navis portat in se eos quos salvat & quos ducit ad portum, ita Prælatus in se & in suis humeris portare debet suos subditos, ne per suam culpam naufragium patiantur, sed reducantur ad salutis portum, quia redditurus est ante tribunal Christi de omnibus suis subditis rationem. Verùm quia unusquisque onus suum portabit, & nullus reddet nisi de proprijs factis rationem, non reddit Prælatus de suis subditis rationem, nisi in quantum culpas subditorum facit culpas suas.

Habet autem Prælatus quasi duos humeros, exemplum sive opus, verbum sive doctrinam; debet enim tale exemplum dare, & talia opera facere, quòd subditi sint inde ædificati, quòd boni in bono proficiant, & mali à suis malitijs convertantur: habet etiam Prælatus alium humerum, verbum sive doctrinam, ut sic suos subditos doceat, ut per ignorantiam nullus se valeat rationabiliter excusare; & si propter ignorantiã malefaciat, non imputetur Prælato ad culpã, sed potiùs sibi, qui noluit intelligere, ut benè ageret. Lignũ ergo salvãs sive navis potest intelligi corporaliter de corporeo ligno, & spiritualiter de Prælato; de quo ligno adaptato potest intelligi quod dicitur Sapientiæ 14. *quòd exiguo ligno*, ideſt, exiguæ navi sive rati, *credunt homines animas suas, & transeuntes mare per ratem liberati sunt.* Secundo per lignum possumus intelligere lignum Crucis, ut quando de ligno fit patibulum: quod etiam dupliciter intelligi potest, materialiter, ut cum ligno materiali in patibulo cruciatur malus: vel spiritualiter hoc ligno potest intelligi Prælatus, qui debet esse lignum salvans vel gratiosum bonis, & lignum cruciatus sive patibuli malis, ut habetur eodem capitulo Sapientiæ: *Benedictum est lignum, per quod fit justitia.* Quod licèt posset intelligi de ligno Crucis in quo passus est Christus (quia per illud lignum facta est justitia, quia per illud lignum justè redempti sumus, mediante Passione Christi, à potestate dæmonis: nam licèt homo teneretur propter culpam, quam commiserat, dæmon tamen justè eum non detinebat, quia utebatur nobis tanquãm re sua, cùm ipse in nobis recto dominio non uteretur. Christus tamen ab ista servitute verè & justè nos liberavit, juxta illud: *Si filius vos liberaverit, verè liberi eritis.* Nam etsi potestas semper est justa, quia non est potestas nisi à Deo, usus tamen potestatis in dæmone semper est injustus) quia secundùm Augustinum facit bona, non tamen benè, quia facit ea intentione fallendi. (Potest tamen etiam per hujusmodi lignum, per quod fit justitia, intelligi ipse Prælatus, qui debet esse lignum navis gratiosæ portans bonos, & debet esse lignum patibulum non impunè se habens erga malos. Tertio modo potest accipi lignum, tanquam lignum Idolum: de hoc etiam tertio ligno potest intelligi quod dicitur Sapientię 14. Vbi auctor illius libri cum in præfato capitulo priùs locutus fuisset de ligno navi, & posteà de ligno patibulo per quod fit justitia, tertio loquitur de ligno per quod fit idolum, dicens: *Quod maledictum sit lignum de quo fit idolum*: Quod etiam ad Prælatum referri potest. Quia Prælatus bonus potest esse lignũ de quo fit navis, quantum ad bonos: & lignum, de quo fit justitia, prout justè punit malos; & potest esse lignum de quo fit Idolum, si ipse Prælatus secundùm se sit Pastor & idolum, & secundùm se sit malus. De tali autem pastore potest intelligi quod dicitur Zachariæ. 11. *O Pastor & idolum, derelinquens gregem.* Prælatus ergo aliquando est Pastor & idolum non culpa sui, quando non culpa sua derelinquitur grex, sed quando per exemptionem sibi subtrahitur grex. Hoc est enim contra naturam regiminis Ecclesiastici, quando Prælatus non culpa sua fit Pastor & idolum, non habens auctoritatem corrigendi eos, qui sunt in diœcesi sua, qui omnes naturaliter pertinent ad gregem suum. Benè ergo dictum est quòd in titulo capituli dicebamus, quòd exemptio est contra naturam regiminis, supple Ecclesiastici, quia facit idolum de Pastore, ideſt facit quòd Prælatus sit Pastor & idolum. Hoc enim intelligimus nomine idoli, quòd manus habet, & non palpat: oculos habet, & non videt: quia non potest mederi nec destruere eorum delicta vel peccata.

Sap. 14. a. 7 — Zach. 11. d. 17.

***

CAP. IV.

In quo specialiter agitur, quòd sicut Deus non simpliciter destruit sua opera, ita summus Pontifex suus Vicarius non debet aliquos eximere, quia sua opera destruit, hoc agendo.



Gen. 6. c. 13

T habetur Gen. 6. *Dixit Dominus ad Noè; Finis universæ carnis venit coram me: repleta est terra iniquitate à facie eorum, & ego disperdam eos cum terra.* Volens ergo Dominus diluvio perdere omnem carnem, cùm posset omnia animalia non aquatica perdere diluvio, videns quòd hujusmodi animalia erant opera sua, noluit sua opera destruere, sed voluit ex ipsis animalibus sibi semen relinquere, & præcepit Noë, ut faceret sibi arcam de lignis levigatis, ideſt politis vel quadratis: in qua arca de omnibus animalibus non aquaticis, quæ non possunt nisi per propriam generationem salvari & continuari in esse, essent aliqua fœminini & masculini sexus inclusa. Non oportuit autem, ut inquit Augustinus, quòd ibi essent mali, nisi fortè ad aliquid significandum: nec oportebat quòd ibi essent animalia nata ex putrefactione, quia illa possunt oriri non præcedente simili in specie.

Lib. 15. de Civit. Dei c. 27.

Poterat ergo Deus sicut à principio fecit animalia & volatilia, ita poterat diluvio perdere omnem carnem; & æquali facilitate eam reiterare: & de omnibus etiam animalibus non aquaticis, & natis ex coitu secundùm propriam speciem ea reficere: sed, ut non destrueret opera sua, voluit sibi in hujusmodi animalibus servare semen, ut post diluvium sic reservatum se naturaliter multiplicarent. Ex animalibus ergo reservatis diluvio, ostendit Deus se velle servare ordinem naturalem in operibus suis. Cùm ergo Prælati sint opera summi Pontificis, & iste sit ordo naturalis gubernandi Ecclesiam, ut quilibet suo superiori sit debito modo subjectus, concedere exemptionem, est destruere opera sua, quia est subtrahere jurisdictionem & potentiam à Prælatis; & est in regimine Eccle. siastico debitum & naturalē ordinē non servare.

Dub.

Sed dices quòd nullus est exemptus simpliciter, quia ex eo quòd aliquis eximitur, subjicitur & ligatur jurisdictioni alterius, ut cùm quis eximitur à jurisdictione Diœcesani, subjicitur jurisdictioni summi Pontificis. Ad quid

Resp.

A dici debet, quòd summus Pontifex eo modo quo jurisdictionem habet, non posset aliquem eximere à jurisdictione vel obedientia sua, quia non fieret de ea quod Deus vellet. Si ergo fit exemptio quantum ad Deum; fit quantum ad causas secundas, non quantum ad ipsum Deum: potest enim Deus eximere à potestate causæ secundæ, utputa à potestate ignis, quòd quis stans in igne non comburatur. Sic potest summus Pontifex eximere non à jurisdictione sua, sed à jurisdictione aliorum Prælatorum, ut potest facere quòd existens de diœcesi alicujus Prælati, non subjiciatur jurisdictioni ejus; quod in positivis est facere miraculum, sicut in naturalibus est miraculum, quòd stans in igne non B comburetur. Verùm quia summus Pontifex habet plenitudinem potestatis, in talibus, sicut Deus in naturalibus, si potest ista facere, debet tarò & pro evidenti causa facere: & ne confundatur ordo regiminis in Ecclesiastica Hierarchia, promptior debet esse ad exemptiones factas destruendum, quàm ad novas concedendum: semper tamen in talibus utilitate universalis Ecclesiæ compensata. Verùm quia de exéptione facta est mentio, & dictum est, quòd cùm quis eximitur à jurisdictione inferioris, non propter hoc eximitur à jurisdictione superioris, & specialiter illius qui apicem Ecclesiæ est adeptus: dicemus quòd exemptio potest esse naturalis, & contra naturam: naturalis est enim, ut habetur in Ethicis, quòd ex eis- Lib. 2. dem generatur virtus, & ex eisdem quidem corrumpitur, sed contrario modo factis.

Ex actibus enim humanis secundùm rationem factis generatur virtus, & ex eisdem actibus contra rationem factis corrumpitur. Ordine enim regiminis Ecclesiastici, ut quia summus Pontifex assumptus est ad tale regimen secundùm plenitudinem potestatis, alij verò Prælati secundùm partem solicitudinis, inductum est hoc in Ecclesia, ut quilibet defendatur in jure suo, & nullus injustè gravetur. Quamdiu enim quis non justè gravatur, est sub jurisdictione sui Prælati: si verò contrarium fiat, & injustè gravetur, potest in hoc casu se eximere à jurisdictione Prælati sui per interpositam appellationem; & ex hoc, prætermisso ordine inferioris Prælati, fiet sub jurisdictione superioris Prælati. Ista ergo exemptio est naturalis, quia ex eisdem contrario modo factis generatur & corrumpitur jurisdictio inferioris Prælati. Sed quòd quis absque culpa Prælati, & absque gravamine sibi illato, eximatur à jurisdictione Prælati simpliciter & absolutè (non in hoc casu vel in illo in quo gravatur) est exemptio contra naturam, ubi summus Pontifex in

posi-

positivis habet plenitudinem potestatis : hanc autem plenitudinem licèt nullus debeat in aliquo diminuere, nec ei in aliquo derogare; quilibet tamen debet suum summum Pontificem attentum reddere, quàm periculosum sit suæ sponsæ Ecclesiæ, quòd in ea fiant exemptiones naturales secundùm communem cursum regi-
1. *Cæl. text.* minis, cùm naturalia de se sint semper magis
15. perpetua : non naturalia verò secundùm Philosophum à perpetuitate deficiant.

Potest autem patere ex his, quòd duplex est exemptio, una quasi naturalis, alia contra naturā. Est autem exemptio quasi naturalis, quādo aliquis gravatur à suo Prælato, & per appellationem interpositam se eximit à jurisdictione Prælati, in quod gravatur ab ipso: nam naturale est, ut tetigimus, quòd ex eisdem aliquid fiat & corrumpatur : ex eisdem quidem sed contrario modo factis, ut vult Philosophus in Ethicis. Constat autem, quòd nullus debet fieri Prælatus, nisi habeat per scientiam intellectum illuminatum, & per justitiam & virtutes appetitum vel affectum regulatum, ita quòd diu justè & rationabiliter se gesserit. Si igitur hoc eum fecit esse Prælatum, & factus Prælatus posteà gravat sibi subditos, & injustè & irrationabiliter si gerit, jus naturale quasi postulat, quòd ut gravat subditos, desinat esse Prælatus : & quòd quilibet subditus ut gravatur ab eo, per appellationem interpositam possit se justè & rationabiliter eximere à jurisdictione ejus. Hanc autem exemptionem quasi naturalem debet summus Pontifex pro viribus fovere & custodire. Sed est alia exemptio contra naturam, quòd quis per privilegium & consuetudinem jam præscriptam sine culpa Prælati eximatur à jurisdictione ejus. In iis enim, quæ sunt contra naturam quantumcumque assueta, consuetudo non prævalet : nam secundùm Philosophum, si millies lapis projiciatur sursum, numquam assuescit ire sursum. Contra naturam enim est, quòd aliquis qui debet esse sub Prælato, & per Prælatum debet reduci in summum Pontificem, removeatur de suo loco quasi naturali, secundū quē debuit esse sub Prælato, & immediatè collocetur sub summo Pontifice. Et quia hoc facit exemptio, meritò debet dici contra naturam, dumtamen hoc fiat sine culpa Prælati. Propter quòd sicut exemptionem illam, quam diximus esse quasi naturalem, summus Pontifex debet fovere & custodire ; sic exemptionem istam non naturalem, sed magis contra naturam, debet non permittere, sed tollere, nisi pro magna & evidenti utilitate Ecclesiæ eam faciat vel permittat.

***

CAP. V.

Quòd exemptio repugnat ordini elementorum, cui se debet Ecclesiastica Hierarchia conformare.

BOetius in libro de Philosophica consolatione in illo cap. *O qui perpetua*) loquens de ordine elementorum, ait: *Lib.* 3 *metr.* 9

Tu numeris elementa ligas, ut frigora flammis,
Arida conveniunt liquidis.

Deus numeris, idest proportionibus ligat, idest connectit elementa, ut frigora, idest elementa frigida conveniant & cōnectantur flammis, idest eum elementis calidis: & ut arida, idest elementa sicca, conveniant & connectantur liquidis, id est elementis humidis. Ista autem convenientia & iste connexus non est nisi per qualitatem communem. Sic enim elementa connectuntur, quòd terra immediatè se habet ad aquam. Nam à principio tota terra erat cooperta aquis, sed verbo & præcepto Divino congregatæ sunt aquæ in locum unum, & apparuit arida, idest terra : & ex hoc mandato Divino non tota terra cooperta est aquis, sed major pars terræ : & quia à majori parte fit denominatio totius, ponimus terram immediatè adhærere aquis. Neque posset ibi esse connexio inter aquam & terram, nisi aliqua una & eadem qualitas communis eis esset quæ ea connectat : & ista qualitas est frigiditas. Nam licèt in hoc discordent terra & aqua, quia aqua est elementum liquidum sivè humidum, & terra est elementum aridum seu siccum ; tamen in hoc conveniunt, quia utrumque elementum est frigidum. Et sic terra & aqua proportione quadam ligantur, & connectuntur, quia licèt terra sit elementum aridum, & aqua liquidum, utrumque tamen elementum est frigidum. Sic aqua & aer per qualitatem communem ligantur & connectuntur: in connexione quidem terræ & aquæ arida conveniunt & connectuntur liquidis, quę connexio est in frigiditate, quia tam aqua quàm terra sunt frigida, sed in connexione aquę & aeris, frigida conveniunt flammis, idest calidis, quia aqua est frigida, & aer calidus: ista autem convenientia & ista connexio, quæ est inter aerem & aquam, sumi potest inter calida & frigida per qualitatem communem, quæ est humiditas : nam tam aer quàm aqua sunt elementa humida.

Et quod dictum est de elemento aquæ & aeris, quorum unum est frigidum, alterum calidum, quòd connectantur per qualitatem commu-

communem ut per humiditatem, quia utrumque elementum est humidum, veritatem habet de elemento aeris & ignis, quia unum est humidum, & aliud est siccum, sed utrumque elementum est calidum: connectuntur ergo per qualitatem communem quæ est caliditas. Numeris ergo, idest proportionibus, & quibusdam convenientijs elementa nectuntur & ligãtur, ut elementa quæ sunt simul conjuncta non omnimodam repugnantiam habeant, sed simul cum repugnantia habeant quãdam convenientiam, ut ex illa convenire & connecti dicantur. Ex his itaque, si benè inspiciatur quid est exemptio, apparebit quòd est contra ordinem elementorum naturalem, cui ordini Hierarchia Ecclesiastica se debet pro viribus conformare.

Hoc est enim exẽptio, quòd infimum conjugatur superiori sine medio; ut quòd aliqui sint immediatè sub Papa, sine Archiepiscopo, aut Episcopo medio: quòd est ponere, ac si aqua, quæ est frigida & humida, conjungatur igni qui est calidus & siccus, absque aere medio: aer enim mediat inter aquam & ignem, quia cum utroque habet convenientiam, convenit enim cum igne in caliditate, cum aqua in humiditate: ut ex hoc quædam proportio, quædam consonantia oriatur: & ex hoc quædam melodia resultet, quia melodia & armonia non solùm in vocibus, sed etiã in rebus naturalibus inveniuntur, juxta illud Job. 38. *Quis enarrabit cœlorum rationem, & concentum cœli quis dormire faciet?* Inter ipsos enim cœlos est quædam ratio & quædam proportio: nam Deus omnia in sapientia fecit, & sunt in sapientia facta: & quæ sunt in sapientia facta, in quadam ratione & proportione sunt condita. Istam autem rationem & proportionem ad plenum narrare non possumus, quia ut dicitur Sapientiæ 9. *Difficile æstimamus quæ in terra sunt: & quæ in prospectu sunt invenimus cum labore: quæ autem in cœlis sunt quis investigabit?* Sicut igitur in cœlis est quidam concentus, idest quidam animi cantus, non quòd ibi sit sonus & scissura alicujus corporis, sicut hìc fiunt soni ex natura aeris, quia ibi peregrinę impressiones reperiri non possunt: sed dicitur ibi concentus, idest cantus, quia est ibi quædam proportio, ex qua quædam melodia, quædam armonia, & quidam cantus ibi esse creditur. Istum autem cantum, armoniam & melodiam solus Deus dormire facit idest quiescere, ut non dissolvatur: & sic armonia & melodia & cantus est inter ipsos cœlos.

Sic etiam inter ipsa elementa est armonia: ista autem armonia vel melodia fit à superiori in inferius per corpus medium, ut fit ab igne in aquam per aerem. Et fit in cœlo Empyreo, quod est omninò stabile, in cœlis Planetarum, qui movẽtur diversis motibus primst mobile, quod movetur uno solo motu. Cùm ergo exemptio tollat rem mediam, & conjungat inferius superiori sine medio, tollit istam proportionem, & istã melodiã, & repugnat illi cursui naturali, cui se debet conformare Hierarchia Ecclesiastica; quia positiva quanto sunt magis conformia motui & cursui naturali, tanto magis stabilia & perpetua esse cernuntur.

Exemptio.

Iob. 38.

Sap. 9. d.

CAP. VI.

Quòd ex ordine elementorum datur sufficienter intelligi qualis & quomodo debeat esse Exemptio.

QVoniam de ordine elementorum locuti sumus, volumus declarare quòd ex ipso ordine elementorum sufficienter instruimur qualis & quomodo debeat esse exẽptio. Videmus enim quòd inter ipsa elementa numquam totum elementum inferius conjungitur superiori suo fine medio, sed solùm quantum ad minorem partem, ut terra conjungitur aeri sine aqua non quantum ad se totam, sed quantum ad partem habitabilem, quę est longè brevior quàm sit reliqua pars terræ: & hoc pro quadam maxima utilitate publica inde venienti, quia si tota terra esset cooperta aquis, homines & jumenta & alia animalia, quæ sunt ornamenta terræ, vivere non valerent: ipsæ etiam arbores, quæ sunt ornamenta terræ (terra sic existente cooperta) in terra salvari non possent: propter quod Gen. 1. Primò dixit Deus: *Congregentur aquæ, quæ sub cœlo sunt, in locum unum, & appareat arida*: & postea dixit: *Germinet terra herbam virentem &c.* Pro tanta ergo utilitate publica terra immediatè adhæret aeri sine aqua media. Sed in aliquibus elementis, & maximè in his quæ sunt multùm activa, utputa quòd ignis immediatè adhęreat aquæ sine aere medio, immediatio esse non potest.

Ex hoc ergo datur nobis intelligi quòd paucæ debent esse exemptiones, & in paucis inveniri debet quòd inferius jungatur superiori sine medio: & in illis paucis hoc fieri debet pro utilitate publica & magna inde evenienti, sicut posuimus exemplum de studio, ut quia tanta utilitas provenit Ecclesiæ de studio & ex scientia: quia ex ea nutritur fides & roboratur, si privilegia & exemptiones concedantur alicui uni-

universitati, vel alicui Religioni deditæ studio totaliter, potest inde summus Pontifex meritò commendari. Possumus autem immediationem elementorum ut quòd conjungatur inferius elementum superiori sine medio aliquam possibilem ponere, aliquam verò impossibilem. Possibilem possumus non totalem: nam licèt naturaliter inter terram & aerem sit aqua media, voluit tamen Deus terram & circa aliquam sui partem ut circa Septentrionem habere aliquā alticiem & montuositatem, ut non posset tota illa pars cooperiri aquis, sed possint ibi salvari animalia & plantæ. In talibus ergo elementis ut inter aerem & terram quantum ad aliquā sui partem potest esse immediatio sine aqua media, sed in aliquibus elementis ut inter aquam & igné non potest esse immediatio sine aere medio, quia statim unum corrūperetur ab alio. Ea igitur quæ videmus in ordine elementorum secundùm possibilitatem & impossibilitatem, possumus adaptare ad status Ecclesiasticos secundùm decentiam & indecentiam: & secundùm utilitatem & nocumentum: nam exemptio habet majorem decentiam cum paupertate quàm cum divitijs; & convenientius & decentius & magis
NOTA. utile est Ecclesiæ quòd religiosi pauperes sint exempti, quàm religiosi divites propter tria.

Primò propter otiositatem: nam divites (loquendo communiter) sunt magis otiosi quàm pauperes, quia magis habent sufficientiam vitæ quàm habeant pauperes; & ideò magis vacant otio quàm pauperes: & vacantes otio incidunt in cogitationes vanas & pravas, ut cogitent quæ non licent: & cogitando perficiant, cùm non oporteat eos laborare, & retrahi à cogitationibus suis: & istud dicitur fuis-
Ezech. 16. se peccatum Sodomæ, juxta illud Ezech. 16. *Ecce hæc fuit iniquitas Sodomæ sororis tuæ, superbia, saturitas panis & abundantia, & otium.* Secunda ratio ad hoc est prosperitas, quæ in eadem auctoritate exprimitur cùm dicitur: *Saturitas, & abundantia panis*: ad quod potest adduci auctoritas Psalmi cùm dicitur: *Cadent à latere tuo mille, & decem millia à dextris tuis*: Pro uno enim qui cadit à latere, idest à sinistra, in adversitate sunt decem, qui cadunt à dextris tuis in prosperitate.

Tertio hoc idem patet ex quadam securitate: est enim secundùm Philosophum, de-
1. Pol. c. 6. narius fideijussor noster, ut habetur in Politicis: nam sicut habens denarium habet denariata: ideò denarius possidentibus dicitur fideijussor, quia quotiescumque voluerit pro denario habebit denariata: tam sunt igitur divitiæ nostræ, ut denariata sint in denarijs, qui sunt fideijussores nostri, securitatem rerum omnium nobis reddentes. Hanc ergo securitatem cùm divites habeant, non ponunt Deum adjutorem suum, sed confidunt in divitijs suis. Tales inquam, sunt viri divitiarum, qui confiden- *Psalm. 75.*
tes in divitijs suis, dormiunt somnum suum, quia eis hæc vita est quasi quoddam somnium: quia sicut homo in somnijs non sufficienter cogitat, & faciliùs assentit illecebris, sic homines divitiarum faciliùs ad illecebra inclinantur. Benè etiam tales dicuntur viri divitiarum, & non divitiæ virorum, quia magis possidentur à divitijs, quàm possident eas.

Et quod dictum est de religiosis divitibus, in ipsis etiam Capitulis, quorum fundamentum sunt divitiæ, veritatem habet: quia vacantes otio, abundantes divitijs, & confidentes divitijs, non cogitant quid proficuum, sed quid damnosum: nec in cordibus suis ruminant, quomodo Ecclesiæ proficiant, sed quomodo Prælatum impediant, & impinguati recalcitrant, qui si exemptione carerent, humiliter obedirent. Religiosi autem pauperes in omnibus his contrarias conditiones habent, quia non sunt otiosi, sed studiosi: vident enim nisi sint studiosi & sapientes, quòd non habentur in prætio: ideò totam suam vitam ordinant, ut studiosi & sapientes fiant. Sicut ergo, ut ait Philosophus in Ethicis: *Apud illos sunt viri bellicosi, apud quos honorantur fortes*: Sic apud Religiosos pauperes sunt viri intelligentes & studiosi, quia apud eos honorantur sapientes.

Secūdo ad Religiosos pauperes possumus adaptare cōtrariū ejus quod dicebatur de viris divitiarū sive de divitibus, quia sicut in divitibus est abūdātia & prosperitas, sic in pauperibus est penuria & adversitas: & sicut divites dicūtur esse in manu dextra propter prosperitatem, sic pauperes dicuntur esse in sinistra propter paupertatem, ut dictum est per Prophetam: Vbi cadit unus à latere & à sinistra, cadunt decem in prosperitate & à dextra. Propter quòd magis est profi-
Deuum Ecclesiæ quòd pauperes exemptione præemineant, quàm quòd divites. Possumus etiam dicere quòd Religiosi pauperes, quia oportet eos mendicare, & per bonam famam suæ vitæ sustentationem quærere, si faciant excessum, & sæculum scandalizant, oportet illud scandalum per correctionem tollere, & à scandalo abstinere; ut possint se ad honorabilem statum reducere, aliter vitę necessaria non haberent: sed divites non sic curant de scandalis, cùm videant se sine quæstu habere sufficientiam vitæ. Posset *Objectio.*
ad hoc idem de Prælatis dici per abundantiam, quam videntur habere. Sed, ut Philosophus ait in lib. Rhetoricorum, semper mores divi- *Dilutio.*
tum sunt pejores moribus potentum: potentes

enim

enim & habentes jurisdictionem sive temporalem, sive spiritualem, quia occupati sunt circa multa, non vacat eis malefacere: quod non est dicendum de divitibus, qui solùm habent abundantiam temporalium, & non habent jurisdictionis occupationem.

Tertiò religiosi pauperes sunt contrarij divitibus quantum ad securitatem, quia non confidentes de divitijs quas non habent, oportet quòd omnibus placeant, & ab omnibus sint in honorem, ut possint ab omnibus subveniri. Cùm ergo exemptio sit contra naturam, quia conjungit inferius suo superiori sine medio; & naturale sit contrarium quòd inferius suo superiori per medium conjungatur, non debet summus Pontifex ullam concedere exẽptioné, immò B concessam vel aliàs obtentam potiùs debet tollere, nisi hoc faciat pro utilitate Ecclesiæ magna: & hoc magis debet facere in pauperibus quàm in divitibus, quia in pauperibus & maximè religiosis, communis utilitas studij cernitur provenire. Advertendum, quòd exemptio dicitur esse contra naturam, quia est contra quamdam imitationem naturalem: quia naturaliter jus positivum debet imitari jus naturale, & ars debet imitari naturam, & intellectus humanus, à quo est ars & jus positivum, debet imitari intellectum Divinum, à quo est omnis natura, & omne quod est naturale. Et quia tam in ele- C mentis, quàm in alijs rebus naturalibus (ut est per habita manifestum) modo quo dictum est, contra naturam est, quòd inferius jungatur superiori sine medio; & ideò rationabiliter dictum est exemptionem esse contra naturam.

CAP. VII.

Quòd exemptio contradicit ordini universi & suarum partium, cui se debet Hierarchia Ecclesiastica conformare.

Ex disput. 13. in solut. 4. dubij.

COmmentator in 9. Metaphysicorum, multum habet pro inconvenienti quòd sit unum agens quod agat sine medio, & quòd Deus faciat omnes actiones sine medio, & quòd res sint destitutæ actionibus proprijs: & quia lex Christiana hoc ponit quantum ad posse, licèt non quantum ad agere, agit actione rerum mediantibus rebus, ita quòd res non sint destitutæ proprijs operationibus: calefacit enim non omnino immediatè, sed mediante igne. Et licèt hoc sit verum quantum ad agere, non tamen est verum quantum ad posse: potest enim calefacere sine igne, & humectare sine aqua; A sed rarò hoc facit: rarò enim facit opera rerum sine rebus, & rarò subtrahit rebus operationes proprias: tamen utrumque facit & utrumque potest: potest enim actiones rerum agere sine rebus, quia potest humectare sine aqua, & calefacere sine igne: & potest rebus subtrahere operationes proprias, quia potest quòd aliquis in ignem non calefiat, & quòd aliquis pergens super aquas non madefaciat sibi pedes. Commentator tamen in præfato libro, hoc pro valdè inconvenienti habet: ait enim quòd moderni (hoc potest intelligi de Christianis) ponunt unum, agens omnia entia sine medio scilicet: & subdit, quòd contingit istis ut nullum ens habeat actionem propriam: & cùm omnia entia non habeant actiones proprias, non habebunt etiam essentias proprias, quia actiones (ut ait) non diversificantur, nisi per essentias diversas: & subdit, quòd ista opinio est valdè extranea à natura hominis: & qui recipiunt hujusmodi opinionem, non habent cerebrum valde habile ad bonum.

Fuit ergo magnum inconveniens apud eos, quòd res essent destitutæ proprijs operationibus, quia tunc essent destitutæ proprijs substantijs, cùm non diversificentur operationes rerum, nisi quia substantiæ rerum sunt diversæ: videretur enim quòd si res non haberent operationes C proprias, non haberent naturas & substantias proprias. Ponens ergo secundùm eos, quòd qui exuritur igne non calefit ab igne, & ponens quòd pergens super aquas non madefit ab aqua, est ponere secundùm eos, quòd ignis non sit ignis, & aqua non sit aqua. Tamen si consideramus veritatem rerum non est ex impotentia Creatoris, quin possit sine rebus medijs operationes facere; & quin possit ab omnibus rebus suas operationes subtrahere: Deus est enim omnium potens, qui habet omne posse; & ideò habet omne posse, quia habet omne esse: quia ergo sicut res se habent ad esse, Dicta se habent ad posse & ad agere: ut quod habet esse calidum; habet posse calefacere, & habet tale agere, quia præsente calefactibili calefacit. Cùm ergo esse Divinum sit esse infinitum, oportet quòd in illo esse congregetur omne esse: & ideo Dionysius in de Angelica Hierarchia ait, *Quod esse omnium est in esse D.i.* Habet ergo Deus omne posse, quia habet omne esse: & solum illud Deus non potest, quod subterfugit rationem entis. Contradictionem ergo Deus non potest, quia hoc est potentiæ quę subterfugit rationem entis: nam hoc est contradici, verificari ponens, aliquid simul esse & non esse, quod est impossibile.

Revertamur ergo ad propositum, & dica-

mus quòd Deus habet omne posse, quia habet omne esse, ita quòd omne esse creaturarum est quædam participatio Divini esse; propter quod si in Deo congregatur omne esse, congregabitur in eo omne posse, ut possit sine creaturis agere omnia opera creaturarum. Nec est propter indigentiam Dei, quòd Deus calefaciat mediante igne, & humectet mediante aqua; sed hoc est quia non vult Deus res esse supervacuas & otiosas, sed vult suam dignitatem communicare creaturis. Et licèt hujusmodi dicta sub quodam involucro in præcedentibus sint tacta, in hoc tamen capitulo sunt lucidiùs declarata. Hæc autem si volumus adaptare ad summum Pontificem, dicemus, quòd summus Pontifex potest omnia sine Prælatis medijs, quia tamen Ordinarius ubique est, non decet eum facere omnia sine Prælatis: quia sicut Deus facit res cõmunes mediãtibus rebus ipsis, & vult dignitatẽ suam communicare rebus suis: ita summus Pontifex debet actiones Prælatorum facere mediantibus Prælatis: & decens est ipsum velle suam dignitatem communicare ipsis Prælatis. Et licèt hoc non sit in Deo ex aliqua indigentia, quia posset facere actiones sine creaturis: in summo Pontifice quia homo est, & non Deus, licèt sit Vicarius Dei, hoc est ex aliqua indigentia, quia non potest sine adjutorijs medijs: ideò cùm aliquos ordinat, dicit: Quantò fragiliores sumus, tantò his potiùs indigemus. Si ergo Deus, apud quem non est indigentia, & posset totum sine difficultate facere, non vult res destituere proprijs operationibus, sed vult eis suam dignitatem communicare: & si aliquando hoc Deus facit, non facit nisi pro aliqua publica & evidenti utilitate Ecclesiæ & fidei. Sic quia eximere aliquos alios à jurisdictione Prelatorum, hoc est facere opera Prælatorum sine Prælatis, & hoc est destituere Prelatos quantum ad exemptos proprijs operationibus, & hoc secundùm Philosophos, quantum ad exemptos, est facere Prælatos non esse Prælatos: nõ ergo debet hoc facere, licèt possit, nisi pro evidenti & publica utilitate fidei & Ecclesiæ.

Vt autem declaremus quod in capitulo agitur, quòd exemptio est contra ordinem Vniversi, adducemus auctoritatem Augustini de ordine corporalis & spiritualis creaturæ, ex quibus duobus totũ cõponitur Vniversum: sunt enim duæ principales partes Vniversi, corpus & spiritus, ex quibus componitur homo; propter quod meritò dicitur totus mundus. Erunt ergo tres ordines in universo, unus qui est totius universi tam corporum quàm spirituum: secundus qui est ipsorum corporum: tertius qui est ipsorũ spirituum. Totum autem Vniversum habet tres partes, corpora inferiora, corpora superiora, & spiritus: corpora inferiora ut elementa reguntur per corpora superiora & potentiora, ut per supercœlestia: & omnia corpora per spiritus, sive per spirituales substantias. Exemptio autem contradit huic ordini qui est Vniversi, quia reducit infimum supremo sine medio: quia reducit inferiores personas, qui debent esse sub Prælatis, in supremum Prælatum sine Prælatis medijs. Si ergo Deus hoc ordine regit universum, quòd reducit inferiora corpora, idest elementa in superiores substantias, idest spiritus, per corpora media, idest per cœlestia, quæ sunt media inter spirituales substantias & hæc elementa: summus Pontifex, qui est Dei Vicarius, & debet se conformare Deo, hoc modo debet regere universalem Ecclesiam, quòd personas inferiores debet reducere in seipsum, qui est supremus Prælatus, per Prælatos medios. De hoc autem ordine totius Vniversi loquitur Augustinus lib. 3. de Trin cap. 4. quòd Deus corpora grossiora & inferiora per subtiliora & potentiora quodam ordine regit: & omnia corpora per spiritus. Hunc autem ordinem, quem videmus in toto universo composito ex corporibus & spiritibus sive ex corporalibus & spiritualibus substantijs, reperimus etiam inter ipsa corpora, quia elementa superiora, ut aer, ignis reguntur per corpora supercœlestia: elementa autem inferiora, ut terra, aqua reguntur per elementa superiora, non quin influentia cœlestis pertingat usque ad elementa inferiora, sed numquam pertingit ad ea nisi mediantibus elementis superioribus, quæ sunt media inter cœlestia & elementa inferiora. Sic influentia summi Pontificis ad quascumque infimas personas in Ecclesia: sed debet ista influẽria pertingere per Prælatos medios, ut nullus sit qui se abscondat à calore ejusdem & aliorum Prælatorum. Et sicut in corporibus reperitur ordo, quia corpora inferiora reducuntur ad superiora per media; sic in ipsis spiritibus (qui sunt altera pars Vniversi, quia corpora & spiritus totum universum constituunt) reperitur ordo, quia secundùm Augustinum præfato libro & capite, spiritus vitæ irrationalis regitur per spiritum vitæ rationalis: & spiritus vitæ rationalis desertor atque peccator, per spiritum vitæ rationalem justum & pium: & ille per spiritum Domini, ac si universa creatura per Creatorem suum, per quẽ & in quo condita est atque constituta. Et quia Deus ordinatè cuncta fecit, decet summum Põtificem ordinatè cuncta peragere. Cùm ergo per exemptionem ipse ordinatissimus ordo intercidatur, non decet summum Pontificem exẽptionem facere vel concedere, sed potiùs factam

Homo dicitur totus mundus.

S. P. N. Aug. lib. 3. de Trin. cap. 4.

& con-

& conceſſam tollere, niſi hoc ſit pro magna & evidenti utilitate Eccleſiæ, & Reipublicæ effectui mancipetur. Sed cùm ex hoc utilitas Reipublicæ non oritur, ſed impeditur, nulli debet eſſe dubium, exemptionem hujuſmodi eſſe tollendam.

CAP. VIII.

Quòd exemptio contradicit his quæ videmus in iſtis corporibus, prout in eis reperiuntur diverſi gradus.

LIcèt elementa inferiora reducantur in corpora cœleſtia per elementa media, tamen præter elementa invenimus corpora mixta ex elementis, in quibus ſunt diverſi gradus, quia hujuſmodi corpora mixta, ex elementis compoſita, quædam ſunt inanimata, quædam animata anima vegetabili, & quædam anima ſenſibili: ipſa etiam animata anima ſenſibili ſecundùm Philoſophum dividuntur in tres gradus, videlicet in ſenſitivum, ſecundùm locum motivum, & intellectivum: nam quædam animata ſenſitiva ſic ſentiunt quòd non moventur ſecundùm locum, ſicut videmus de oſtreis marinis, quæ non moventur de loco ſuo, ſed ſolùm movent ſe ſecundùm aperitionem & conſtrictionem, aperiunt enim ſe & reſtringunt, & iſto modo nutriuntur, recipiendo aquas maris vel aliud elementum, & vivunt. Aliqua autem animata ſenſitiva non ſolùm ſentiunt, ſed moventur ſecundùm locum. Hæc autem animata licèt ſint non ſolùm ſenſitiva ſed ſecundùm locum motiva, tamen multa ex eis carent ratione & intellectu, cujuſmodi ſunt omnia irrationalia. Oportet ergo dare tertium gradum ſenſitivorum qui habèt rationem & intellectum, cujuſmodi homo eſt. Animatum ergo anima ſenſitiva, habet tres gradus, ſenſitivum, ſecundùm locum motivum, & intellectivum.

Omnia ergo hæc enumerata ſecundùm inferius & ſuperius participant entis dignitatem quia inanimata indigniora ſunt animatis anima vegetativa: & ipſa vegetativa ſunt indigniora animatis anima ſenſitiva: & ſenſitiva, quæ non moventur ſecundùm locum, ſunt indigniora his, quæ moventur ſecundùm locum: & quæ non intelligũt ſunt indigniora his, quæ habent rationem & intellectum. Sicut ergo volens æquiparare inanimata animatis, & animata anima vegetativa animatis anima ſenſibili, & ſic in alijs gradibus, facit contra naturam iſtorum corporum; ſic volens inferiores perſonas æquiparare

NOTA

A Prælatis, ut ſint immediatè ſubjectæ ſummo Pontifici, ſicut ſunt Prælati, facit contra naturam ſubjectionis, & contra ordinem Eccleſiæ, in qua debent aliqui præeſſe, aliqui ſubeſſe ſuo ordine debito, ut ſemper inferiora reducantur in ſuperiora per media: immo ſi benè conſideramus, exemptio non ſolùm æquiparat ſubditos Prælatis, immò facit eos ſupra Prælatos, quia Prælati ipſi quodam ordine reducuntur in ſummum Pontificem, ut Epiſcopi per Archiepiſcopos, & Archiepiſcopi per Primates & Patriarchas. Tollere ergo iſtum ordinem per Sanctos Patres & Apoſtolos ductum in Eccleſia, niſi, ut ſæpe ſepiùs diximus, hoc fiat pro notoria & evidenti Reipublicæ & populi Chriſtiani B utilitate, recta ratio contrà dictat.

Non tamen dicimus quin elementa inferiora utputà terra, quod eſt infimum corporũ, oſsit æquari cœlis, & non ſolùm conjungi cœlo, ſed exaltari ſuper omnes cœlos, pro manifeſta & evidenti utilitate, & regimine univerſi, & exaltatione juſtorum. Nam terra quæ eſt in corpore Chriſti, quia corpus ejus fuit compoſitum ex quatuor elementis, & in ejus corpore adhuc ſunt quatuor elementa ſicut ſunt in alijs corporibus humanis, quia per omnia voluit fratribus aſsimilari, & per omnia aſsimilatus eſt nobis quando per humanam naturam factus eſt C homo, ſicut & nos homines ſumus; illud enim & idem corpus & ſic compoſitum quod habent nunc ſancti ad ſarcinam, habebunt in reſurrectione ad gloriam: & corpora Sanctór m poſt reſurrectionem elevabuntur ad cœlum Empyreum quod eſt ſuper omnes cœlos alios, ubi nunc eſt verè corpus Chriſti, qui cum corpore ſuo quod contraxit de B. Virgine, & quod compoſitum eſt ex quatuor elementis, aſcendit ſuper omnes cœlos, & ſedet ad dexteram Dei Patris. Omnia ergo elementa, & etiam ipſa terra ut eſt de compoſitione illius corporis, oportet quòd ſint elevata ſuper cœlos, quia ſicut D compoſitum non habet eſſe ſine ſuis componentibus, ſic non poteſt elevari compoſitum ſine ſuis componibilibus. Et quia propter electos facta eſt iſta corporum exaltatio, & ad hoc tendit tota Eccleſia, pro iſta maxima & evidenti excellentia electorum, elementa & ipſa terra ut eſt de compoſitione corporum eorum non ſolùm conjungetur cœlo, ſed etiam elevabitur ſuper omnes cœlos. Eo tamen modo elevabuntur elementa quæ ſunt de corporum inferiorum electorum compoſitione, quo manent in mixto: quia elementa quæ ſunt de compoſitione mixtorum non manent in mixto ſecundùm eſſentiam ſed ſecundùm virtutem: nam ſecundùm Philoſophum in libro de Gen. cap. de

Mixtione, ubi assignat modum, quomodo mis- A esse in masculis, quia fœminæ in utero propter
cibilia vel elementa maneant in mixto, ait, moliciem & labilitatem materiæ non ita citò
quòd salvatur virtus eorum, ideſt sunt vel sal- formantur & lineantur, sed postquam forma-
vantur in mixto secundùm virtutem. Ergo si- tæ & lineatæ sunt, citiùs perficiuntur: pro-
cut pro evidenti excelentia justorum, ad quam pter quod si mares præcedunt eas in lineatione,
ordinantur omnes ordines Ecclesiastici, potest quia citiùs lineantur, non præcedunt eas, im-
terra, quod est infimum elementum, immedi- mò sequuntur & apponunt bis de tempore quã-
atè conjungi supremo cœlo, & immediatè tum ad exitum de utero, quod non apponunt
collocari in cœlo Empyreo, sic pro evidenti fœminæ: & hoc modo si totum tempus com-
utilitate & pro defensione fidei sapientes & in- putetur, quo fœtus stat in utero, non oportet
fimæ personæ possunt gaudere exemptione, & quòd ante exeat de utero, vel quòd ante nas-
immediatè collocari sub summo cœlo, ideſt sub catur de utero fœtus masculinus quàm fœmini-
summo Pontifice. nus. Advertendũ etiã quòd naturalia non sem-

B per sunt secundùm eundem punctum, sed ali-

CAP. IX.

Quòd per ea quæ videmus in homine, qui est dignissima creatura, & animalium optimum, possumus specialiter concludere, quòd exẽptio sit contra naturam.

SI considerabimus, quæ sunt in homine quantum ad corpus, habebimus speciale argumentum, quòd exemptio est contra naturam. Si etiam consideramus corpus humanum in suo primordio, quomodo de uno modo vivendi tendit in alium modum vivendi, & quòd numquam de infimo modo vivendi tendit ad supremum sine medio, apparebit ex hoc specialis ratio quòd exemptio, quæ sine medio tendit in supremum, est contra naturam. Habet corpus humanum cùm adhuc est embryo, secundùm Philosophum in libro de Animalibus, triplicem modum vivendi, quia primo vivit vita plãtæ, secundo vita animalis, tertio vita hominis. Vivit enim primo vita plantæ, quia nutritur & augetur sicut planta: ita quòd si pungeretur cum acu, non sentiret quandiu vivit tali vita. Deinde antequam infundatur anima rationalis (quæ non infunditur nisi post perfectionem omnium D membrorum) incipit sentire, & vivit vita animalis. Post infusionem animæ rationalis, vivit vita hominis. Sed si volumus consequi modum loquendi Augustini lib. 83. quæst. q. 56. dicemus, quòd fœtus in utero per sex dies est quasi lac, per novem dies est quasi sanguis, per duodecim dies consolidatur & est quasi caro, per decem & octo dies formantur & lineantur membra, qui dies omnes simul sumpti faciunt quadraginta quinque: & quia in illo puncto, in quo sunt omnia membra lineata, infunditur anima rationalis: secundùm hunc modum in masculis 45. die infunditur anima rationalis.

S.P.N. Aug. lib. 83. qq. q. 56.

Advertendum tamen, quòd hoc dicimus

quas ponunt plus de tempore, aliqua minus. Augustinus narrans tempus quod apponit fœtus in utero ante infusionem animæ, dicit quòd majus tempus, quod apponitur in lacte, sunt sex dies. Aliqui enim fœtus secundùm sententiam Philosophorum anticipant istud tempus, ut non fiat fœtus completè per sex dies in lacte: & sic etiam de sanguine, & carne, & lineatione membrorum aliqui fœtus anticipant tempus ab Augustino positum, ut in quadragesimo die possit infundi anima, vel etiam in minori tempore.

His autem suppositis quòd fœtus per ali- C quod tempus sit quasi lac, per aliquod quasi sanguis, per aliquod quasi caro, & per aliquod tempus formentur & lineentur membra, qua formatione & lineatione facta infunditur anima rationalis: ex his possumus scire per quantum tempus vivit vita plantæ, & per quantum tempus vita animalis, & in quo tempore incipit vivere vita hominis: nam toto illo tempore, quo est quasi lac, vel quasi sanguis, oportet quòd vivat vita plantæ, ita quòd si pungeretur acu non sentiret: nam nec in sanguine, nec in lacte possunt esse nervi qui sunt organum tactus, per quos sentimus, cùm quis nos pungit. Potest ergo fœtus cùm est lac vel sanguis vivere vita plantæ, & nutriri & augeri sicut nutritur & augetur planta. Sed cùm incipit ibi esse caro, incipiunt ibi nervi apparere, & si pungeretur, inciperet sentire: propter quòd in totum illud tempus in quo est caro, & in quo lineantur membra, potest dici vivere vita animalis, quia omne quod sentit est animal: sed non debet dici, quòd vivat vita hominis, quia nondum ante completam lineationem membrorum, est sibi infusa rationalis anima, sed in illo instanti in quo sunt omnia membra completè lineata, creditur quòd anima à Deo creando infundatur & infundendo creetur, ut ex tunc incipit vivere vita hominis, cujus forma specifica est rationalis anima. Si ergo sic est in compositione hominis, ut non fiat transitus de inferiori ad superius

perius ſine medio ; & à vita plantæ non fiat transitus ad vitam hominis ſine vita animalis; vel in fœtu humano non fiat trãſitus à vegetativo ad intellectivum ſine ſenſitivo medio : ſic etiam cùm Eccleſia compoſita ſit ex hominibus, debet conſiderare ſummus Pontifex, cùm ipſe ſit homo , quomodo formavit Deus ipſum in utero, quia non ſtatim à vita vegetativa tranſtulit ipſum ad vitam intellectivam, ſed hoc fecit mediante vita ſenſitiva : voluit enim Deus à vegetativo quod eſt inferius , tranſire ad intellectivum quod eſt ſuperius , non ſine ſenſitivo medio. Sicut enim Deus ſic formavit in utero, quodam ordine debito ; ſic ipſe debet regere & formare Eccleſiam , ideſt totum populum Chriſtianum quodam ordine debito , ut non tranſeat ab inferiori ad ſuperius ſine medio. Et quia hoc facit exemptio, quia conjungit inferius ſuperiori ſine medio pertinente , ideò ſummus Pontifex exemptionem faciens vel tolerans, facit contra ſuam formationem , & contra ſeipſum.

Nec dicimus quòd hoc non poſſet facere, quia & Deus , cujus Vicarius eſt , non in omnibus hunc ordinem tenuit , licèt valdè paucos ab hoc ordine exemerit : non enim eximit niſi tres vel tria corpora ſcilicet Adam , cujus corpus formatum fuit de limo terræ : Evam , cujus corpus formatum fuit immediatè de coſta Adæ, ut habetur Gen. 2. non de coſta ſine carne, ſed de coſta cum carne : nam cùm adducta fuit Eva ad Adam , ait Adam. *Hoc os de oſsibus meis, & caro de carne meâ.* Tertius , qui fuit exemptus ab hoc ordine , fuit Chriſtus, cujus corpus non priùs fuit lac , poſteà ſanguis , poſteà caro , & poſteà formata ſunt ejus membra , ſed ſtatim in illo inſtanti , in quo dixit B. Virgo, Ecce ancilla Domini fiat mihi ſecundùm verbum tuum, ſtatim ſupervenit in ea Spiritus Sanctus, & ſtatim virtute Spiritus Sancti, vel virtute totius Trinitatis & appropriatè Spiritus Sancti, Verbum in utero factum eſt caro , ut vult Gregorius in moralibus. Auguſtinus tamen 2. de Trinitate, cap. 6. exponit, quomodo debet intelligi, quòd Verbum factum eſt caro : quia ibi caro ſtat pro homine : & idem eſt dicere , Verbum caro factum eſt , ac ſi diceremus , Verbum factum eſt homo. Sunt ergo quatuor formationes humanę: una generalis ſecundùm quam omnes homines formati ſunt , formantur , & formabuntur : & tres exemptæ , quæ ad ſolum Deum pertinent, quia ſolus Deus potuit illas tres formationes facere. Omnes tamen hæ quatuor formationes ſunt diſsimiles, ut non ſit una ſicut alia: Adam enim formatus fuit de terra , ſine precedente viro & fœmina : Eva formata fuit ſine fœmina præcedente : Chriſtus de fœmina ſine viro efficiente : Omnes autem alij ex viro & fœmina; ex viro quidem efficienter , ex fœmina verò materialiter. Quod enim in alijs hominibus facit vir vel ſemen viri efficienter quantum ad formationem corporis & ad lineamenta ejus in multis diebus, quia tale corpus per aliquot dies eſt lac , per aliquot eſt ſanguis , &c. Hoc fecit Spiritus Sanctus in corpore Chriſti in inſtanti, quia in uno & eodem inſtanti , non per intervalla temporum , corpus Chriſti fuit formatum & organizatum ; & factum eſt Verbum caro, ideſt Verbum factum eſt homo: & ille, qui æternaliter erat Deus , factus eſt in tempore homo per unionem ad carnem , quæ unio fuit tanta, ut faceret hominem eſſe Deum , & Deum hominem.

Ex his autem debet accipere exemplum ſummus Pontifex ; ut ſicut formatio hominis, quæ figurat formationem Eccleſię, eſt una communis omnibus , & valdè fuerunt pauci exempti à formatione illa : ſic formatio Eccleſiæ debet eſſe omnibus communis , ut Prælati reducantur in ſummum Pontificem , & omnes alij Prælati per Prælatos. Declaratum eſt ergo ex ipſa formatione corporis humani , quomodo exemptio eſt contra naturam ejus , loquendo communiter de hujusmodi formatione , à qua valdè pauci fuerunt exempti. Hoc ergo idem quod declaratum eſt ex parte corporis humani, eſſet declarandum ex ipſa anima humana : ſed hoc in ſequenti capitulo intendimus declarare.

CAP. X.

Quòd per ea , quæ videmus in anima humana , poſſumus concludere , quòd exemptio eſt contra naturam.

POſtquam declaravimus ex parte corporis humani, quomodo formatio (communiter loquendo) vadit de infimo modo vivendi ad ſupremum per medium , cujus contrarium facit exemptio ; volumus oſtendere nunc ex parte animæ humanæ quæ tendit in ſuum ſupremum per multa media, quod Eccleſiæ contradicit exemptio , quæ conjungit, inferius ſuperiori ſine medio. Ajunt ſapientes Philoſophi, quòd Anima naſcitur in horizon æternitatis. *Plato in Phedro.* Eſt enim horizon ille circulus in cœlo , qui dividit hemiſphærium inferius ab hemiſphærio ſuperiori , & ſemper eſt horizon ubi nos ſumus : niſi enim montes , vel domus , vel elementa impediant, videmus medietatem cœli, &

alia

alia medietas nobis semper occultatur: & ille circulus qui dividit inter utrumque cœlum, vel inter utramque medietatem cœli, dicitur horizon, ideſt terminator viſus, quia uſque ad illum circulum ſe extendit viſus noſter.

Advertendum tamen quòd licèt ſecundùm nos hæc medietas cœli quam videmus, ſit hemiſphærium ſuperius, quia versùs illam medietatem erigitur caput noſtrum: tamen ſequendo viam Philoſophi, ponentis inferius & ſuperius ſecundùm exigentiam Vniverſi, & ſecundùm veritatem, illud hemiſphęrium, quod nobis occultatur, eſt hemiſphærium ſuperius; & illud, quod videmus, eſt inferius. Polus quoque qui nobis occultatur eſt ſuperior, & iſte polus, quem videmus, dicitur inferior. Eſt enim cœlum ſecundùm Philoſophum animatum, non quòd anima cœli & motor ejus faciat unum ſecundùm eſſe, quia motor cœli non influit cœlo vivere (quod viventibus eſt eſſe) ſed influit cœlo vivere ſecundùm quod vivens dicit operationem vitæ, quia influit ei motum, qui eſt quoddam opus vitæ: nam aquæ fluentes & motæ dicuntur aquæ vivæ, non fluentes & non motæ dicuntur aquæ mortuæ. Cœlum ergo vivit, quia anima ejus vel motor ejus influit ei motum, qui eſt quodam opus vitæ: in rebus autem animatis ſi eſt dare dextrum & ſiniſtrum, hoc eſt ſecundùm motum, quia in ſphæra ex parte dextra incipit motus.

Ideo docet Vegetius in lib. de re militari, quòd militantes pedem ſiniſtrum teneant immobilem, & cum pede dextro faciant ſe ante & retro: ita & pedites bellantes debent ſe hoc modo habere: eſt enim pars dextra ſic apta ad motum, quòd ſi bellantes vel luctantes vellent pedem dextrum tenere immobilem, non benè poſſent militare. Erit ergo in cœlo dextra pars illa à qua incipit motus. Imaginemur ergo unũ hominem, ſicut imaginatur Philoſophus, qui habeat caput in uno polo, & pedes in alio, & vertat cœlum de Oriente in Occidens, de neceſſitate habebit pedes ad polum ſeptentrionalem ſive ad polum arcticum, & caput ad polum meridionalem ſive ad polum antarcticum, & manum dextram ad Orientem, & ſiniſtram ad Occidentem: quòd ſi caput haberet ad ſeptentrionem & pedes ad aliũ polum, non poſſet vertere cœlum niſi manum ſiniſtram haberet ad Orientem, & dextram ad Occidentem. Inciperet ergo motus cœli ab Occidente, quod videmus ad ſenſum eſſe contrarium: motus enim Planetarum incipit ab Occidente, ſed motus cœli ſeu primi mobilis ab Oriente. Hemiſphærium ergo cœli, quod videmus, eſt inferius: quod occultatur nobis, eſt ſuperius. Quòd ſi imaginamur motorem ipſius cœli ad modum unius hominis, non poterit habere dextrum ab Oriente, unde incipit, niſi habeat caput ad polum inviſibilem, & pedes ad ſeptentrionem, qui eſt polus viſibilis. Illa ergo medietas, quę reſpicit cœlum inviſibile, eſt medietas ſuperior, & ſecundùm adaptationem jam dictorum eſt caput motoris.

Quod dictum eſt de iſto cœlo materiali, veritatem habet de toto Vniverſo; nam ſicut hoc cœlum materiale habet duas partes, hemiſphęrium ſuperius, & hemiſphęrium inferius: & ſicut in hoc cœlo hemiſphęrium ſuperius eſt pars inviſibilis, & hemiſphærium inferius eſt pars viſibilis: ſic totum Vniverſum habet duas partes, videlicet ſenſualia, quæ ſunt iſta quæ videmus, & ſe habent in Vniverſo ut hemiſphærium inferius; & intellectualia, ſive ſubſtantiæ ſeparatæ aut ſpirituales, quas communi nomine vocamus Angelos, qui ſe habent in hemiſphærium ſuperius: & circulus ille imaginatus, qui dividit inter utrumque hemiſphærium, dicitur horizon, ideſt terminator viſus, quia dividit inter hemiſphærium inviſibile quod eſt ſuperius, & hemiſphærium viſibile quod eſt inferius. Sic in toto Vniverſo ſunt tria, videlicet ſpiritualia quæ ſunt æterna & ſunt inviſibilia: & hæc corporalia, quæ ſunt temporalia & viſibilia: & anima humana eſt tertium, quia creata eſt in horizonte æternitatis; ideſt creatura eſt media inter inviſibilia quæ ſunt æterna, & hæc viſibilia quæ ſunt temporalia. Eſt ergo dare in Vniverſo unum terminum ſummum, qui eſt Deus, & ſuper omnia: & unum terminum infimum, & infra omnia, qui eſt materia prima, & unum terminum medium, qui eſt anima humana, quæ creata eſt inter æterna & temporalia, ſive inter ſpiritualia & corporalia. Omnia ergo ſpiritualia & omnes Angeli ſunt inter Deũ & animam: & omnia corporalia ſunt inter animam & materiam primam.

Ideò Dionyſ. 13. de Cœleſti Hierarchia, vocat iſtam multitudinem corporalem coarctatam, quia ſunt in parvo ſpatio: aliam verò cœleſtium militiarum & Angelorum multitudinem vocat multam, ideſt ampliatam, quia ſunt in amplo ſpatio: corporalia enim ſunt inter animam humam & materiam primam, quia quælibet earum eſt creatura, & omnis creatura eſt finita, ſpatium, ubi ſunt corporalia debet eſſe coarctatum & finitum. Sed illud ſpatium ſeu illa ampliatio, ubi ſunt illa ſpiritualia, debet dici ſpatioſum & infinitum: ſunt enim ſpiritualia vel Angeli inter Deum & animam humanam. Sed cùm Deus diſtat in infinitum ab anima humana & à qualibet creatura,

ſpa-

juxta illud ad Hebræos 5. Omnis namque Pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in his quæ sunt ad Deum. Sicut ergo multum subtraheretur bono & Ecclesiæ electorum, si Angeli removerentur à custodia hominum: sic multum subtrahitur huic bono Ecclesiæ & electorum, si Angeli homines, ideſt Pontifices & Prælati subtraherentur à custodia aliorum hominum: & quia hoc facit exemptio, ut exempti non sint sub custodia Episcoporum & Pontificum, consequens est quòd exemptio sit multum damnosa Ecclesiæ & bono electorum: propter quod non solùm exemptio non est facienda, sed facta est removenda, nisi fiat pro magna & evidenti utilitate Ecclesiæ & Reipublicæ. Declaratum est ergo quod in capitulo dicebatur, videlicet quòd per ea quæ videmus in anima humana, quæ reducitur ad Deum per Angelos spiritus, declarari potest quòd exemptio est damnosa, quia reducendi sunt alij homines in summum Pontificem & in Deum per Angelos Episcopos.

Heb. 5. a.

CAP. XI.

Quòd exemptio contradicit formæ & dispositioni arcæ Noe, quæ figurabat & figurat Ecclesiam.

AVgustinus 15. de Civit. Dei, cap. 26. assignat plures modos, quomodo arca Noe figurabat Ecclesiam, primo ratione peregrinationis, secúdo ratione suæ proportionis, tertio ratione locorum distinctionis: possumus & nos istis tribus modis Augustini superaddere quartum modum, secundùm quem illa arca figurabat vel significabat Ecclesiam ratione suæ consummationis. Primo ergo arca illa figurabat Ecclesiam ratione peregrinationis: Nam sicut Noe, & ii, qui cum eo erant, per arcam illam, quæ erat de ligno, transierunt & salvi facti sunt à procellis maris & aquarum diluvij; sic Ecclesia per lignum Crucis, in quo pependit Christus, salvatur à mari & procellis hujus sæculi. Lignum ergo, ex quo facta fuit arca, salvavit arcam, & illos, qui erant in arca: & lignum, in quo pependit Christus, salvat Ecclesiam, & eos, qui sunt in Ecclesia. Vnde Augustinus prefato lib. & cap. de illa Arca ait: *Proculdubio figura est peregrinationis in hoc sæculo Civitatis Dei, hoc est Ecclesiæ, quæ fit salva per Lignum, in quo pependit mediator Dei & hominum homo Christus Jesus.* Sed Arca illa non salvabat à procellis hujus sæculi, nisi quia erat tali modo formata, & tali ordine ordinata: nam arca A illa vel navis vel quodcumque vas, nisi sit debito modo ordinatum, non potest salvare à procellis maris: ergo nec Ecclesia, nisi sit debito modo ordinata, non potest convenienter salvare à procellis hujus sæculi. Et sicut arca illa fuit ordinata secundùm ordinem debitum à Deo datum, ita Ecclesia debet esse ordinata secundùm ordinem à Deo datum: sed, ut Apostolus ait, Deus sic ordinavit Ecclesiam suam, quòd primo posuit † Angelos, ideſt gubernatores aliorum, per quos significantur Episcopi, qui debent gubernare Ecclesias sibi commissas, & personas omnes in suis Diœcesibus existentes. Cùm ergo sit naturale, quòd secunda debent reduci per prima, & inferiora per media in supremum, cùm primum & supremum officium sit gubernatio, quod exercebant Apostoli, quibus succedunt Prælati, ideſt Episcopi, oportet quòd per hos tamquam per supremos & primos omnes alij reducantur in Deum: inter ipsos autem Apostolos erat unus summus, qui vocabatur Petrus, cui succedit summus Pontifex, qui est Dei Vicarius, & Petri successor: alij autem Episcopi gerunt vices aliorum Apostolorum.

1. Cor. 12. † Apostolos

Sed dices, quòd Cardinales gerunt vices Apostolorum. Ad quod dici potest, quòd Apostoli dupliciter considerari possunt, primò ut erant cum Christo, secundò ut erant sparsi per mundum, & cuilibet aliqua pars mundi collata ad convertendum & gubernandum. Apostoli ergo ut erant cum Christo, & assistebant ei, figurantur per Cardinales, qui simul cum summo Pontifice gerunt vices Christi & Apostolorum. Sed Apostoli ut fuerunt sparsi per mundum, & quilibet accepit ad convertendum, & gubernandum aliquam partem mundi, figurantur per Episcopos sic sparsos per mundum, gubernantes alias & alias partes mundi. Propter quod summus Pontifex non immerito utrosque vocat fratres: nam cùm facit aliquid de consilio Cardinalium dicit se hoc facere de consilio fratrum: & cùm scribit alicui Episcopo, scribit ei: Venerabili fratri in Christo. Exemptio ergo, quæ contradicit huic ordini, & quæ conjungit inferiores personas Petro non per Apostolos, ideſt non per Episcopos medios, est contra ordinem Ecclesiæ: & modo quo dictum est, contradicit ipsi arcæ Noe, quæ Ecclesiam figurabat: & debet esse ordinata, ut Deus mandat, & Apostolus describit,

Cardinales.

Papa cur Episcopos, fratres appellat.

Eph. 4.

Viso, quomodo arca Noe figurabat Ecclesiam ratione peregrinationis, & quòd exemptio contradicit huic figuræ & huic dispositioni, quia, tollit debitam dispositionem Ecclesiæ figuratæ per arcam, volumus ostendere quomodo illa arca figurabat Ecclesiam ratione pro-

por-

ſpatium vel amplitudo, ubi ſunt cœleſtes militiæ vel Angeli, debet dici amplum & ſpatioſum, quia eſt infinitum, licèt iſta ſpatioſitas vel amplitudo non ſit materialis ſed intellectiva: & hoc voluit dicere Dionyſ. circa finem 14. cap. cœleſtis Hierarchiæ, *Quòd multæ ſunt beatæ militiæ ſupermundalium intellectuum, ideſt Angelorum, ſuperantes infirmam & coarctatam materialium commenſurationem.* Illæ ergo militiæ intellectuales vel ſupermundales ſive cœleſtes, quas vocamus Angelos, ſunt multæ, quia ſunt in ſpatio multo & infinito; ſed iſta ſpiritualia & corporalia ſunt infirma & coarctata quia ſunt in ſpatio non firmo ſed mobili: non amplo ſed ſtricto: ſunt enim inter materiam primam & animam humanam: quod eſt infimum & coarctatum ſpatium reſpectu ſpatij, quod eſt inter Deum, & animam, quod eſt infinitum & amplum: quia ſecundùm amplum, quod videntur habere temporalia, quæ non ſunt æterna, anima dicitur creata eſſe in horizonte æternitatis, ideſt in infimo Angelorum, & ſupremo corporum: eſt enim media inter corporalia viſibilia, & Angelos; qui ſunt inviſibiles ſecundùm ſe. Sic totum Vniverſum eſt divitum, ut corpora ſint media inter materiam primam & animam: & Angeli ſint medij inter animam & Deum. Naturaliter ergo, quia Angeli ſunt medij inter animam & Deum, illuminationes infunduntur à Deo in animas noſtras mediantibus Angelis, & nos reducimur in Deum per Angelos. ut poſſumus habere ex Dionyſio in de Cœleſti Hierarchia. Et Hierarchia Eccleſiaſtica reducitur in Deum per Hierarchiam cœleſtem, ideſt per Angelos. Et ideò Magiſter, 2. Sent. diſt. 2. adducit auctoritates Auguſtini, quòd Angeli dati ſunt hominibus ad cuſtodiam, ita quòd quilibet homo habet ſuum Angelum cuſtodem.

Vtrum autem unus Angelus etiam ſimul cuſtodiat plures homines, quia hoc non obſtante, quòd quilibet homo habet ſuum Angelum cuſtodem poteſt unus habere plures homines ſub cuſtodia, ſicut non obſtante quòd quilibet Monachus habeat ſuum Abbatem, unus Abbas habet ſub ſe multos Monachos. Vel ſi unus non cuſtodiat plures homines ſimul, utram cuſtodiat ſimul ſaltem ſucceſsivè, ut mortuo uno, detur ad cuſtodiam alij. Sed in hoc profundare pertinet ad materias ſecundi Sententiarum, ubi qui voluerit de hoc ulterius ſcire, poterit noſtra ſcripta inſpicere. Ad preſens autè in tantum dictum ſit, quòd cùm Angeli ſint dati ad cuſtodiendum hominem, & ad cuſtodiendam totam iſtam Hierarchiam Eccleſiaſticam, quia hæc Hierarchia Eccleſiaſtica reducitur in Deum per Hierarchiam cœleſtem, ideſt per Angelos; nam omnes Hierarchiæ cœleſtes, ideſt Angelicæ, ordinatæ ſunt ad ſalutem electorum & propter hoc præſunt Angeli Angelis, & eſt ibi inter eos quidam Principatus, ut ſalventur electi. Sed de hoc inferius agetur, quando de ipſo ordine Hierarchiarum, & ex ipſis ordinibus Angelorum oſtendemus exemptionem eſſe contra naturam. Nunc autem ſcire ſufficiat quòd toto iſto tempore intermedio Angeli præſunt Angelis, & ſuperiores dirigunt & illuminant inferiores de his, quæ ſpectant ad ſalutem electorum: & ſi Angeli ſunt ordinati à Deo propter ſalutem electorum, decens & expediens eſt, quòd homines ſint ordinati à Deo propter ſalutē electorū.

Nam cùm homo ſit compoſitus ex ſpiritu & carne, oportet quòd habeant duo genera cuſtodum cuſtodes ſpirituales ut Angeli, & cuſtodes corporales ut homines: propter quod inter ipſos aliqui homines dicuntur Angeli, videlicet illi qui ſunt cuſtodes aliorum hominum, & hujuſmodi Angeli ſunt omnes Epiſcopi & Prælati: propter quod ait gloſſa ſuper illo verbo Apocalyp. 3. Septem ſtellas) quòd ſtellæ ſunt Epiſcopi, qui debent alijs lucere verbo & exemplo. Si ergo per ſtellas intelligimus Angelos, & per ſtellas Epiſcopos, ergo per Angelos intelligimus Epiſcopos, quia quæ uni & eidem ſunt eadem, inter ſe ſunt eadem. Velle ergo aliquos eximere à cuſtodia Prælatorum, & eos velle eximere à cuſtodia Angelorum prout per Angelos intelligimus Prælatos, & velle eximere eos hoc modo à cuſtodia Prælatorum, eſt eos velle eximere à cuſtodia Angelorum: per Angelos intelligimus ſpiritus, quia omnia iſta ordinata ſunt, ad ſalutem electorum: nam propter hujuſmodi ſalutem Angeli præſunt Angelis, & homines hominibus, & dæmones dæmonibus. Namſicut Angeli ſunt ordinati in ſuo principatu, & homines in ſuo principatu, ut nobis magis proſint, ita dæmones ordinant ſe in ſuo principatu, ut nobis magis obſint. Ordo ergo Angelorum & hominum eſt ad profectum electorum, ſed ordo vel principatus dæmonum eſt ad exercitationem eorum: ideò multoties dicitur draconi ſive ſatanæ, qui ordinat aliquid ad malum electorum, quòd electi exercitando ſe in tentationibus illis, & vincendo eas, fit eis ad bonum quod dæmones ordinant ad malum. Propter quòd ſcribitur in Pſalmo: *Draco iſte, quem d. formaſti ad illudendum ei.* *Pſalm. 103.*

Concludamus ergo quòd homines reducantur in Deū per Angelos ſpiritus, & per Angelos Prælatos vel Pontifices vel Epiſcopos, quia ſicut Angeli ſunt medij inter homines & Deū, ita Pōtifices & Epiſcopi ſunt medij inter alios homines & ſummū Pontificem in his quæ ſunt apud Deū,

juxta

proportionis suæ ; quam etiam figurationem pertractat August. in de Civit. Dei præfato lib. & cap. Habebat enim illa arca proportionem corporis humani : & quia ex hominibus composita est Ecclesia, ideò arca illa habens proportionem corporis humani, poterat dici figura Ecclesiæ prout ex hominibus est cõposita. Erat enim illa arca sexties longa quàm lata, & decies longa quàm grossa, talis autem est figura corporis humani, quia homo secundùm hunc modum, & ut in pluribus, sexties est longus quàm latus, & decies longus quàm grossus: nam ut habetur Gen. 6. Longitudo arcæ erat trecentorum cubitorum, latitudo quinquaginta, & altitudo triginta, qui numeri si benè considerentur, habent proportionem præfatam. Talis etiam est proportio corporis humani, ut si corpus humanum jaceat in terra, erit longitudo ejus à capite usque ad pedes, latitudo à parte dextra usque ad sinistram, altitudo à dorso usque ad ventrem. Quòd autem sit septies longum quàm latum, ex hoc colligitur, quòd brachia hominis extensa, & latitudo corporis, sunt æqualia longitudini: sed si plicentur brachia & digiti unius & alterius manus, quantitas illa continebit sexties latitudinem. De altitudine autem satis est consonum rationi, quòd homo sit decies longus quàm latus: & decies sit à capite usque ad pedes quàm à dorso usque ad pectus, vel usque ad ventrem, ut Augustinus dicit.

Habito, quomodo proportio illius arcæ erat proportio hominis, & ex hoc figurabat Ecclesiam, quæ ex hominibus est composita, volumus ostendere quòd exemptio contradicit huic proportioni. Nam homo sic est proportionatus naturaliter, quòd si contra naturam acciperetur de una parte hominis & conjungeretur alteri parti, ut longitudini vel latitudini vel altitudini, tolleretur ista proportio, quia si conjungeretur longitudini illius, excederet latitudinem & altitudinem quàm deberet : sic etiam si conjungeretur latitudini, tolleretur ista proportio, quia longitudo non tantum excederet latitudinem ut deberet : hoc idem etiam contingeret, si illa proportio accepta altitudini vel grossitudini jungeretur. Et quia hoc facit exemptio, quia tollit personas Ecclesiasticas aliquas de uno loco ubi sunt naturaliter situatę, & ponit eas in alio loco, ubi sunt positæ & secundùm voluntatem Principis collocatæ, claro clarius concludi potest, quòd exemptio contradicit proportioni arcæ Noe, prout proportio illa erat proportio corporum humanorum, ex quibus Ecclesia est composita. Ne ergo tollatur proportio arcæ figurantis Ecclesiam, vel non tollatur proportio ipsius Ecclesiæ, non est concedenda exemptio, nisi valdè evidens Ecclesiæ utilitas hoc exposcat. Esset autem per alias duas figurationes arcæ Noe, ad Ecclesiam declarandum quomodo tali figurationi exemptio contradicit; & hoc in sequenti capitulo poterit declarari.

CAP. XII.

Quòd Exemptio contradicit distinctioni & consummationi arcæ Noe, secundùm quæ duo Ecclesiam figurabat.

B Dicebatur in præcedenti capitulo quòd arca Noe quadrupliciter Ecclesiam figurabat: primò quantum ad peregrinationem, secundò quantum ad proportionem, tertiò quantum ad distinctionẽ, quartò quãtum ad consummationem. Et quia de duabus figurationibus dictum est in præcedenti capitulo, & ostensum est quòd illis exemptio contradicit: nunc volumus ostendere quòd contradicit distinctioni & cõsummationi arcæ Noe: & primò quantum ad distinctionem. Erant enim in illa arca loca distincta, & ut Augustinus tangit in præfato lib. & cap. erat illa arca bicaC merata & tricamerata: nam ubi nos habemus: *Cœnacula & tristega facies in ea*, Augustinus secundùm aliam translationem habet: *Arcæ inferiora bicamerata & tricamerata facies ea.* Figurabat ergo secundùm Augustinum illa arca Ecclesiam, quia Ecclesia bicamerata & tricamerata est. Est enim tricamerata, quia tota sumpsit originem ex tribus filijs Noe: & est bicamerata, quia tota composita est ex Iudæis & Græcis, idest ex Iudæis & Gentilibus : quod satis innuit Apostolus, cùm ait: *Non enim erubesco Evã-* R. m. b. *gelium : virtus enim Dei est in salutem omni credenti : Iudæo primùm & Græco.* Nam Iudæis priDmùm erat Evangelium, quod continebatur in lege veteri : per quamdam enim figuram erant instituti in legem novam, & maximè quòd Isaias ita expræssè descripsit facta Christi, ut magis de præteritis, quàm futuris historiam, idest veritatem, texere videatur.

Reperire enim possumus quòd non est apud Deum acceptatio personarum : tamen si in materia magis disposita priùs imprimitur forma, nulla est ibi personarum acceptio, sed ipsa res & ipsa materia hoc requirit. Propter quod Iudæis tamquam magis dispositis ex instructione legis Mosaicæ ad suscipiendam instructionẽ legis Evangelicæ, ordo rerum hoc poscebat,

ut illis primò Evangelium prædicaretur. Verùm quia ipsi non acceperunt, & indignos se fecerunt, coacti sunt Apostoli se convertere ad Gentes: tamen quia multi ex Iudæis conversi fuerunt tempore Apostolorum, & cum conversione Iudæorum plenitudo Gentiũ intravit, ideò dicitur Ecclesia esse bicamerata, ideſt composita ex bino populo, ideſt ex Iudaico & Gentili. Ad litteram, erat illa camera bicamerata, & habebat quinque loca distincta: & propter ea quæ dicta sunt figurabat Ecclesiam.

Descriptio arcæ Noe.

Istorum autem quinque locorum unus erat sentina, ubi congregabantur immundiciæ: secundus erat apothecaria, ubi reponebantur cibaria: tertius, ubi erant animalia immunda: quartus, ubi erant animalia mitia: quintus erat, ubi stabant homines & aves. Hæc autem quinque loca à diversis diversimodè ponuntur: nam quidam ponunt ea similiter sub & suprà, ut in primo esset sentina, & supra sentinam apothecaria, & sic de alijs. Alij autem non ponunt nisi tres stationes, infimam, mediam, & supremam. Sed infima statio continebat duas, unam quæ erat sentina, & aliam quæ erat apothecaria; & ex his duabus dicebatur arca bicamerata. Media autem statio continebat duas cameras, unam ubi erant animalia immunda, & aliam ubi erant munda. Et desuper istas duas cameras erat tertia statio, ubi erant homines & aves. Et sicut ex primis duabus cameris dicebatur arca bicamerata, & dicebatur ibi esse cœnacula, quia ibi erat apothecaria, unde sumebatur animalium cœna & cibus, & erat ibi sentina & stercoraria, quæ superfluitatem cœnæ & ciborum colligebat: sic propter alias tres cameras dicebatur ibi esse tristega, quasi tres stationes, in quarum una stabant animalia immunda; in alia munda: & in tertia homines, & aves. Et hæc divisio quinque locorũ, ut duo loca essent inferiora, & duo media, & unus supremus ubi erant homines & aves, est magis realis, quia secundùm primum modũ distinguẽdi fuisset nimis alta & nimis stricta in parte inferiori, ut non ita cõpetẽter posset ferri super aquas.

Et licèt in illa arca essent animalia munda & immunda, & essent homines & aves; tamen ut figurabat Ecclesiam per omnia hujusmodi animalia possumus intelligere ipsos homines, inter quos sunt qui se habent quasi bestiæ, ut illi qui non sunt conversi ad fidem, quorum vita tota est immunda, quia omne quod non est ex fide peccatum est: & omne peccatum quid immundum dici potest. Inter ipsos etiam homines aliqui se habent ut bestiæ mundæ, sicut sunt simplices & laici conversi ad fidem. Aliqui ut homines, sicut sunt litterati, & communiter Clerici, qui sunt de hereditate Dei, & Deus est specialiter pars hereditatis eorum. Est etiam in his quartus gradus, qui se habent ut aves, & illi sunt Episcopi & Prælati, quorum est Ecclesiam gubernare, & super alios volitare: inter quas aves est dare superiores & inferiores, ut Prælati inferiores & superiores: inter quos est dare unum supremum cujusmodi est summus Pontifex, qui potest figurari per illam aquilam, de qua dicitur Ezechielis, 17. cap. *Aquila grandis magnarum alarum, magno membrorum ductu, plena plumis & varietate, venit ad libanum, & tulit medullam cedri.* Ista aquila licèt temporaliter figuravit Nabucodonosor; spiritualiter tamen potest figurare summum Pontificem, qui est aquila grandis, quia præficitur toti Ecclesiæ; & magnarum alarum, quia assumptus est non in partem solicitudinis, sed in plenitudinem potestatis. Et sunt ita magnæ alæ ejus, ut ad totum se extendant & totum protegant, & nihil se abscondat à calore earum: habet etiam magnum membrorum ductum, quia Christianissimi Reges propter devotionem quã habent ad Ecclesiam, eum sustentant. Est etiam aquila plena plumis, ideſt virtutibus: talis enim status requirit hominem maximè virtuosum: nam hujusmodi status sicut supremus est dignitate, ita est supremus sanctitate, ut solus talis status scribatur Sanctissimus. Est enim talis status plenus varietate propter varia genera virtutum, quia in eo congregantur non solùm virtutes Cardinales, sed etiam Theologicæ.

Ezech. 17. cap. 17. n. 3.

Ex omnibus autem his, & ex hujusmodi descriptione locorum, & maximè quantum ad distinctionem locorum, in quibus erant animalia, quæ omnia possunt trahi ad figurandum hominem secundùm diversos status, possumus concludere quòd detestanda est exemptio, & nullo modo facienda, sed facta est abolenda, nisi pro evidenti utilitate Ecclesiæ fiat. Nam ut sæpè sæpiùs dictum est, hoc facit exemptio quòd inferius ponatur in loco superiori, & deserat suum locum, & conjungatur supremo sine medio. Frustrà ergo in arca fuissent plura loca, si existentia in arca non tenerent quælibet suum locum. Quod si volumus ad Ecclesiam adaptare, frustrà sunt in Ecclesia diversa loca, & diversi gradus, si quilibet gradus non teneret suum locum: & summus Pontifex frustrà esset aquila plena plumis & varietate, si quemlibet locum in suo gradu & ordine non conservat, sed facit de inferiori superiorem & quia ponit ipsum in superiori loco quàm sit, & facit de superiori non superiorem, quia facit Prælatum non esse superiorem his, quibus suum statum decet esse superiorem, eximendo eos à potestate

Rom. 14.

Præ-

Prælati. Nec dicimus quòd hoc non posſit facere, ſed debet hoc facere ex evidenti utilitate Eccleſiæ, quæ maximè ex litteratura & ſtudio provenit. Oſtenſo ex diſtinctione arcæ figurantis Eccleſiam prout in ea ſunt diſtincti & diverſi gradus, quòd exemptio eſt deteſtanda; volumus hoc idem oſtendere ex conſummatione arcæ. Debemus enim imaginari quòd illa arca ex parte inferiori erat multùm longa & ampla, tamen quanto plus procedebatur ad ſuperius, tanto plus reſtringebatur, & in tantum erat reſtricta in ſupremo, quòd in uno cubito erat conſummatio arcæ: poteſt tamen ſecundùm Magiſtrum Hiſtoriarum accipi ille cubitus geometricus, qui eſt longè major quàm cubitus alius. Nam ſecundùm Rabanum (& ponit hoc Magiſter in hiſtorijs) cubitus geometricus continet ſex vel novem cubitos alios: quæ fortè diverſitas dicendi ſex vel novem, reperta eſt ex diverſitate menſurandi pedes, ex quibus accipitur menſura cubiti. Si ergo conſideratur iſta arca prout in parte inferiori eſt multùm lata, & ſemper reſtringitur donec in uno cubito conſummetur, ſignificat Eccleſiam, quę continet ipſos Parochianos ſubjectos ſpiritualiter Curatis: & ipſos Curatos ſubjectos Archidiaconis, qui ſunt pauciores eis, & debent eſſe quaſi eorum oculi: & ſic ſemper reſtringitur Eccleſia, ut reſtringebatur illa arca, quouſque ultimò conſummetur in uno cubito, ideſt in uno ſummo Pontifice. Inferiora ergo & ampliora in illa arca non conjungebantur ſupremo cubito niſi per media: ſic qui tenent in Eccleſia inferiorem gradum, non debent conjungi ſupremo cubito, in quo conſummabatur arca & in quo figurabatur ſummus Pontifex, niſi per Prælatos & Epiſcopos medios. Et quia contrarium facit exemptio ... am eſſe abolendam recta ratio manifeſtat. Quòd autem in uno cubito conſummaret ſummitas arcæ Noe, Magiſter in hiſtorijs planè tradidit; & poſſumus hoc etiam habere ex textu, ubi dicitur: Feneſtram in arca facies, & in cubito conſumm bis ſummitatē ejus: quod poteſt referri ad arcam & ad feneſtrā. Erat ergo in arca feneſtra, & in cubito conſummabatur ſummitas utriuſque: utrūque enim tam arca quàm feneſtra poteſt figurare Eccleſiā, quę conſummabatur in uno cubito, ideſt uno ſummo Pontifice. Quòd autem illa arca figuret Eccleſiam eſt per habita quadrupliciter declaratum. Sed quòd etiam feneſtra figuret eam, poteſt haberi ex verbis Auguſtini in locis præaſignatis, volentis, quòd feneſtra in latere arcæ figurabat vulnus in latere Chriſti; & quia ex latere Chriſti fluxerunt ſacramenta, ex quibus formata eſt Eccleſia, ideò non ſolùm arca, ſed etiam A feneſtra poterat Eccleſiam ſignificare vel figurare.

CAP. XIII.

Quòd per ea quæ habentur ex actibus, poſſumus oſtendere exemptionem eſſe tollendam.

POſſumus autem prælationes Eccleſiæ ad tres gradus reducere, ut in ſupremo gradu ſit ſummus Pontifex vel ſucceſſor Petri, Chriſti Vicarius, qui erat Princeps Apoſtolorum, cui traditæ ſunt claves regni cœlorum, per quas quodcumque ligaverit ſuper terram, erit ligatum & in cœlis, ut habetur Matthæi 16. ex quibus verbis apertè colligitur omnes oves ſibi fore commiſſas: & iſte eſt ſummus gradus in Eccleſia, cui ſuccedit ſummus Pontifex. Nihilominus tamen licèt ſit ſummus gradus in Eccleſiaſtica Hierarchia, non eſt tamen ſummus ſimpliciter, quia & ipſe Petrus habebat Angelum cuſtodem ſuum: nam, ut habetur Act. 12. quando Petrus eductus eſt de carcere, & neſciebat verum eſſe quod fiebat per Angelum, exiſtimabat autem ſe viſum videre: & quando diſceſſit à ſe Angelus, tunc ad ſe reverſus veritatem cognovit: & pergens ad quamdam domum ſibi notam, & pulſans ut aperiretur ſibi, dicens ſe eſſe Petrum: ſtantes in domo non credebant eſſe Petrum, ſed Angelum ejus. Ex quibus colligitur quòd etiam ipſe ſummus Pontifex habet Angelum cuſtodem ſuum: & quantum ad hoc ſummus Pontifex eſt infra Angelos. Poſt hunc gradum ſunt ipſi Apoſtoli vel illi qui tenent locum Apoſtolorum, ut Epiſcopi. Poſt quos eſt tertius gradus, videlicet illi qui conſtituti ſunt per Apoſtolos, cujuſmodi fuerunt ſeptem Diaconi; vel illi qui conſtituuntur & habent jurisdictionem poſt Epiſcopos, cujuſmodi ſunt Archidiaconi, vel alij habentes jurisdictionem infra Epiſcopos, ut ſunt ipſi Curati; licèt fortè Archidiaconi, & habentes jurisdictionem infra Epiſcopos, convenienter repræſententur per ſeptem Diaconos factos ab Apoſtolis: Curati verò exiſtentes in majori numero per alios lxxii. à Chriſto electos.

Matth. 16.

Suum quiſque Angelū habet cuſtodem, qui nonnumquam ipſius cuſtoditi imaginē repræſentat.

Poſſumus & tres gradus in Eccleſia diſtinguere ſecundùm triplicem modum præſidendi, ut in ſupremo gradu ſit ſummus Pontifex, qui per abundantiam jurisdictionis dicitur ſummus, in quo gradu non poſſunt eſſe plures ſimul, quia quod per ſuperabundantiam dicitur, uni ſoli convenit. Poſt hunc ſunt Apoſtoli vel ſucceſſores Apoſtolorum, ideſt Epiſcopi, in quo

gradu sunt plures simul, quia plures sunt Episcopi: & in quo gradu sunt plures gradus, quia super Episcopos sunt Archiepiscopi. Infimus autem gradus præsidendi est habentium jurisdictionem infra Episcopos. De omnibus autem his tribus gradibus fit mētio in Actibus Apostolorum: & per omnia ea, quæ habentur in Actibus de his tribus gradibus, possumus probare, quòd exemptio est tollenda, non facienda, sed potiùs facta abolenda, nisi pro valdè rationabili & evidenti utilitate. De primo habemus exemplum Actuum 10. de Cornelio: *Qui vidit in visu manifestè, quasi hora diei nona, Angelum Dei introeuntem ad se, & dicentem sibi... Orationes tuæ & eleemosynæ tuæ ascenderunt in memoriam in conspectu Dei: & nunc mitte viros in Ioppen, & accerse Simonem, qui cognominatur Petrus... Hic dicet tibi quid te oporteat facere.* Poterat autem Angelus denuntiare Cornelio quid eum oportebat facere, & reduci poterat in Deum immediatè per Angelum, non mediante Petro, & quantum ad hujusmodi reductionem poterat esse exemptus Cornelius à jurisdictione Petri: tamen, quia ut dicitur ad Rom. 13. *Quæ autem sunt à Deo, ordinata sunt.* Licèt posset Deus sine omni medio, quæ vult, facere; tamen ea quæ facit & dicit, ordine facit: & voluit in hac reductione reducere Petrum per Angelum, quia Angeli sunt medij inter nos & Deum: & Cornelium per Petrum, & noluit eximere Cornelium à jurisdictione Petri. Ex quibus colligitur quòd exemptio in Ecclesia est odiosa Deo, & non debet fieri, nisi pro magna & evidenti causa, non quacumque, sed utili & profrena bono publico & Ecclesiæ. Quòd autem sic habeatur in Actibus ut dictum est, lege cap. 10. ubi dicitur, quod venientibus viris in Ioppen à Cornelio missis, ut peterent Petrum, cecidit super Petrum mentis excessus, & vidit linteum magnum quatuor initijs ligatum de cœlo, in quo erant quadrupedia, serpentia, & volatilia cœli: & dictum est ei: Occide & manduca, idest transeas ad Gentes, & doce Cornelium Gentilem, apud quem vel apud quos Gentiles, nec serpentia, nec aliqua cibaria sunt immunda, nisi inquantum sunt abominatio & nocumentum corporis. Reductus est ergo Petrus in Deum per illam visionem factam à Spiritu Sancto vel ab Angelo: & reductus Cornelius in Deum per Petrū tenentem summum gradum in Ecclesia: ut ex hoc ostendatur per summū gradū in Ecclesia, prout habetur in Actibus, exemptionem esse tollendā.

Secundum autem gradum in Ecclesia tenent Apostoli vel Episcopi tenentes locum Apostolorum. Per ipsos etiam Apostolos, ex his quæ habentur in Actibus, possumus ostendere A exemptionem non esse faciendam, sed tollendam. Nam cùm Apostoli prædicantes Christum & veritatem, essent positi in carcere per Principes Sacerdotum, illa nocte aperuit Angelus carcerem, dicens Apostolis ibi inclusis: *Ite, & stantes loquimini in Templo plebi omnia verba vitæ*, ut legitur Actuum 5. Quod non est intelligendū quòd Angelus verè aperuerit carcerem, quia stante janua clausa carceris, & stantibus custodibus ad januam carceris, exierunt Apostoli carcerem, quia sic exierunt de clauso carcere, ac si carcer esset apertus: nam, ut habetur in eodem capitulo: Princeps Sacerdotum hoc audiens misit ministros ad carcerem, qui dixerunt, B carcerem quidem invenimus clausum cum omni diligentia, & custodes stantes ad januam: aperientes autem, neminem intùs invenimus. Fuit ergo ibi iste ordo, quòd Apostoli reducti sunt ad plebem in Templo per Angelum, plebs autem reducta in Deum per Apostolos. Potuit autem dicere Angelus plebi quæ dixerunt Apostoli, ut hoc modo reduceretur plebs in Deum per Angelum, non mediantibus Apostolis, ut in ista reductione esset exempta plebs à jurisdictione Apostolorum. Sed quia Deo videtur esse exosa exemptio, voluit Deus plebem ad se & ad faciendam voluntatem suam reducere per Apostolos. Et sic summus Pōtifex tamquam imitator Dei debet tollere exemptionem, & debet plebem C reducere, ideſt omnes eos, qui sunt infra seipsum per Episcopos tenentes locum Apostolorum.

Tertium autem gradum præsidendi in Ecclesia tenent illi qui habent jurisdictionem infra Episcopos; & in primitiva Ecclesia tenebant illi Diaconi, qui fuerunt ordinati per Apostolos, qui fuerunt septem. 1. fuit Stephanus, 2. Philippus, 3. Prochorus, 4. Nicanor, 5. Timon, 6. Parmena 7. Nicolaus. Sed Philippo, ut habetur Actuum 8. locutus est † Spiritus Dñi; Surge, & vade contra meridiem, † Angelus. ad viam quæ descendit ab Ierusalem in Gazam. Et cùm iret Philippus prout dixerat Spiritus Sanctus: Ecce vir Aethiops Eunuchus, qui erat super omnes gazas Reginæ Candacis, & venerat adorare in Ierusalem: & revertens sedebat super currum, legens Isaiam Propheram. Dixit autem Spiritus Philippo: Accede, & adjunge te ad currum. Locus autem, quem legebat Eunuchus, erat hic: *Tamquam ovis ad occisionem ductus est: & sicut agnus coram tondente se, sine voce, sic non aperuit os suum.* Incipiens autem Philippus ab hoc loco evangelizavit illi Christum: & venientes ad quamdam aquam, in illa aqua Philippus baptizavit Eunuchum: & cùm post Baptismum ascendisset Eunuchus de aqua, Spiritus Domini rapuit Philippum. Potuit

Act. 5. d.

Act. 6. b.

uit autem Spiritus Domini Philippo converte-
re Eunuchum,& potuit Eunuchum in illa con-
versione eximere à jurisdictione Philippi:sed ut
ostenderet exemptionem non esse faciendam,ni-
si pro magna & evidenti causa, voluit per Phi-
lippum convertere Eunuchum. Cùm ergo Phi-
lippus teneret in Ecclesia tertium gradum supe-
rioritatis, nec erat Princeps Apostolorum, nec
aliquis de Apostolis, sed erat constitutus per
Apostolos : manifestè patet per tertium gradum
præsidendi in Ecclesia exemptionem non esse
faciendam, sed tollendam. Verùm quia tam de
jurisdictione Petri, quàm de jurisdictionibus
alijs in hoc capitulo actum est, ideò dicere pos-
sumus,quòd quot convertebantur per Petrum,
sive per alios, erant de jurisdictione Petri ha-
bentis jurisdictionis totalitatem : sed quantum
ad jurisdictiones alias conversi in primitiva Ec-
clesia erant de jurisdictione saltem voluntaria
convertentium, qui parati erant facere volun-
tatem eorum.

CAP. XIIII.

*Quòd ex triplici gradu sacerdotij, quod est in Ec-
clesia, possumus ostendere exemptionem
non esse faciendam, sed tollendam.*

QVia in hoc capitulo mul-
tum tractaturi sumus de
Sacerdotio,cùm in Sacer
dotio imprimatur cha-
racter, ideo de chara-
ctere sunt aliqua decla-
randa. Primo videlicet
quid est Character : se-
cundo, quare dictus est character : tertio, in
quibus sacramentis imprimatur character : &
multa alia quę dicenda sunt de charactere &
de perfectione characteris. Propter primum est
sciendum,quòd character nihil aliud est quàm
quædam potentia spiritualis. Vt Ostiarijs da-
tur potestas vel potentia ad custodiendum bo-
na Ecclesiæ: & ad admittendum dignos, & re- *Ostiarij.*
pellendum indignos, & convocandum eos qui
convenire debent in Ecclesia : ideo traduntur
eis claves tãquam reddituri rationem de his quę
reconduntur sub illis clavibus: & traduntur eis
ostia Ecclesiæ ad introducendum dignos, & re-
pellendum indignos, quia non sunt margaritæ
exponendæ porcis : & traduntur eis etiam funes
campanarum, ad vocandum eos qui debent in
Ecclesia convenire : nec propter hoc imprimi-
tur eis nisi unus character, & una spiritualis
potentia. Sic enim videmus in his corporalibus,
quòd per unam & eandem potentiam corpora-
lem, multa effectui demandantur : ut ignis per
A calorem,qui est potentia calefactiva,calefacit,ra
refacit,desiccat,&generat alium ignem.Sic etiam
Lectoribus datur potestas legendi, & referendi
verba Dei in Ecclesia : & ideo traditur eis liber *Lectores.*
cum his verbis: Accipite & estote verbi Dei re-
latores.Exorcistis etiam traditur potestas ad ex-
pellendum dæmones de corporibus obsessis à *Exorcistæ.*
dæmonibus per manus impositionem, tam ba-
ptizatis quàm cathecumenis, idest instructis in
fide : ideo traditur eis liber exorcismorum, his
verbis: Accipite & commendate memoriæ, &
habete potestatem imponendi manum super
energumenos,idest, super interiùs vexatos à dæ-
mone,sive baptizatos sive catechumenos. Aco- *Acolyti.*
B lytis etiam datur potestas accendendi luminaria
in Ecclesia ; & quia non accenditur nisi quòd
caret lumine, ideò datur eis ceroferarium cum
cera sine lumine : datur eis etiam potentia ad
suggerendum vinum & aquam in Eucharistiam
sanguinis Christi, ideò datur eis urceolus va-
cuus,ut possint ipsum implere vino vel aqua,
sicut expedit & secundùm quod requirit
executio ministerij eorum: nec oportet quòd in
ordine Acolytatus imprimãtur plures characte-
res vel conferantur plures potestates spiritua-
les:quia per unam & eandem potentiam,ut su-
prà dicebatur, possunt plura effectui deman-
dari.

Subdiaconis etiam confertur quædam *Subdiaconi.*
C potestas spiritualis ad serviendum Missæ, vide-
licet patena,& calix, urceolus cum aqua, ba-
cille, & manutergium cum his verbis : Vide-
te cujusmodi ministerium vobis traditur &c.
Idem enim est tradere aliquod ministerium ali-
cui, quod tradere illi potentiam ministrandi
in ministerio illo. Diaconis etiam datur quæ- *Diaconi.*
dam potentia spiritualis, propter quod cùm or-
dinantur,datur eis potestas legendi Evangelium
in Ecclesia Dei : & ideo datur eis liber Evan- *Sacerdotes.*
gelij. Sacerdotibus etiam imprimitur chara-
cter, idest quædam potestas spiritualis : pro-
pter quòd cùm ordinantur, accipiunt patenam
D cum oblatis, & calicem cum vino & aqua in-
ter digitos cum his verbis : Accipite potesta-
tem offerendi Deo sacrificium &c. Hæc enim
sunt diligenter notanda, quòd cùm celebran-
tur ordines, non in quolibet verbo imprimi-
tur character & potestas spiritualis secundùm
illum ordinem. Cùm ergo quæritur quid sit
character, patet per ea quæ dicta sunt, quòd
est spiritualis potentia. Cùm verò quærebatur,
quare dictus est character, potest dici, quòd
quia character est quoddam signum distincti-
vum,propter quod habentes illam potentiam
spiritualem, quæ imprimitur in quolibet ordi-
ne, distinguuntur ab alijs non habentibus illam

po-

poteſtatem : propter quod potentia illa meritò nominatur character, ut poteſt patere per jam dicta : nam cùm character ſit quædam potentia ſpiritualis, oportet ſecundùm triplicem potentiam, quam videmus in rebus, quòd in triplici Sacramento imprimatur character.

Videmus enim in iſtis corporalibus potentiam recipiendi, & hæc eſt potentia materiæ, quæ eſt fundamentum naturæ, & eſt in potentia ad omnes perfectiones naturales : talis autem potentia imprimitur animæ in Baptiſmo : ideò per Baptiſmum dicitur homo generari vel renaſci ſpiritualiter, quia in ejus ſpiritu vel in ejus anima imprimitur character, ideſt quædam potentia ſpiritualis, per quam fit in potentia ad recipiendum ſpirituales perfectiones : propter quòd ſi quis non baptizatus fieret ſacerdos, eſſet iterùm ordinandus, quia caruit potentia recipiendi, quæ imprimitur in Baptiſmo : ordinatus ergo carens potentia recipiendi, nullos ordines recipit. Secundo videmus in his corporalibus potentiam reſiſtendi, ſicut dura habent potentiam naturalem ad reſiſtendum, cùm non faciliter accipiant alienas & peregrinas impreſsiones : & hæc potentia ſpiritualis imprimitur in Confirmatione, per quam anima fit quaſi dura & firma, ut non ita leviter poſsint ibi ſubinferre impreſsiones peregrinę ac alienæ, ideſt malignæ. Tertia autem potentia, eſt potentia agendi, ſicut ignis habet potentiam ad calefaciendum : & iſta potentia imprimitur in ordinibus, quia in quolibet ordinato imprimitur ſpiritualis potentia ad aliquid agendum ut poteſt patere per habita : quia omnis Ordo ordinatur ad aliquod opus, & ſpecialiter omnes ordines ordinantur ad Sacramentum Euchariſtiæ.

His autem excuſsis, volumus aliqua dicere de charactere & de perfectione characteris, ut ex eis deſcendamus ad triplex ſacerdotium, & concludamus exemptionem non eſſe faciendam, ſed tollendam. Dictum eſt enim quòd in quolibet ordine imprimitur aliquis character, ideſt aliqua potentia ſpiritualis : ſupremus autem character, qui imprimitur in ordinibus, eſt ſacerdotalis, ultra quem non eſt dare alium characterem : eſt tamen dare perfectionem characteris : ut ſicut corpus humanum priùs vivit vita plantæ, poſteà vita animalis, & ultimò vita hominis, ultra quam non eſt dare aliam vitam in his corporalibus. Vltimum enim ad quod poſſunt aſcendere iſta corpora naturalia eſt homo, ut poteſt haberi ex ſecundo Phyſicorum, ubi oſtenditur quòd nos quodammodo ſumus cauſa omnium. Sed licèt in his corporalibus non ſit dare vitam ultra humanam, eſt tamen dare perfectionem in hujuſmodi vita, quia eſt dare hominem parvum & imperfectum, & hominem magnum & perfectum : ſtatus quidem hominis parvi & imperfecti, in quo homo non poteſt generare alium hominem, durat uſque ad ſtatum in quo homo eſt perfectus, & alium hominem generare poteſt, juxta illud Philoſophi, unūquodque perfectum eſt, cùm poteſt ſibi ſimilem generare. Sic etiam in propoſito, licèt non ſit dare characterem ultra ſacerdotalem, eſt tamen dare perfectionem illius characteris, & talis perfectio imprimitur in Epiſcopo, quia ex illa perfectione poteſt dici ſacerdos perfectus & magnus.

Ex his autem apparere poteſt utrum Epiſcopatus ſit ordo alius, hoc eſt ſuſcipiat alium characterem à ſacerdotali? Sed non ſuſcipit alium characterem, ſed ſuſcipit ultra illum perfectionem illius characteris. Simplex ergo ſacerdos poteſt dici parvus & imperfectus, & non poteſt facere alium ſacerdotem : ſed Epiſcopus eſt ſacerdos magnus & perfectus, & poteſt facere alium ſacerdotem. Sicut ergo homo quantumcumque ſit parvus & imperfectus poteſt convertere cibum corporalem in nutrimentum corporis, & non poteſt facere nec generare alium hominem : ſic ſacerdos quantumcumque ſit parvus & imperfectus reſpectu Epiſcopi, qui eſt ſacerdos magnus & perfectus, poteſt convertere cibum ſpiritualem & poteſt ſubſtantiam panis convertere in corpus Chriſti qui eſt cibus ſpiritualis & cibus mentis, & non eſt ventris : tamen non poteſt facere alios ſacerdotes. Ex his omnibus poſſumus concludere quòd non eſt dare ultra Epiſcopum aliquid quod ſit ordinis : & ſi eſt aliquid ultra, non erit ejusdem ordinis, ſed jurisdictionis. Propter quod Archiepiſcopatus, Patriarchatus, Papatus ultra Epiſcopū non dicunt aliquid ordinis, ſed ſolum jurisdictionis : & ad hoc fortè inſinuandum Papa cùm ſcribit, non ſcribit, ſe Archiepiſcopum, ſed ſolum Epiſcopum dicens, Clemens Epiſcopus Servus &c. Vt det nobis intelligere quòd quidquid habet ultra Epiſcopum, non eſt ordinis ſed jurisdictionis : propter quod non dicitur aſſumptus in plenitudinem Ordinis, quia ad hoc ſunt aſſumpti omnes Epiſcopi : ſed dicitur aſſumptus in plenitudinem poteſtatis, ideſt jurisdictionis. Eſt ergo Papa ſummus ſacerdos Summus Pontifex : Sed etiam iſta ſummitas vel ſuperioritas non eſt ſumenda ſecundùm ea quæ ſunt ordinis, ſed jurisdictionis, non enim plus habet de his, quæ ſunt ordinis, quàm quicūque Epiſcopus. Papa ergo eſt aſſumptus in plenitu-

An Epiſcopatus ſit ordo?

di-

dinem potestatis ideſt jurisdictionis : ceteri autem Episcopi vel quicumque Prælati sunt in partem solicitudinis, non in jurisdictionem totalem & summam.

Ex his autem apparere potest, quòd sicut triplex est sacerdos ita potest distingui triplex sacerdotium, simplex, magnum, & totale sive summum. Simplex autem sacerdotium in quo constitutus est quilibet sacerdos non Episcopus, innititur simplici characteri, qui est potestas cõficiendi Eucharistiam, sed non conferendi ordines : magnum verò sacerdotium, in quo gradu constitutus est quilibet Episcopus, innititur characteri & perfectioni characteris, sed non totalitati jurisdictionis : sed summum sacerdotium, in quo grada solus est Papa, innititur cha B racteri, & perfectioni characteris, ac totalitati jurisdictionis. Est enim triplex sacerdos non magnus nec totalis, & sacerdos magnus & non totalis, & est sacerdos magnus & totalis. Sacerdos nec magnus nec totalis est sacerdos simplex & ultimus : magnus & non totalis est Episcopus, qui est veluti sacerdos medius. Sacerdos verò magnus & totalis est Papa. Quòd ergo sacerdos nec magnus nec totalis qui est sacerdos infimus vel quicumque alius non sacerdos, immediatè sit sub Papa, qui est sacerdos magnus &totalis, &non reducatur in supremũ sacerdotẽ per sacerdotem medium ideſt per Episcopum, est reducere infimum supremo sine medio. Cùm ergo hoc faciat exemptio, est detestanda & tol C lenda, nisi fiat pro evidenti utilitate Ecclesiæ, quæ consistit in studio. Indubitanter enim credimus, quòd si periret studium, periret fides, & si periret fides, naufragium pateretur Ecclesia. His autem omnibus excursis, patet quod in rubrica capituli dicebatur.

Nota quòd potestas Papalis aliquãdo inniti tur totalitati jurisdictionis solũ, utputà quãdo quispiam assumitur in Papam & non est sacerdos, ut inquit Ægid. 5. part. cap. 10. de Renũciat. Pap.

CAP. XV.

Quòd ex ipso ordine vel diffinitione data ab Augustino de ordine, potest declarari exemptionem non esse faciendam, sed tollendam.

AVgustinus 19. de Civit. Dei, cap. 13. diffiniens ordinem, ait: *Ordo est parium dispariũque rerum sua cuique loca distribuens dispositio.* Ex quibus verbis colligitur, quòd non est ordo, sed horror, non ordinatio, sed perversitas, quòd in Vniverso, vel Ecclesia tribuatur alicui locus non sibi debitus, cùm ordo nihil aliud sit secundùm August. quàm quædam dispositio vel quædam ordinatio cuilibet rerũ A tribuens suum locum. Cùm ergo aer, sit naturaliter medius inter aquam, & ignem, si removeretur aqua de loco suo, & immediatè conjungeretur igni, non esset ordo, sed horror, & esset destructio ignis vel aquæ. Cùm ergo summus Pontifex teneat supremum gradam in Ecclesia, sicut ignis inter elementa, & Episcopi sint medij inter summum Pontificem, & alios homines quantum ad jurisdictionem spiritualem ; & alij homines quantum ad hujusmodi jurisdictionẽ immediatè collocentur sub summo Pontifice, & supertollantur de loco sibi debito, est ordinem pervertere, & perversitatem inducere : & si perversitas non est facienda, sed tollenda, ergo & ipsa exemptio, cùm hoc faciat, non est facienda, sed tollenda. B

Verùm quia quantum ad ordinem elementorum in superioribus sumus hanc materiã consecuti, volumus in hoc capitulo juxta diffinitionem datam de ordine, hanc materiam declarare Augustinus in diffinitione præfata diffinit ordinem per ordinatam dispositionem, & tributionem locorum. Videmus autem in agẽtibus naturalibus, quòd agens naturale quantum dat alicui de forma, tantum dat sibi de loco : nam semper superiora sunt formaliora, & perfectiora inferioribus. Facere ergo quòd inferius teneat locum superioris, est facere quòd non formale sit formale, & quòd detur locus superior cui debet dari locus inferior, sive superior, & inferior accipiantur secundùm situm, sive secundùm dignitatem. Sicut enim in loco secundùm situm, quæ natura facere habet, non sunt elevanda in altum, & gravia, quæ moventur ad medium, non sunt ponenda in loco levium, quæ moventur à medio; sed omnia in suo loco sunt situanda, ut ordo in omnibus servari possit; ita etiam in loco secundùm dignitatem est dare gradus, & ordinem, quia magis dignum est medium inter minus dignum, & dignissimum. Sed quia contrarium facit exẽptio, quæ conjungit immediatè minùs dignum dignissimo, cùm deberet immediatè conjungi D magis digno, ideò non solùm non est facienda, sed quæ factæ sunt exemptiones omninò sunt tollendæ. *Cap. 6.*

Ex his autem apparere potest quòd aliter reprobatur exemptio prout repugnat ordini, quod est Sacramentum prout Sacerdotium est quidam ordo, & prout ex triplici sacerdotio probavimus exemptionem non esse faciendam in capitulo præcedenti : & aliter accipitur ordo non prout est Sacramentum, sed prout est quædam ordinatio, & quædam dispositio unicuique tribuens suum locũ, ideſt suum statum, & suam dignitatem, secundùm quem modum re-

reprobatur exemptio in præsenti capitulo. Primo modo loquitur de Ordine Magister Sentēt. lib. 4. distinct. 24. cùm ait : *Si autem quæritur quid sit quod hìc vocatur ordo : sanè dici potest signaculum quoddam esse, ideſt sacrum quoddam quo spiritualis potestas ex officio traditur ordinato.* Et subdit : *Character ergo spiritualis, ubi fit promotio potestatis, ordo vel gradus vocatur.* Ordo ergo sumptus ex præcedenti capitulo est officium, vel spiritualis potestas, quæ traditur ordinatis in quolibet ordine: vel ordo est ipse character, qui est quædam spiritualis potestas, per quam exercetur hujusmodi officium, secundùm quem modum in Ecclesia sunt septem ordines, ut in eadem distinct. Magister tradit, quorum supremus est Ordo sacerdotalis. Vtrũ B autem sit dare octavum ordinem, videlicet Episcopatus? ex præcedenti capitulo patere potest : nam Episcopatus non dicit alium ordinē à sacerdotio, sed dicit perfectionem illius ordinis : nec ordinato in Episcopum imprimitur alius character à sacerdotali, sed imprimitur ei perfectio characteris sacerdotalis, propter quod Episcopus potest dici Sacerdos magnus. Et sicut homo non quicumque, sed homo perfectus, & magnus (ut dicebatur) potest facere alios homines, & generare eos: sic Sacerdos non quicumque, sed perfectus, & magnus potest facere alios sacerdotes, & creare eos. Exin- C de ergo est quòd aliquando dicuntur septem ordines propter septem characteres, inter quos septem ordines non reputatur Episcopatus alius ordo à sacerdotio, quia non imprimitur in eo aliquis character : aliquando autem dicũtur esse octo ordines, & dicitur Episcopatus esse alius ordo à sacerdotio non propter alium, & alium characterem, sed propter superadditam quamdam perfectionem sacerdotali characteri. Et est simile in hac parte (ut suprà diximus) de homine, & de Sacerdote, quia sicut homo magnus, & homo alius quicumque quantumcumque parvus non habet aliam, & D aliam naturam ; sed homo magnus super alios homines habet quamdam perfectionem naturæ, per quam potest alios homines generare: sic Episcopus tamquam Sacerdos magnus non habet alium characterem, quàm alij Sacerdotes, sed habet quamdam perfectionem illius characteris, per quam potest facere alios Sacerdotes : sic ergo accipitur ordo ut est Sacramentum. Sed ordo, ut definitur ab Augustino, & principaliter agitur de eo in hoc capitulo, est ut omnibus tribuit sua loca. Vtroque tamē modo sumpto ordine prout sumitur in hoc capitulo, & in præcedenti, potest probari exemptionem non esse faciendam, sed tollendam, A ut est per habita declaratum.

CAP. XVI.

Quòd ex ordine Divinarum Personarum probare possumus exemptionem non esse faciendam, sed tollendam.



Distinxerunt autem aliqui quinque Hierarchias; unam supercœlestem, quæ est Divinarũ Personarum : & tres cœlestes, quæ sunt tres Hierarchiæ Angelorũ, de quibus tractat Dionysius in libro de Cœlesti Hierarchia : & quintam Hierarchiam dicunt esse hominum, ex quibus constituitur Hierarchia Ecclesiastica, de qua Dionysius fecit quemdam librum sic intitulans eum de Ecclesiasti a Hierarchia. Sed quòd Divinæ Personæ faciant Hierarchiam non videtur propriè dictum; nam in Divinis non videtur quòd sit propriè Hierarchia. Est enim Hierarchia idem quod principatus Sacer vel Sanctus. Sed licèt in Divinis propriè reperiatur sanctitas, juxta illud : *Sancti estote, quoniam sanctus ego sum* : tamen non propriè in Divinis reperitur prin- *Levit. 19. a.* cipatus respectu Divinarum Personarum : sed *& 20. b.* solùm respectu creaturarum, secundùm quem modum loquitur Philosophus in fine 12. Metaphysicorum, quòd totum universum est unus principatus, & istius unius principatus est unus princeps, ideſt Deus : quia sicut dicimus quòd Deus est Pater, Deus Filius, Deus Spiritus Sanctus : sic dicere possumus, quòd istius principatus est Pater princeps, Filius princeps, & Spiritus sanctus princeps. Tamen sicut omnes tres Personæ non sunt tres dij, sed unus Deus : sic omnes tres Personæ non sunt tres principes, sed unus princeps. Hanc materiam pertractat S. P. Augustinus lib. 5. de Trinit. cap. 13. nõ sub hoc nomine princeps, sed sub hoc nomine principium : ubi vult quòd totius principium est Pater. Sed si volumus videre, quomodo de talibus loqui possimus in Divinis : dicemus quòd in Divinis licèt non sit propriè principatus, possumus tamen concedere quòd ibi sit propriè ordo : nam principatus intelligitur secundùm sub, & supra, secundùm majorem, & minorem dignitatem, quia secundùm August. *In his, quæ non mole magna sunt, idem est esse majus quod esse melius, ideſt dignius.*

In omni etiam principatu est prius, & posterius saltem dignitate; quia ille princeps

est

est super eos; quibus principatur, & est in illis major, & dignior, superior dignitate. In Divinis autem personis nihil majus aut minus, nihil prius aut posterius, nihil superius aut inferius: sed est ibi omnimoda æqualitas, juxta illud Augustini. 15. de Trinit. *Filius per omnia est æqualis, & similis ut Pater, non tamen est Pater, quia alius Filius, alius Pater.* Propter quod principatus non est propriè ponendus in Divinis respectu Divinarum Personarum. Potest tamen ibi poni ordo, ut vult Augustin. non ordo secùndùm quem una Persona sit prior alia vel major alia, sed ordo secundùm quem una Persona est ex alia. Est ergo ibi ordo originis non ordo prioritatis vel majoritatis. Secundùm ergo hunc ordinem quòd una Persona est ex alia, possumus ibi salvare quòd una Persona operatur per aliam, & quòd una mittit aliam, & quòd una Persona habet aliquam principalitatem in aliquo actu vel in aliquo opere, ut comparatur ad aliam. Nam quia una persona est ex alia, ut quia Filius est ex Patre, consequens est, quòd Filius habeat suam substantiam vel suam virtutem à Patre. Propter quod dicit Hylarius in suo lib. de Trinit. quòd Filius nihil habet nisi natum, ideſt quod nascendo accepit: substantiam enim & virtutem, quã habet Filius, habet à Patre, & totum accepit à Patre. Et sicut quodlibet agens agit per virtutem suam, ita Pater operatur per Filium, quia virtutem suam operandi dedit, & communicavit Filio. Propter quod ait Ioannes: *Omnia per ipsum* (ideſt per Filium) *facta sunt*, quia omnia operatur per Filium: nam Deus Pater non aliter quàm dicendo operatur, juxta illud: *Ipse dixit & facta sunt.* Eo ergo modo, quo Deus Pater Verbo dixit omnia verba, & per Verbum operatur omnia: unde Augustin. 11. Confes. loquens Deo Patri, ait: *Vno Verbo æterno, tibi autem coæterno simul & sempiterno dicis omnia quæ dicis, & fit quidquid dicis.* Sic etiam una Persona mittit aliam, quia hoc est mittere aliquod, operari aliquid per illud. Hoc etiam modo habet una persona in aliquo actu vel in aliquo opere quandam principalitatem ut comparatur ad aliam, secũdùm quem modum loquitur Augustinus 5. de Trinit. cap. 28. dicens, Spiritus sanctus est à Patre principaliter. Vnica enim, & simplici spiratione producunt vel spirant Pater, & Filius Spiritum sanctum: sed illa, & unica simplici spiratione, Spiritus sanctus procedit à Patre principaliter, & Pater dat Filio virtutẽ spirandi, ideò dicitur spirare per Filium, & dicitur spirare principaliter. Propter quod Spiritus sanctus est à Patre dupliciter, quia est à Patre immediatè, & secundùm se prout ipse Pater spirat Spiritum sanctum: & est à Patre mediatè, ideſt mediante Filio, & per Filium, inquantum dat Filio quòd spiret Spiritum Sãctum. Sed Spiritus Sanctus est à Filio uno modo, inquantum est à Filio immediatè: non enim est à Filio mediante Patre, quòd in illa spiratione Filius aliquid det Patri, sed è converso. Ergo in hac spiratione Filius spirat secundùm se: & si comparetur ad Patrem, Filius spirat receptivè, recipiendo virtutem spirandi à Patre: Pater verò spirat secundùm se, & spirat dativè, quia dat filio virtutem spirandi semper: propter quod Pater spirat dupliciter immediatè, & secundùm se, & mediatè sive principaliter prout hoc communicat Filio, & spirat mediante Filio sive per Filium.

Et quod dictum est de Patre, & Filio prout spirant Spiritum sanctum, veritatem habet de Patre, Filio, & Spiritu sancto prout producunt creaturam. Nam sicut Spiritus sanctus est à Patre dupliciter principaliter, & immediatè: & est à Filio uno modo tantùm, videlicet immediatè (Non est autem à Filio principaliter, quia quòd Filius spiret, recipit ab alio, ideſt à Patre) ita possumus, prout materia patitur, hoc adaptare ad creaturam prout creare est opus Divinum, & dicere quòd creatura procedit à Patre & Filio, & Spiritu sancto, unica, & simplici creatione, hoc tamen non obstante, procedit à Patre tripliciter, à Filio dupliciter, à Spiritu sancto uno modo: indivisa enim sunt opera Trinitatis secundùm Augustin. & Dionys. quia est indivisa substantia, & virtus. Sed licèt sit una, & eadem substantia, & virtus in Patre, & Filio, & Spiritu Sancto: tamen secundùm modum se habendi, illa eadem substantia, & virtus est aliter in qualibet persona, quia in Patre se habet ut non communicata ab alio; in Filio autem ut communicata à Patre; in Spiritu sancto ut communicata à Patre & Filio. Propter quod illa actio sive illa creatio, qua producitur creatura, est immediatè à Trinitate, quia virtus creandi est in qualibet persona, propter quod quælibet persona creat immediatè, quia habet in se illam substantiam, & illam virtutem, à qua creatura procedit immediatè. Hoc tamen non obstante, illa actio, & illa creatio est à Patre, & Filio non solùm immediatè, sed mediatè, & principaliter, prout comparantur ad Spiritum sanctum, & dant, & communicant ei virtutem creandi. Rursum, illa creatio est à Patre non solùm immediatè, & mediatè sive principaliter prout virtutem creandi communicat Spiritui sancto, sed etiam à Patre mediatè, & principa-

Psalm. 32. b

liter, prout virtutem creandi communicat Filio, & prout communicat eam Spiritui sancto. A Filio autem est hujusmodi creatio dupliciter, uno modo immediatè prout est à qualibet persona, alio modo mediatè, & principaliter prout virtutem creandi communicat uni soli Personæ, videlicet Spiritui sancto. Sed à Spiritu sancto est illa creatio solùm immediatè prout est à qualibet persona. Sed respectu Divinarũ Personarum nullo modo est creatura vel creatio à Spiritu sancto mediatè, & principaliter, quia Spiritus sanctus nulli Personæ tribuit vel communicat aliquid. Nam respectu Divinarum Personarum se habet Spiritus sanctus receptivè non dativè. Possumus autem hæc clariùs dicere: nam Pater comparatur ad opus creatum tripliciter, uno modo secundùm se, quia virtutem habet à se ipso, alio modo, ut dat virtutem creandi Filio, alio modo ut dat virtutem creãdi Spiritui sancto: sed Filius dupliciter comparatur ad hujusmodi opus, uno modo secundùm se, quia ipsum opus creatum secundùm se à Filio est; alio modo potest comparari ad hujusmodi opus, mediante Spiritu sancto, prout unà cum Patre dat virtutem creandi Spiritui sancto.

His autem omnibus prælibatis, volumus ostendere speciale propositum. Tractavimus autem hanc materiam diffusè, quia multum est utilis, & multum illuminat intellectum hæc materia: ex qua habemus argumentum ad principale propositum. Nam si Divinæ Personæ servant suum ordinem inconcussum, quia Pater communicat naturam, & ea quæ habet Filio, non autem Filius Patri: & Pater semper spirat Spiritum sanctum per Filium, & ex hoc semper spirat principaliter: & Pater producit opus creatum semper, & Pater producit opus creatum principaliter respectu Filij, quia virtutem creandi communicat Filio: Filius autem producit hujusmodi opus principaliter respectu Spiritus sancti, quia virtutem creandi communicat ei: propter quod opus creatum semper reducitur in Patrem per Filium & Spiritum sanctum. Cùm exemptio faciat contrarium horum, quia inferius reducit in supremum nõ per medium; jam nihil aliud est exemptio nisi quædam inordinatio, quia rem, quæ debet esse in inferiori loco, & debet reduci in supremum per medium, conjungit supremo sine medio. Idem est ergo facere exemptionem, & facere, quòd personæ Ecclesiasticæ inferiores reducantur in supremum Pontificem non per Prælatos medios, & quòd summus Pontifex velit operari in personas inferiores Ecclesiasticas nõ per Prælatos medios; ac si Pater vellet reducere creaturas in se ipsum nõn per Filium medium, & creare eas non per Filium: ac si Pater, & Filius vellent in se reducere creaturas non per Spiritum sanctum, cui communicant virtutem creandi. Non tamen dicimus quòd in hoc sit omninò simile, sed est secundùm impossibilitatem, & indecentiam: nam impossibile est Patrem creare creaturas non per Filiũ, & impossibile est Patrem, & Filium creare creaturas, & non per Spiritum sanctum. Exemptio quantum ad summum Pontificem non dicit impossibilitatem, sed indecentiam: decet enim summum Pontificem non solùm exemptionem non facere, sed etiam factam tollere, nisi hoc faciat pro magna, & evidenti utilitate Ecclesiæ. Concludamus ergo, & dicamus, quòd tantùm videmus ordinem in actione Divinarum Personarum, quòd summus Pontifex tamquam constitutus à Deo in sede, & tamquam imitator fidei, summè debet cavere inordinationẽ, & vitare exemptionem, & quantum possibile est Ecclesiasticas personas secundùm suum statum, & ordinem in se reducere: & modum ordinatum, cui contradicit exemptio, in personis Ecclesiasticis semper servare.

CAP. XVII.

Quòd ex ipsis Hierarchijs Angelicis possumus declarare exemptionem non esse faciendam, sed tollendam.

EST autem in Angelis triplex distinctio, una Hierarchiarum, alia ordinum, tertia personarum. Sunt autem in Angelis tres Hierarchiæ: in qualibet autem Hierarchia sunt tres ordines, propter quod computantur novem ordines Angelorum: in quolibet autem ordine sunt multi, & innumerabiles Angeli, sive Personæ Angelicæ. Propter quod videndum est unde oritur distinctio Hierarchiarum: unde ordines, qui sunt plures in qualibet Hierarchia: & unde Angelorum distinctio, qui sunt multi, & quasi innumerabiles in quolibet ordine. In hoc capitulo licèt intendamus aliquid tangere de hujusmodi qualibet distinctione, principaliter tamen intendimus prosequi de distinctione Hierarchiarum, ut ex hujusmodi distinctione manifestè concludamus exemptionem non esse faciendam, sed tollendam. Dicemus ergo, quòd aliter accipitur distinctio Angelorum, aliter ordinum, & aliter Hierarchiarum: nam distinctio Angelorum ac-

Hie-

cipitur ex diversitate naturarum, distinctio ordinum ex diversitate operum, & distinctio Hierarchiarum ex diversitate illuminationum.

Quot Angeli tot species.

Propter distinctionem Angelorum sciendum, quòd quot sunt Personæ Angelicæ, tot sunt species Angelorum: sunt enim Angeli quædam formæ per se existentes, vel quod idé est, sunt quędam substantiæ separatę, sunt enim separatæ à materia. Tripliciter ergo possumus ostendere quòd quot sunt Angeli, tot sunt species Angelorum. Primò ut Angeli sunt quędam formæ. Secundò prout formæ comparantur ad numeros. Tertiò prout hujusmodi formæ comparantur ad animam humanam. Si enim Angeli sunt ipsæ formæ, non possunt differre nisi formaliter, & per formam, quod est differre specie: nam August. 83. quæst. de Ideis, ait: quòd *ideas, formas vel species possumus dicere, ut verbum ex verbo transferre videamur.* Idem est ergo forma, & species: & quod Græci dicunt ideas, Latinè verbum de verbo transferendo, formas vel species secundùm Augustinum possumus nuncupare. Cùm ergo Angeli sint quædam formæ, & non possint differre nisi formaliter, quia idem est forma, & species, oportet omnes Angelos differre specie; propter quod sicut quot sunt Angeli, tot sunt formæ per se existentes separatæ, ita quot sunt Angeli, tot sunt species Angelorum. Secundò hoc idem patet, si comparemus formas ad numeros: nam

Cap. 3.

secundùm Philosophum 8. Metaphys. formæ sunt sicut numeri: nam nulli sunt duo numeri formaliter differentes, habentes totidem perfectiones vel æquè perfecti: potest enim contingere quòd differentia numero sint æquè perfecta, sed quòd differentia formaliter, & specie sint æquè perfecta esse non potest, quia semper una species est perfectior alia.

Advertendum tamen, quòd formæ sunt sicut numeri, & sunt similes numeris, sed quantum ad aliquid est similitudo contraria: nam sicut omnes numeri procedunt ab unitate, sic omnes formæ, & omnes species procedunt à Deo, qui se habet ut unitas: de quo dicit Boetius in lib. de Trinit. quòd Deus est verè unus, in quo nullus numerus. Quod verum est loquendo de numero rerum absolutarum: non est verum de numero rerum relatarum. Sunt enim in Divinis tres res, idest tres Personę, quę non sunt tres res absolutæ, sed relatæ. In hoc ergo se habent formæ sicut numeri, quia omnes procedunt ab uno Deo, qui verè se habet ut unitas. Conveniunt etiam formæ cum numeris, quia sicut numeri propinquiores unitati sunt minùs compositi, ita formæ propinquiores Deo sunt magis simplices, & minùs compositæ. Est tamen ista similitudo aliquo modo per contrariũ, quia numerus quantò propinquior unitati, tantò habet rationem minoris numeri: sed forma quantò est propinquior Deo, tantò est perfectior, & tantò habet rationem majoris numeri, quia continet in se plures perfectiones. Propter quod ipse Deus est numerus sine numero, ut vult August. super Genes. est etiam infinitus, quia continet infinitas perfectiones ut vult Dionys. Si ergo formæ sunt sicut numeri, & non sunt duo numeri formaliter differentes ejusdem speciei, quia non possunt nisi formaliter differre, cùm sint quædam formæ, non erunt duo Angeli ejusdé speciei: propter quod quot sunt Angeli, tot sunt species Angelorum. Tertiò hoc idem patet, si comparentur Angeli ad animam humanam: Impossibile est autem quòd anima humana sit composita ex materia, & forma: nam cùm anima sit forma corporis, & omnis forma secundùm se tota sit quidam actus, impossibile est quòd in aliqua forma sit materia vel sit aliquid quod sit pura potentia. Et exinde est quòd nullum compositum potest esse forma, & maximè si sit compositum ex materia & forma: anima enim si esset sic composita ex materia & forma, perficeret duas materias, videlicet materiam suam, & materiam corporis: & utrumque perficeret per se & immediatè, quod est impossibile. Si ergo anima humana, quæ tenet infimum gradum in genere substantiarum separatarum, non est composita ex materia & forma, ergo nec quilibet Angelus, qui naturaliter est simplicior quacumque anima, non potest in se habere materiam, sed est ipsa forma. Omnes ergo Angeli, ut sunt quædam formæ, non possunt inter se differre, nisi forma & specie: quot ergo sunt Angeli, tot sunt species Angelorum.

Ex his ergo haberi potest, quomodo accipienda sit diversitas Angelorum: nam cùm ipsi Angeli sint quædam formæ, & natura per antonomasiam dicatur de forma, ut potest patere ex 2. Physicorum, oportet quòd distinctio & diversitas Angelorum accipiatur ex distinctione & diversitate naturarum: & quia non sunt duæ formæ formaliter & specie differentes æqualis perfectionis, non erunt duo Angeli habentes naturam æquè simplicem & æquè perfectam: & quia in simpliciori & perfectiori natura recipitur nobilius esse, non erunt duo Angeli habentes æquè nobilius esse: insuper quia natura Angelorum est intellectualis, & inter intellectualia habentia perfectiorem naturam & nobilius esse, habent perspicatiorem intellectũ: sicut non sunt duo Angeli habentes æquè per-

fectam naturam & æquè nobile esse : sic non erunt duo Angeli habentes æquè perspicacem intellectum. Redeamus ergo ad propositum, & dicamus, quòd cùm quæritur, quomodo accipienda sit distinctio Hierarchiarum, & Ordinum Angelorum, quia in quolibet ordine sunt multi Angeli? Dici potest quòd diversitas Angelorum accipienda est tripliciter, videlicet ex bonitate & perfectione, ex nobilitate essendi, & tertiò ex perspicacitate intelligendi, quia non sunt duo Angeli æquè habentes naturam perfectam, nec æquè nobile esse, nec æquè perspicax intelligere.

Restat ergo videre quomodo diversitas ordinum accipienda sit ex diversitate operum, vel ex diversitate denominationum, quæ denominationes sunt ex operibus sumptæ. Sed quia de hoc tractabitur in sequenti capitulo, ubi ex ordinibus Angelorum declarabimus exemptionem non esse faciendam sed tollendam : ideò in hoc capitulo volumus declarare quomodo ex distinctione Hierarchiarum est hic agendum. Dicebatur suprà, quòd distinctio Hierarchiarum sumenda erat ex distinctione vel ex diversitate illuminationum, quas illuminationes oportet descendere à Deo in Angelos, secundùm quod ipsæ Hierarchiæ sunt adinvicem ordinatæ. Cùm ergo prima Hierarchia sit inter Deū & homines, secunda inter Angelos & Angelos, tertia inter Angelos & homines, oportet quòd prima Hierarchia, quæ quantum ad illuminationem se habet immediatè ad Deum, recipiat illuminationes immediatè à Deo : semper enim Hierarchia illuminatur ab eo quod est supra se, & illuminat eos qui sunt sub se : & quia prima Hierarchia est inter Deum & Angelos, oportet ut illuminetur à Deo, & illuminet Angelos. Secunda verò, quia est inter Angelos primæ Hierarchiæ tamquam inferior, & Angelos tertiæ tamquam superior, oportet quòd illuminetur per Angelos primæ Hierarchiæ tamquam per superiores, & illuminet Angelos tertiæ Hierarchiæ tamquā inferiores. Tertia autem Hierarchia, quæ est inter Angelos secundæ Hierarchiæ & homines, oportet quòd illuminetur per Angelos secundæ Hierarchię tamquam per superiores, & illuminet homines tamquam inferiores.

Æg. de Divina influentia in beatos.

Advertendum autem est, quòd sicut est in hominibus, ita suo modo est in Angelis. In hominibus autem est dare quinque gradus, ut grosso modo loquamur, primo, Magistrum habentem cathedræ excellentiam : secundo, sunt Baccalaurei : tertio, sunt Lectores : quarto, sunt Prędicatores : quinto, est plebs vel populus. A summo Doctore descendunt illuminationes in Baccalaureos ; & isti se habent ut prima Hierarchia, quæ immediatè illuminatur à Deo. A Baccalaureis autem descendunt illuminationes in Lectores, qui se habent ut secunda Hierarchia. A Lectoribus in Prædicatores, qui se habent ut infima Hierarchia. A Prædicatoribus descendunt illuminationes in homines populares, vel plebejos, qui repræsentant Hierarchiam hominum, qui illuminantur ab ipsa Hierarchia Angelorum.

Advertendum etiā, quòd non omnes homines Baccalaurei sunt æquè subtiles nec æquè simplices : supponuntur tamen esse tantæ perspicacitatis, quòd possint immediatè doceri à Doctore. Sic omnes Angeli primę Hierarchiæ non sunt æquè perspicaces : & non solùm omnes Angeli primæ Hierarchiæ non sunt æquè perspicaces, immò etiam nec duo Angeli ejusdē vel diversorum ordinum sunt æquè perspicaces : nam cùm omnes Angeli differunt in specie & formaliter, non est dare inter eos habentes æquè perfectam naturam, nec æquè nobile esse, nec æquè perspicax intelligere, ut superiùs tangebatur : propter quod inter etiam ipsos Seraphim unus docetur ab alio ; & illud Isaiæ : *Duo Seraphim clamabant alter ad alterum*, videtur exponere Dionysius quantum ad doctrinam, qua alter petebat doceri ab altero : omnes tamen de prima Hierarchia supponuntur esse tales, quòd immediatè illuminentur à Deo, loquendo de illuminatione communiter, quia omnia talia sic sunt intelligenda. Nam cùm dicitur quòd natura non agit in superfluū, nec deficit in necessarijs, intelligitur communiter loquendo ; nam aliqui nascuntur monstruosi habentes superfluum, quia nascuntur cum pluribus digitis, quàm debeant habere : & aliqui nascuntur diminuti, quia nascuntur monoculi, vel etiam cęci. Cùm ergo dicimus quòd prima Hierarchia immediatè illuminatur à Deo, oportet intelligere loquendo communiter, quia potest esse aliqua illuminatio, quæ non pervenit immediatè ad omnes primæ Hierarchiæ Angelos, sed oportet superiores de illa Hierarchia docere inferiores de eadem Hierarchia : sic etiam esse potest illuminatio aliqua, quæ immediatè pertingit non solùm ad omnes de prima Hierarchia, sed etiam ad omnes de alia Hierarchia. Sed communiter loquendo prima Hierarchia immediatè illuminatur à Deo, & alij illuminantur suo modo, & suo ordine, ut est per habita declaratum.

Cap. 6. de cœl. Hier. c. 7.

Igitur quia Hierarchia nostra Ecclesiastica debet imitari Hierarchias cœlestes, & Angelicas, cùm videamus tantam ordinationem in illis cœlestibus Hierarchijs, ut quòd prima Hierarchia immediatè se habet ad Deum : se-

cun-

cunda immediatè ad primam Hierarchiam: tertia immediatè ad ſecundam : cùm non fiat exéptio in talibus nec ſecundùm totum, nec ſecundùm partem, utputà quia tota Hierarchia tertia, vel pars ejus, quantum ad illuminationes, immediatè collocetur circa Deum, vel circa primam Hierarchiam ; ſed omnes hujusmodi Hierarchiæ inconcuſsè ſervant ſuum ordiné ordinatum, & debitum : & ſicut Hierarchiæ cœleſtes quantum ad illuminationem inferiorem reducuntur in ſuperiora per media : ſic illi qui ſunt in Hierarchia Eccleſiaſtica non debent inferiores collocare circa ſuperiores, vel circa ſupremum immediatè, ſed debent reduci in ſuperiores vel in ſupremum per medios Prælatos: & quia contrarium hujus facit exemptio, claro clarius patet quod in rubrica hujus cap. tradebatur, videlicet quòd ex ipſis Hierarchijs Angelicis declaratur exemptionem non eſſe faciendam, ſed tollendam.

CAP. XVIII.

Quòd ex ipſis ordinibus Angelorum poſſumus declarare exemptionem non eſſe faciendam, ſed tollendam.

POſtquam de Hierarchijs Angelorum declaravimus noſtrum propoſitum de exemptione, in hoc capitulo hoc idem volumus declarare ex ipſis ordinibus Angelorum. Dicemus enim quòd totam militiam cœleſtem, ideſt omnes Angelos, omnia corpora ſupercœleſtia, omne ævum, & totum Vniverſum, ordinavit Deus ad bonum, & ad regimen electorum, ut ex hoc boni habeant majorem materiam laudandi Deum, & commendandi ſe Deo, qui totum Vniverſum, ideſt omnes creaturas voluit ordinare ad profectum eorum, cujus gratia ſunt ſalvati : & mali ſint magis confuſi in ſeipſis, qui ſpreto tanto bono, & tanta benignitate Dei ordinantis univerſam creaturam ad eorum bonũ, ſua culpa ſunt damnati. Omnes enim Hierarchiæ, & omnes ordines Angelorum non ſunt niſi quidam principatus ordinati ad bonum electorum : unde in fine mundi ceſſabit hujuſmodi omnes principatus, juxta illud 1. Corinth. 15. *Deinde finis ; cùm tradiderit regnum Deo, & Patri cùm evacuaverit omnem principatum, poteſtatem, & virtutem.* Nam in fine mundi Deus Attradet virtutes, ideſt ceſſabunt omnes iſtæ prælationes Angelorum, & non ſolùm prælationes Angelorum, ſed etiam ceſſabunt prælationes hominum, & dæmonum. Nam ſecundùm gloſſam ibidem, uſque in finem mundi Angeli Angelis, homines hominibus, & dæmones dæmonibus præerunt: ſed poſt finem mundi omnia iſta ceſſabunt ; remanebunt enim ordines Angelorũ, & ipſi Angeli ſecundùm ſub, & ſupra; quia aliqui eorum habebunt majorem gloriam, aliqui minorem, ſicut & nunc habent: nam, ut ait Dominus, *In domo Patris mei manſiones multæ ſunt.*

Iſta enim multitudine manſionum, & diverſitate multorum: facient tunc Angeli, & homines unam civitatem Dei ſecundùm diverſitatem meritorum. Nam aliqui hominum aſſumentur ad ordinem Seraphim, alij ad Cherubim, & ſic de alijs ordinibus, prout homines in hoc ſæculo magis, & minus meruerunt. Eſt enim ibi unus Deus omnes glorificans, & omnes replens gaudio. Et ſicut homines boni cum Angelis bonis faciunt unam civitatem Dei, ſic homines damnati cum malis Angelis facient unam civitatem diaboli. Et ſicut in civitate Dei erit unus Deus omnia glorificans ſecundùm diverſas viſiones, & ſecundùm quòd diverſimode meruerunt : ſic in civitate diaboli erit unus ignis omnes crucians ſecundùm diverſas manſiones, ideſt ſecundùm quod diverſimodè meruerunt. Omnes enim tunc homines & Angeli beati, erunt docibiles Dei, & immediatè docebuntur à Deo, & illaminabuntur, ita quòd nec Angeli docebunt Angelos, nec homines, quantum ad novam inſtructionem, quia non ulteriùs proficient in ſcientia, ſed immediatè omnes illuminabuntur à Deo, juxta illud Ieremiæ. 31. *Et ero eis in Deum, & ipſi erunt mihi in populum. Et non docebit ultrà vir proximum ſuum, & vir fratrem ſuum dicens: Cognoſce dominum: omnes enim cognoſcent me à minimo eorum uſque ad maximum, ait dominus* Et quod dictum eſt de hominibus, veritatem habet de Angelis : quia tunc homines & Angeli, ut vult Auguſtinus in principio. 12. de Civit. Dei, conſtituent unam civitatem. Cap. 31. n. 33. & 34.

Angeli ergo, dum durat mundus, conſtituunt diverſas Hierarchias, & diverſos ordines, in quibus ſuperior Hierarchia, & ſuperior ordo illuminat inferiorem quantum ad univerſi regimen ad bonum electorum; ſed in fine mundi ceſſabunt iſta, quia non ulterius indigebunt electi alio regimine, ſed quilibet eorum erit Rex regum, & Dominus dominantium. Et quod dictum eſt de Angelis, quòd operationes eorum

ſunt

sunt propter bonum,& propter regimen electorum,veritaté habet de corporibus supercœlestibus quòd actiones,&motus sunt propter bonum & propter profectũ electorũ. Nam in fine mundi cessabunt omnes motus supercœlestiũ corporũ juxta illud *Sol,& Luna steterunt in habitaculo suo.* Et quod dictũ est de Angelis,& supercœlestibus corporibus,veritaté habet de elemẽtis:habent enim nunc elementa actiones suas per quas agunt, & patiuntur adinvicem, & generantur, & corrumpuntur, quia si non essent hæc in elementis, ex quibus componuntur mixta,& non esset generatio, & corruptio elementorum, non esset generatio, & corruptio mixtorum, & per consequens nec hominum. Et quia per generationem hominum impletur numerus electorum, propter quorum impletionem non potest cessare generatio, & corruptio à rebus istis inferioribus: ideò completo numero electorum, omnia ista cessabunt eo modo quo sunt nunc. Sed quod alio modo post judicium non remaneant omnia ista, in sequenti cap. poterit declarari.

Habuc. 3.c.

Ex his autem omnibus possumus distinguere Hierarchias, & ordines. Imaginabimur enim quòd Deus est Princeps, & Rex omnium Angelorum, & totius Vniversi, & propter bonum, & regnum electorum ordinavit Hierarchias, idest Principatus, & etiam in Hierarchijs varios ordines Angelorum. Sicut ergo Rex aliquis in hoc sæculo accepit aliquos de civibus suis, & facit inde curiam suam, in qua aliqui sunt secretarij regis intromittentes se de omnibus quæ sunt in regno: aliqui sunt Magistri,& judices in curia regis agentes opera,& exercentes judicia pertinentia ad totum regimen: aliqui sunt Ballivi, & præpositi sparsi per diversas partes regni. Secretarij autem sunt in vestibulis regis, & in cameris regis scientes secreta regis quomodo vult regimen suum regi: & isti constituunt primam Hierarchiam. Nam ut diximus, Hierarchiæ distinguuntur secundùm diversitatem illuminationum. Nam sicut immediatè docentur à rege, & posteà docent aliquos voluntatem regis:sic prima Hierarchia immediatè illuminatur à Deo, & docetur ab ipso de regimine Vniversi, & posteà docent aliquos,& illuminant de regimine Vniversi quomodo Deus vult Vniversum regi, ut salventur electi. Magistri autem, & judices in curia regis intromittentes se de toto regno, faciunt secundam Hierarchiam. Alij autem sparsi per diversas partes regni, & intromittentes se de toto regno sicut ipsi Magistri, docentur à Secretarijs, & cubicularijs regis: ita ipsi de tertia Hierarchia docentur à Magistris, & judicibus de secunda Hierarchia. Ex diversitate ergo doctrinarum, & illuminationum, distinguuntur Hierarchiæ, quia prima illuminatur à Deo, secunda à prima, & tertia à secunda. Ipsos autem ordines possumus distinguere secundùm operationes: quia Seraphim denominantur à diligere, dicuntur enim Seraphim quasi incendentes vel ardentes incendio, vel ardore dilectionis, & charitatis. Cherubim denominantur à scire, hoc est enim Cherubim quasi plenitudo scientiæ. Throni etiam denominantur à judicare,dicuntur enim Throni quasi sedes, in quibus judicia exercentur. Et isti sunt tres ordines constituentes primam Hierarchiam, quæ tota consistit in eo quòd illuminantur, & docentur à Deo. Et omnes tres ordines Cherubim, Seraphim, & Throni, sumpti sunt in eo quòd constituunt scientiam secretorum Dei de regimine, & gubernatione Vniversi: & isti revelant alijs voluntatem Dei, quomodo Deus vult Vniversum regi, ut electi non pereant, sed salventur. Advertendum autem quòd scientia secretorum Dei, in qua consistit tota prima Hierarchia, & omnes tres præfati ordines, tripliciter potest denominari: vel à causa scientiæ, vel ab ipsa scientia, vel ab effectu scientiæ. A causa scientiæ denominantur Seraphim, qui sunt ardentes, & accensi amore dilectionis; nam amor, & dilectio est tota causa, quare aliquis revelat alij secreta sua. Seraphim ergo dicti ardentes ab ardore amoris, qui est causa revelationis secretorum. Cherubim verò tamquam ordo sub Seraphim denominatur ab ipsa scientia, quæ non est ita alta sicut sua causa: iste enim actus qui est scire, non est altus sicut amare, quia ut dicit Hugo in commento super Angelica Hierarchia: *Intrat amor ubi foris stat scientia.* Seraphim, autem qui denominantur ab amore intrant ad secreta Dei, & revelantur eis aliqua secreta, ubi stant foris Cherubim qui denominantur à scientia. Throni vero,qui est tertius ordo primæ Hierarchiæ, non denominantur ab amore qui est causa scientiæ, & revelationis secretorum, à quo denominantur Seraphim nec ab ipsa scientia à qua denominatur Cherubim, sed denominantur ab effectu scientiæ, qui est judicare: dicuntur enim Throni quasi sedes Dei, in quibus sedet Deus proferens judicia sua de regimine Vniversi, ut salventur electi: quia judicare est effectus scientiæ, ut potest haberi ex primo Ethicorum, ubi dicitur: *Unusquisque benè judicat de his quæ novit, & horum bonus est judex.* Priùs enim intelligimus quòd aliquis noscat, & sciat, & posteà quòd secundùm illud noscere, & scire benè judicet. Ergo ab istis tribus operibus

tribus videlicet tribus actibus, qui sunt amare, scire, & judicare, sumuntur tres ordines primæ Hierarchiæ.

Ab alijs tribus operationibus : vel actibus, qui sunt imperare, impedimenta removere, & imperata effectui demandare, sumuntur alij tres ordines secundæ Hierarchiæ, videlicet Dominationes, Virtutes, & Potestates. Nam officium Dominationũ est imperare alijs, quomodo regatur Vniversum. Nam postquam Seraphim intraverunt ad secreta Dei, & Throni per scientiam, quam acceperunt à Cherubim, revelaverunt alijs judicia Dei, Dominationes per revelationem receptam à Thronis de judicijs Dei, imperant ut secundùm illa judicia regatur Vniversum. Virtutes autem quantum ad imperata removent impedimenta, quæ possunt illa imperata impedire. Vnde, & facere miracula potest attribui Virtutibus, quia per miracula inducuntur corda fidelium ad credendum, & per miracula removentur impedimenta incredulitatis. Sed tertiò, scitis & cognitis his, quæ Dominationes imperaverunt, & ad illa imperia exequenda remotis illis impedimentis per Virtutes, studeant Potestates, quæ imperata sunt effectui demandare. Ista ergo secunda Hierarchia, (quæ continet tres ordines juxta tria opera, quæ sunt imperare, impedimenta removere, & remotis impedimentis, imperata effectui demandare) illuminatur à prima Hierarchia, ut est per habita manifestum. Hæc ergo secunda Hierarchia intromittit se de toto Vniverso circa totum, sua opera exercendo.

Sed tertia Hierarchia intromittit se de partibus Vniversi, putà ut de tota una Provincia, quæ est pars Vniversi; vel de personis singularibus, quæ sunt partes istius Provinciæ, vel illius. Dicuntur esse tres ordines in tertia Hierarchia, videlicet Principatus, qui quasi Principes intromittunt se de varijs Provincijs, ut Princeps Persarum intromittebat se de Persia, & Michael tamquam Princeps Iudæorum se intromittebat de populo Iudaico. Archangeli, & Angeli, qui sunt duo ordines in fine hujus tertiæ Hierarchiæ, possunt distingui, quia Archangeli se intromittunt de majoribus negotijs : Angeli verò de minoribus. Vel Archangeli intromittunt se de personis, ut bonum illarum personarum est bonum multitudinis, ut Gabriel Archangelus nunciavit Mariæ nativitatem Christi, quæ fuit bonum totius populi Christiani : Angeli verò se intromittunt de singularibus personis ut sunt singulares personæ, & ut bona ea sunt quædam bona propria. Ex omnibus autem his concludamus, & dicamus, quòd si Deus tantam diligentiam apponit in regimine Vniversi per ipsas Hierarchias, vel per ipsos cœlestes ordines Angelorum, ut omnia in eis secundùm ordinem fiant, ut quilibet Angelus suum ordinem teneat, & suum locum servet ad regimen Vniversi : quantam curam, quantam diligentiam summus Pontifex habere debet in regimine Ecclesiæ, ut omnia secundùm ordinem fiant, & quilibet in suo loco sit positus, & faciat illud bonum, quod spectat ad ipsum, ut benè regatur Ecclesia & salventur electi! Et quia exemptio locum debitum non servat, locum proprium non custodit, sed res debitas, & ordinatas in uno loco, collocat super illum locum, & in loco eis non debito, nec in ordine sibi competenti, decet summum Pontificem non solùm exemptiones non facere, sed factas tollere, nisi pro magna, & evidenti causa, & utilitate Ecclesiæ ad eas faciendas inclinetur, vel moveatur.

CAP. XIX.

Quòd ut remanebunt distinctiones Hierarchiarum secundùm ordinem Angelorum, possumus declarare exemptionem non esse faciendam, sed tollendam.

Dicebatur autẽ suprà, quòd erant tres distinctiones Angelorum, una Hierarchiarum, alia ordinum, tertia personarum. Sunt enim Hierarchiæ Angelorum sumptæ secundùm alium, & aliũ modum illuminationis. Nam prima Hierarchia est inter Deum, & Angelos, qui illuminantur à Deo, & illuminant Angelos. Secunda est inter Angelos, & Angelos, & est inter primã Angelorum Hierarchiam, & tertiam : propter quod illuminantur ab Angelis primæ Hierarchiæ, & illuminant Angelos tertiæ Hierarchiæ. Hierarchia autem tertia est inter Angelos, & homines : illuminatur ergo tertia Hierarchia ab Angelis secundæ Hierarchiæ, & illuminant Hierarchiam hominum, vel ipsos homines (accipiendo illuminationem receptivè, & effectivè, inquantum eadem Hierarchia habet eundem modum illuminationis ut alia, quia prima Hierarchia lumen recipit à Deo, & facit lumen in Angelos : tertia recipit lumen ab Angelis, & facit lumen in homines.) Sic ergo dividi possunt Hierarchiæ. Et quia in qualibet Hierarchia sunt tres ordines Angelorum, & in quolibet ordine sunt multi Angeli, vel mul-

multæ perſonæ Angelorum, præter diſtinctionem Hierarchiarum eſt dare diſtinctionem ordinum, & perſonarum ſive Angelorum, quia quot ſunt Angeli, tot ſunt perſonæ Angelorum: quilibet enim Angelus eſt quædam perſona Angelica, ſicut quilibet homo eſt quædam perſona humana. Omnes autem hæ diſtinctiones Hierarchiarum, ordinum, & perſonarum Angelorum, quandiu durat mundus, ideſt uſque ad diem judicij, ſunt ordinatæ ad pugnandum: ideò vocantur militiæ: quia ſicut homines, dum vivunt, pugnant, vel debent pugnare ut ſalventur, juxta illud Job: *Militia eſt vita hominis ſuper terram*: Ita Angeli, quandiu durat mundus, bellant, & pugnant pro hominibus ut ſalventur. Et ideò ſicut homines ordinant ſe in bello per diverſos Principatus bellantium, habentium aliquam conformitatem, & aliquam unitatem in bellando (poſſunt enim eſſe in eodem principatu quantum ad bellum plures acies, & in qualibet acie multi bellatores) ita & Angeli ordinant ſe in ſalutem electorum: Principatus enim erunt Hierarchiæ, ordines erunt acies Angelorum, ipſi bellatores Angeli.

Job. 7. a.

Tanta enim eſt diligentia circa electos, & circa homines ſalvandos, quòd omnes Angelos Deus diſtinxit per Principatus bellantium, acies bellatorum, & per ipſos bellantes. Fecit autem ex omnibus Angelis tres Principatus ad bellandum, & ipſi ſunt Hierarchiæ Angelorum: nam idem eſt Hierarchia, quod ſacer Principatus. In quolibet autem Principatu conſtituit tres acies bellantium, & iſti ſunt tres ordines Angelorum, in quos diſtinguitur quælibet Hierarchia, vel quilibet Principatus. In quolibet autem ordine Angelorum ſunt bellatores multi, & ipſi ſunt ipſi Angeli bellantes. Verùm quia omnia iſta ſunt ſub uno Rege, ideò omnes expectant judicium Regis, judicantis, quomodo ſit bellandum. Et inde eſt quòd ipſi Angeli aliquando inter ſe habent pugnam, & non idem velit quod alius, propter quod dicitur unus bellare contra alium, & unus inſiſtere alij: propter quod dicitur, ut habetur in Daniele, quòd Princeps Græcorum, qui erat quidam Angelus, reſtitit Principi Perſarum, qui erat alius Angelus, viginti & una diebus: & volebat liberare Judæos, credens hoc eſſe faciendum propter multos bonos Judæos, orantes hoc, & petentes: Princeps autem Perſarum hoc non permittebat, videns multa bona contingere Perſis, quorum erat conſtitutus Princeps, propter Judæos commorantes inter illos. Vterque erat bonus Angelus, & uterque volebat bonum populi ſui, cujus erat Princeps.

Dan. 10.

A Duravit ergo iſta reſiſtentia, & iſta pugna donec acceptum fuit Divinum reſponſum, & Divinum judicium, ſecundùm quod fuerunt Judæi liberati. Sic etiam in eodem Capitulo, vel in eodem Cœnobio poſſunt eſſe variæ voluntates, & unus poteſt reſiſtere alteri, & quilibet tamen movetur bono ſpiritu. Aliquãdo etiam non eſt niſi unus ventus in mari, & tamen ſi aliter, & aliter ordinantur vela unius navis, & alterius, uno, & eodem vento ibũt naves in aliam, & aliam partem. Sic etiam ſecundùm quod aliter, & aliter eſt ordinata conſcientia hujus, & illius, uno & eodem ſpiritu bono poſſunt ſibi invicem reſiſtere, & declinare in aliam partem.

B Redeamus ergo ad propoſitum, & dicamus, quòd omnia iſta bella Angelorum, (quæ ſunt diſtincta in tres Hierarchias, ideſt in tres Principatus: & in quolibet Principatu ſunt tres ordines, ideſt tres acies: & in qualibet acie ſunt multi bellatores, ideſt multi Angeli bellantes) ſunt ordinata ſecundùm Divinum mandatum. Propter quod oportet ad hujusmodi exercenda, aliquos eſſe ſecretarios Regis immediatè ſcientes voluntatem Regis, ideſt Dei, quomodo debeant iſta bella committi. Propter quod omnes Angeli dicuntur Nuncij, & illi de prima Hierarchia, quia omnes adnuntiant aliquid: nam illi de prima Hierarchia adnuntiant alijs ſecreta: propter C quod omnes dicuntur adminiſtratores ſpiritus in miniſterium miſſi. Nam licèt non omnes mittantur exteriùs, vel hic inferiùs, omnes tamen dicuntur Nuntij ad nuntiandum aliquod myſterium, & aliquod ſecretum Dei pro ſalute electorum, juxta illud ad Hebræos: 1. *Omnes ſunt adminiſtratorij ſpiritus, in miniſterium miſſi propter eos qui hereditatem capient ſalutis*, ideſt per electos omnes. Ergo Angeli de prima Hierarchia ſunt ad nuntiandum ſecreta Dei, & omnes à ſcientia ſecretorum Dei denominantur. Tota ergo prima Hierarchia, Cherubim, Seraphim, Throni, & omnes tres ordines, D vel acies quæ ſunt ibi, deſerviunt regimini Vniverſi, & bellant pro bono electorum in quantum revelant ſecreta Dei alijs, docentes eos, & illuminantes ipſos quomodo debeant Vniverſum regere, & quomodo debeant juvare electos ad bellandum, & aſsiſtere eis in pugna ad vincendum mundum, carnem, & diabolum.

Dionyſ. de Cœl. Hier. c. 5.

Heb. 1. d.

Sic etiam in ſecunda Hierarchia ſunt tres, Dominationes, Virtutes, & Poteſtates, qui omnes deſerviunt regno Vniverſi, & juvant electos ad bellandum, & habendum victoriam de adverſarijs ſuis, quilibet ſecundùm

ſuum

ſuum gradum, vel ſecundùm opus ſibi commiſ- A ſum. Nam ordo Dominationis dictus eſt ab officio, vel ab opere, quod eſt imperare vel dominari. Nam ipſi poſt primam Hierarchiam primò ſcientes à ſuperioribus ſecreta, & judicia Dei quomodo Deus vult univerſum regi, & quomodo vult electos juvari ab Angelis, ne ſuccumbant in ſua militia, & in ſua pugna imperant alijs, ut ſic faciant, ut vult Deus. Virtutes autem habent officium ad removendum impedimenta, ne impediantur quæ Dominationes imperant. Poteſtates autem habent officium exercendi quæ Dominationes imperant. Sic etiá & alij tres ordines tertiæ Hierarchiæ, quilibet habet officium ſuum, & ſuum opus ut poteſt patere ex præcedenti capitulo. Omnes ergo Hie- B rarchiæ, & omnes Angeli, & omnes ordines pugnant pro electis, & juvant eos ad habendũ victoriam de adverſarijs ſuis.

Diſtinctio ergo Hierarchiarum vel principatuum poteſt ſumi ex modo illuminationum, quia una, & eadem Hierarchia habet aliquo modo unum, & eundem modum illuminandi: vel poteſt ſumi à modo bellandi, quia quælibet una & eadem Hierarchia pugnat pro electis uno & eodem modo, ut Hierarchia prima facit hoc revelando ſecreta Dei quomodo vult Deus univerſum regi, & quomodo vult Deus electos juvari in ſua militia, & in ſua pugna. Secunda C Hierarchia hoc facit intromittendo ſe de toto univerſo, vel imperando quæ ſienda ſunt, ut electi habeant victoriam, quod faciunt Dominationes: vel removendo impedimenta, ne impediantur imperata à Dominationibus, quod faciunt Virtutes: vel exequendo quæ ſunt imperata, quod faciunt Poteſtates. Tertia autem Hierarchia habet eundem modũ bellandi, quia totaliter intromittit ſe de partibus univerſi, & maximè circa humanum genus: partes autem univerſi quæ ſunt humanum genus, vel ſunt diverſi populi, & circa hoc ſe intromittunt Prin- D cipatus: vel ſunt ſingulares perſonæ, & circa hoc ſe intromittunt Archangeli exercendo majora, & Angeli exercendo minora, quæ omnia ſunt ordinata ad regimen univerſi, & ad juvandum electos in ſua militia, & pugna.

Oſtenſo ex iſto capitulo, & ex præcedenti, quomodo accipiendæ ſunt Hierarchiæ, ordines, & Angeli, volumus oſtendere quomodo poſt judicium ipſa remanebunt, ut ex hoc habeamus viam ad declarandum exemptionẽ non eſſe faciendam, ſed tollendam. Non poterunt autem remanere Hierarchiæ, & ordines ut ſunt quædam acies, & quidam principatus ad militandum, & pugnandum pro victoria electorũ. Remanebunt autem quinque modis: primo quantum ad majorem vel minorem plenitudinem gloriæ: ſecundo quantum ad majorem vel minorem perfectionem naturæ: tertio quantum ad majorem vel minorem nobilitatem eſſendi: quarto quantum ad majorem vel minorem perſpicacitatem intelligendi: quinto quantum ad majorem vel minorem lætitiam triumphandi. Vlterius enim poſt judicium non erit pugna, ſed erit triumphus poſt pugnam, & de pugna, quia ad hoc fiunt acies, fiunt Principatus propter electos, & propter pugnam electorum: ideò dicuntur evacuari Principatus, & Poteſtates, quia non exercebunt ulterius talia officia ad pugnandum: & ideò uſque in finem mundi dicuntur Angeli Angelis præeſſe, homines homi- B nibus, & dæmones dæmonibus, quia uſque ad illud tempus ad hujuſmodi præeſſe, & principari ordinant ſe Angeli, & homines, ut fiant victores electi, ſed dæmones ſe ordinant ut ſuccumbant homines in pugnam: evacuabuntur ergo omnia iſta quantum ad pugnam poſt judicium, ſed remanebunt in bonis quantum ad triumphum.

Erunt ergo diſtinctiones Hierarchiarum ordinum, & Angelorum omnibus præfatis quinque modis. Primo quantum ad majorem vel minorem plenitudinem gloriæ, erunt enim omnes pleni gloria, ſicut eſſent quædam vaſa alia C majora, alia minora, omnia plena aqua, quo poſito, licèt quodlibet vas eſſet cõtentum, quia quodlibet eſſet plenum: nihilominus tamen majus vas haberet majorem plenitudinem aquæ quàm minus, & plus haberet de aqua. Sic ipſæ hierarchiæ, & ipſi ordines, & Angeli ſunt quędam vaſa majora, & minora: nam prima Hierarchia habet majora vaſa, quàm ſecunda, & ſecunda quàm tertia: & primus ordo primæ Hierarchiæ habet majora vaſa, quàm ſecundus, & ſecundus, quàm tertius, & ſic de alijs ordinibus: & in eodem ordine unus Angelus eſt majus vas, quàm alius. Omnes ergo Angeli erunt contenti, quia omnes erunt pleni gloria: ſed una Hierarchia ut ſuperior habebit majorem plenitudinem glorię, & plus de gloria, quàm inferior: ſic in uno, & eodem ordine duo Angeli non erunt æquales; quia cùm omnes differant ſpecie & forma, oportet quòd unus habeat meliora naturalia quàm alius, & ſecundùm meliora naturalia unus movebitur in gloriam majorem, quàm alius. Remanebunt ergo diſtinctiones Hierarchiarum, ordinum, & Angelorum ſecundùm majorem, & minorem plenitudinem gloriæ: quia ſicut modò ante udicium non eſt dare duas hierarchias, nec duos ordines, nec duos Angelos æqualis gloriæ; ita hæc omnia remanebunt poſt judicium quãtum

ad omnia præfatā, videlicet primò quantum ad majorem, & minorem plenitudinem gloriæ, ſecundò quantum ad majorem, & minorem perfectionem naturæ, tertiò quantum ad majorem vel minorem nobilitatem eſſendi, quartò quantum ad perſpicacitatem intelligendi, quintò quantum ad lætitiam de triumpho : ulteriùs enim non erunt bellantes, ſed triumphantes : nunc autem Eccleſia non eſt triumphans ; ſed militans : ſed cœleſtes Hierarchiæ ſunt ubique triumphantes in ſe, bellantes pro nobis. Sed quando Chriſtus tradet regnum, ideſt omnes electos Deo Patri, tunc non erunt pugnantes; nec remanebunt iſta quantum ad officium bellandi, ſed quantum ad lætitiam triumphandi, & hoc ſecundùm magis, & minus : quia ſicut ſuperiores Hierarchiæ, vel ſuperiores ordines, vel ſuperiores Angeli plus habent nunc de gloria, & de alijs, & de regimine univerſi vel bello, quia plus faciunt ad regimen univerſi, & ad bellum ſuperiores Angeli, quàm inferiores : ita poſt judicium plus habebunt de lætitia triumphandi.

Concludamus ergo ex his omnibus, & dicamus, quòd cùm in cœleſtibus Hierarchiis, & ordinibus ſit tantus ordo, quòd nullus eſt ibi exemptus; ſed quilibet in ſuo ordine, & in ſuo gradu bellat, & facit ad regimen univerſi uſque ad diem judicij : & poſt diem judicij ad hoc nulla erit exemptio, ſed quilibet in ſuo ordine, & in ſuo gradu habebit plenitudinem gloriæ quantum ad Deum, & plenitudinem lætitiæ quantum ad victoriam mundi ex eo quòd meruerunt electos ad vincendum mundum : patet quòd ex ordinibus Angelorū ante judicium & poſt judicium, poteſt ſumi validum argumētum, quòd exemptio non eſt facienda, ſed cavenda, niſi fiat pro magna, & evidenti cauſa.

CAP. XX.

Quòd ſi comparemus Hierarchiam, & ordines Eccleſiaſticos ad cœleſtes, quantum ad aliquid inveniemus rationem, & cauſam, magis evitandam eſſe exemptionem in perſonis Eccleſiaſticis quàm cœleſtibus.

Dicebatur in præcedentibus quòd univerſi Angeli ſunt ordinati ſecundùm principatus, & ordines, & ſecundùm ſingulares perſonas ad bellandum pro electis: ad quod probandum rationem poſſumus ad ducere naturalem. Naturale enim debet eſſe deſiderium cujuſcumque ad pugnandum pro patria, & defendendum concives, & compatriotas ſuos : & quia homines erunt concives, & compatriotæ Angelorum, & facient unam patriam, & unam civitatem cum eis, ideò debet eſſe naturale deſiderium Angelorum ad pugnādum pro electis, tamquam pro concivibus, & compatriotis ſuis. Tamen ſi volumus conſiderare ea quæ ſunt in Eccleſia, & ea quæ ſunt in cœleſtibus, apparebit quantum ad aliquid, quòd magis repugnat exemptio in perſonis quę ſunt in Eccleſia, quàm in illis quæ ſunt in cœleſtibus.

Sed animadvertendum, quòd quilibet Angelus ſecundùm ſuum principatum quantum ad Hierarchiam in qua habet eſſe, & ſecundùm ordinem prout eſt ordinatus in ſuo principatu, & in ſua Hierarchia, & in ſuo ordine, tenet alium, & alium gradum : quia in uno, & eodē ordine quot ſunt Angeli, tot ſunt gradus Angelorum, quia nec in diverſis ordinibus nec in uno ordine eſt dare duos Angelos æquè glorioſos, vel æquè perfectos in gratia vel in gloria, nec æquè perfectos in natura, nec æquè nobiles in eſſendo, nec æquè perſpicaces in intelligendo, nec uſque in diem judicij æquè facientes ad regimē univerſi vel æquè militantes pro victoria electorum : nec poſt diem judicij habebunt æqualem lætitiam ; quia ſicut non æquè militaverunt in bellando, ſed ſicut unus ante judicium habuit meliora naturalia, & ſecundū quod plus habuit de gloria, & de gratia, plus bellavit, prout hìc de bello loquimur: ſic poſt diem judicij plus habebit de triumpho, & de lætitia triumphandi. Nulli ergo inter Angelos ſunt exempti, quia nulli ſunt in eodem ſitu dignitatis, vel in eodem gradu, ſed in cœleſtibus omnia ſunt librata, & ponderata, & ſecundùm ordinem juſtitiæ collocata.

Poſſet enim Deus omnia iſta per ſe ipſum facere, ſed vult dignitatem ſuam communicare Angelis ſuis, & vult per eos gubernare mūdum, & regere univerſum. Et quia vult dignitatem ſuam communicare Angelis ſuis, & regere mundum per eos, conſequens eſt, quòd magis digno magis communicet de hujuſmodi dignitate, & ex hoc, conſequens eſt, quòd magis dignus magis faciat ad regimen univerſi. Non eſt ergo quin Deus æquè benè, & æquè perfectè poſſet gubernare mundum ſine Angelis, ſicut mediantibus Angelis : ſed quòd gubernat ipſum per Angelos, hoc eſt, quia ſuam dignitatem vult communicare Angelis, & magis digno vult plus communicare de hujuſmodi dignitate: & ſi id quod ait Apoſtolus ad Romanos 13. *Quæ autem à Deo ſunt, ordinata ſunt*, referatur

ad

ad cœlestes mentes, tanta est ibi ordinatio ut nullus eximatur ab alio, sed quilibet secundùm suum gradum, & secundùm suum ordinem facit ad regimen universi, & ut electi victoriam habeant. Si ergo comparamus Deum regentem mundum per Angelos suos ad summum Pontificem suum Vicarium regentem Ecclesiam per personas Ecclesiasticas, dicemus, quòd Vicarius debet inquantum potest imitari eum cujus est Vicarius. Si ergo Deus regit mundum per Angelos, ut nullus supertollatur super suum gradū, & ordinem, ut nullus eximatur à suo gradu, & ordine: & sicut Deus magis digno in regimine universi, semper plus communicat de hujusmodi regimine; sic summus Pontifex debet suam Ecclesiam gubernare, ut personis existentibus in gradibus magis dignis, plus communicet de hujusmodi gubernatione, secundùm quod magis, & minus sunt assumptæ in partem solicitudinis. Et quia contrarium hujus facit exemptio, omnino concluditur, quòd non est facienda, sed cavenda.

Verùm quia in titulo capituli dicitur, quòd quantum ad aliquid invenimus rationem, & causam, magis vitandam esse exemptionem in personis Ecclesiasticis, quàm in supercœlestibus, ideò hoc volumus declarare. Advertendum autem, quòd, sicut dictum est, Deus posset sine Angelis medijs gubernare mundum, & æquè benè, & perfectè: sed non facit hoc propter indigentiam suam, sed propter abundantiam benignitatis suæ. Sed non est ita in summo Pontifice, quòd posset totum facere per se ipsum: imò si vellet hoc facere, diceretur ei, sicut dixit Iethro Moysi, *Stulto labore consumeris: & ultra vires tuas est negotium, solus illud non poteris sustinere.* Immò sine omni exemptione satis habet facere Prælatus corrigere forefacta omnium horum, qui sunt in Diœcesi, ut non vituperetur ministerium Clericorum. Et si Prælatus non potest facere: quomodo summus Pontifex absens hoc faciet: si tamen vult hoc facere, quia potest, & vult aliquos eximere, non fiet æquè benè, nec ita corrigentur exempti, non habentes Episcopum pastorem super eos vigilantem, sicut non exempti.

Exod. 18. c.

CAP. XXI.

In quo agitur quanta mala fecerit exemptio in Templarijs, quantum ad fidem.

POSTQVAM per ea, quæ sunt juris, & rationis, detestati sumus exemptionem, & ostendimus eam non debere fieri, sed factam tolli nisi pro magna, & evidenti causa:

Templarij An. Christi 1118. sub

Avolumus descendere specialiter ad ea, quæ videmus, palpamus, & tractamus: & primò ad Templarios. Quanta mala fecit exemptio in Templarijs quantum ad ea quæ sunt fidei. Nam ut habemus in articulis fidei contentis sub bulla summi Pontificis, Templarij in profundum erroris fidei proruperunt: ut ponerent os suum in cœlum, negantes Christum esse verum Deū: inducentes aliquos de novo receptos ad hoc negandum, & conspuendum in Cruce: ad negandum Christum esse verum Prophetam; & ad negandum merita passionis ejus, asserentes ipsum non fuisse passum pro redemptione nostra, sed pro suis sceleribus quæ commisit, facti autem sunt ex hujus incredulitate idolatræ, & adoratores idolorum, credentes per idola, quæ habebant, terram germinare, & fructificare, & per ea suas divitias possidere. Et non solùm idola adorabant, sed etiam diabolo sub specie Catti reverentiam exhibebant.

Gelasio 11. originem habuerunt: qui post annos ferè 200. à Clemente V. & Philipp. IV. Francorum rege, deleti fuerunt.

Quod non solùm de rebus hìc inferioribus, quæ sunt puræ creaturæ dicere habere aliquid ab eis, & eis reverentiam exhibere est cōtra rationem, sed etiam hoc credere de ipsis corporibus supercœlestibus ut de Sole, & Luna, apud Scripturam sacram, & veritatem summa iniquitas reputatur. Propter quod dicitur Iob 31. *Si vidi Solem cùm fulgeret, & Lunam incedentem clarè: & lætatum est in abscondito cor meum, & osculatus sum manum meam ore meo. Quæ est iniquitas maxima, & negatio contra Deum altissimum.* Dicemus enim quòd solus Deus dicitur verè absconditus, sicut solus verè dicitur immortalis, & invisibilis, juxta illud ad Timoth. 1. *Regi sæculorum immortali, & invisibili, soli Deo honor & gloria.* Quando ergo quis videt Solem fulgentem, & Lunam incedentem clarè, & lætatur cor ejus quasi in abscondito, credens ibi esse aliquid divinitatis, cùm solus Deus sit verè invisibilis, & absconditus, juxta illud: *Verè tu es Deus absconditus*, & volens Soli, & Lunæ facere reverentiam quasi Deo, & in signum reverentiæ osculatur manum suam, ista est iniquitas maxima, & negatio contra Deum altissimum. Sunt ergo Templarij in tantum facinus elapsi propter exemptionem. Si enim non fuissent exempti, & fuissent sub correctione Prælati sui, & fuisset revelatus Prælato suo modus professionis eorum, quem nunquam aliquis hominum scire potuit nisi esset de Ordine, qui modus nunc per Christianissimi Regis Francorum astutiam est dejectus in tantam labem incredulitatis Templarij minimè corruissent.

Iob. 31. c.

Timot. 1. d.

Isa. 45. c.

Consideret ergo summus Pontifex quot bonos Christianos amisit, qui bonæ fidei possessores intrantes ordinem Templariorum exép-


ptum, facti ſunt infideles, non credentes Sacramenta Eccleſiæ, & ſpecialiter Euchariſtiæ Sacramentum, quod eſt continentia ſanctius, intelligentia pulchrius, devotione ſuavius. Eſt enim Euchariſtiæ Sacramentum continentia ſanctius, quia in eo continetur totus Chriſtus, qui eſt Deus, & homo, de quo dicitur Danielis 9. quòd eſt Sanctus Sanctorum. Eſt etiam hoc Sacramentum intelligentia pulchrius, quia poſt illam admirabilem altitudinem Trinitatis, & poſt illam benigniſsimam miſsionem filij in carnem, ſive unionem Verbi ad carnem, quæ fuit tanta unio, quæ fecit Deum hominem, & Hominem Deũ, hoc Sacramentum inter cetera ſacraméta, & inter cetera alia, ſublimitate intelligentię nullum pulchrius eluceſcit. Eſt nihilomi nus, & tertiò devotione ſuavius: nam tota ſuavitas noſtra eſt ut incorporemur Chriſto, & fiamus membra ejus, ut ipſe ſit caput noſtrum, noſque membra ipſius: quod facit hoc Sacramentum. Et hic ſanctus cibus differt ab alijs: quia alij cibi ſunt naturę, iſte cibus ſpecialiter dictus eſt cibus devotionis. Rurſus, alij cibi convertuntur in cibatum, ſed in hoc cibo eſt ècõversò, quia cibatus cõvertitur in cibum: non enim per hunc cibum Chriſtus convertitur in nos, ſed nos cõvertimur in ipſum, & ſimus mẽbra ejus, & quod dictũ eſt, tota devotio noſtra eſt ut incorporemur Chriſto, & fiamus ejus mẽbra, ut ipſe ſit caput noſtrum, noſque membra ipſius, quod facit hoc Sacramentum, & hic ſanctus cibus.

Dan. 9. f.

Tertio differt hic cibus ab omnibus alijs cibis, & ab omnibus converſionibus, quia ſpecialiter vocatur tranſubſtantiatio. Nam in alijs converſionibus, ut cùm unum corpus convertitur in aliud, manet ſubſtantia materiæ: ut ſi ex aqua fiat aer, manente ſubſtantia materię aquæ, introducuntur in illam materiam forma aeris, & alia quæ ſunt aeris, quia nihil remanet de aqua corrupta, ut eſt corrupta: omnia enim poſt generationem aeris generati ex aqua corrupta ſunt in materia, ut ſunt aeris generati, & nihil eſt ibi, ut eſt aquæ corruptę. In converſione ergo naturali, remanente ſubſtantia, fit converſio aliorum: ſed in hac converſione glorioſa, remanentibus accidentibus, fit converſio ſubſtantiæ, quia remanentibus accidentibus panis ſola ſubſtantia panis convertitur, & ſubſtantiatur in ſubſtantiam corporis Chriſti. Ex cujus ſumptione nos convertimur in corpus Chriſti, & ſimus membra Chriſti: ſic enim ait Auguſtinus, ac ſi ſumptus Chriſtus corporaliter ab eo, loqueretur ſibi: *Non, tu me mutabis in te.* Et quia per ſumptionem hujus Sacramenti nos mutamus in Chriſtum, in quo eſt tota devotio noſtra, benè dictum eſt quòd hoc Sacramentum eſt continentia ſanctius, intelligentia pulchrius, devotio ſuavius. Et quia Ordo Templariorum propter ſuam exemptionem fugiens correctionem Ordinarij, & viſitationem ejus, lapſus eſt in tam horrendas hæreſes, ſpecialiter contra Chriſtum, & contra Sacramentum Euchariſtiæ, ex hoc debet induci ſummus Pontifex, videns tantum malum ex exemptione, quòd exemptionem non faciat, ſed factam tollat, niſi pro magna, & evidenti utilitate Eccleſiæ exemptionem concedat: & in exemptione facienda ſummus Pontifex, non laxatis fimbrijs, ſed reſtrictis, decens eſt ut procedat,

CAP. XXII.

In quo agitur quanta mala fecerit exemptio in Templarijs quantum ad ea quæ ſunt moris.



Exiſtimus quidẽ fuiſſe propoſitum coram D. N. S. Patre ſummo Pontifice, Chriſtianiſsimo Francorum Rege, & Venerabili Collegio Reverẽdorum Patrum Cardinalium, ac alijs innumerabilibus aſtantibus: Chriſtianiſsimũ Principem Francorum Regem figuratum eſſe per Angelum de quo dicitur Apocalypſ. 9. *Data eſt ei clavis putei abyſſi. Et aperuit puteum abyſſi: & aſcendit fumus putei, ſicut fumus fornacis magnæ: & obſcuratus eſt Sol, & aer de fumo putei.* Verè Ordo Templariorum erat puteus abyſſi, continens fumum obſcurum, & magnum. Qui puteus dum eſſet apertus, & revelatæ eſſent nefandæ nequitiæ Templariorum, de fumo dictarum nequitiarum eſt obſcuratus Sol fidei, & aer bonorum operum. Et tanta nequitia Templariorum eſt palam propoſita, quòd D. N. ſummus Pontifex, ut verbo dixit, & ſub bulla ſcripſit, nec poterat eam credere, nec mente conſentire, niſi eam proprijs manibus palpaſſet, & proprijs auribus audiviſſet, & hoc ſciviſſet à magna multitudine Templariorum eam aſſerentium. Et quia in præcedenti capitulo diximus de nequitijs Templariorum quantum ad ea quæ ſunt fidei, volumus in hoc cap. tractare de nequitijs eorum quantum ad ea quæ ſunt moris. Nam in hujuſmodi omnes nequitias inciderunt propter exemptionem: quia ſi Prælati potuiſſent eos viſitare, & eorum opera perquirere, in tam enormia ſcelera minimè incidiſſent.

Aſſu-

Assumemus ergo illam auctoritatem, quę habetur 1. Ioan. 2. *Quoniam omne quod est in mundo concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, & superbia vitæ.* Dicuntur autem reduci ad hæc tria omnia quæ sunt in mundo, & omnia peccata quæ dicuntur opera mundi. Nam nemo respiciens ad malum agit quod agit, ut vult Dion. in de Divinis Nomin. Omne ergo agens intendit aliquod bonum, sed non refert, secundùm Philosophum 3. de Anima, verum bonum existens sit, vel apparens. Nam non semper agens agit in bonum existens, sed aliquando in bonum apparens. Cùm ergo in rebus non reperiatur nisi triplex bonum, Delectabile, Vtile, & Honestum, oportet secundùm ista tria genera bonorum accipi omnia opera bona, & omnia mala. Nam secundùm ista tria genera bonorum nos habemus omnia bona, & omnia opera virtutum, si secundùm Deum, & secundùm rationem consurgunt: si verò non secundùm Deum, & rationem consurgunt, omnia mala, & omnia opera vitiorum. Beatus ergo Ioannes in auctoritate præfata describit ista tria genera bonorum quantum ad homines mundanos, & quantum ad homines malos, qui non secundùm Deum, & secundùm rationem se habent ad ea, dicens, quoniam omne quod est in mundo, vel est concupiscentia carnis quantum ad bonum delectabile, circa quod gulosa, & venerea sunt: vel est concupiscentia oculorum, idest bonum utile, cujusmodi sunt aurum, & argentum, & numismata, & quæcumque possunt numismate mensurari, cujusmodi sunt ædificia, agri, & omnia genera divitiarum: vel est superbia vitæ quantum ad bonum honestum, cujusmodi est præesse, præferri, & dominari. In omnibus autem his tribus se habebant Templarij omnino sceleratè, quod (rationabiliter intuentibus) ob exemptionem contingebat eis.

Habebant se omnino sceleratè quantum ad bonum delectabile, & potissimè quantum ad venerea, quia bestialitatem non reputabant peccatum, sed credebant, eis esse rem licitam. Nam Philosophus in 7. Ethic. distinguit tria genera malorum, & tria genera bonorum. Sunt enim aliqui mali quia sunt incontinentes, & aliqui pejores quia sunt intemperati, & aliqui pessimi quia sunt bestiales. Dicuntur autem illi incontinentes, qui non de facili, & non omnino voluntariè inclinantur ad malum, immò bellant contra passiones, & tentationes: sed victi tentationibus, & passionibus, & succumbentes in hujusmodi bello non continent se, sed declinant ad malum; ideò tales dicuntur incontinentes. Post ergo dicuntur esse mali, quia licèt sit difficile continere, tamen si benè voluissent bellare, & fecissent totum quod in se est, Deus juvisset eos, & malitia non superasset eos. Incontinentes ergo sunt mali, sed intemperati sunt pejores. Nam illi dicuntur intemperati, qui sunt habituati in malum, & quibus delectabile est malefacere: de quibus potest exponi illud verbum. Qui lætantur, cum malefecerint, & exultant in rebus pessimis. Isti non bellant contra passiones, & contra tentationes. Immò eligunt ire secundùm illas, & multoties displicet eis quòd non tentantur, & quòd non habent insurrectiones carnis. Sunt ergo mali incontinentes, intemperati pejores, sed bestiales sunt pessimi, ut vult Philosophus in eodem septimo. Quia illi sunt incontinentes, & intemperati, qui sunt mali modo humano, & secundùm modum hominum: sed illi sunt bestiales, qui sunt mali ultra modum hominum Inter quas bestialitates computant vitium Templariorum, quod non reputabant Templarij esse peccatum. Dicit etiam in eodem septimo; aliquos esse bestiales, narrans de quibusdam hominibus existentibus in quibusdam insulis, quòd rescindebant prægnantes, & comedebant pueros earum: narrat de quibusdam alijs existentibus circa Pontum, quòd comedebant carnes hominum: narrat de quibusdam alijs qui sacrificabant matres proprias, & sacrificabant sacrificium, & comedebant: narrat etiam de alijs, quòd præstabant sibi filios in convivio: nam si aliquis eorum volebat facere convivium, mutuò accipiebat filium ab alio. Inter has autem bestialitates connumerat commixtiones carnales masculorum: hoc autem vitium est quòd aliquis delectetur in eo quod natura abhorret. Apostolus autem has bestialitates appellat ignominias, idest innominabiles, quia non sunt dignè nominari, propter quod vocat eas passiones ignominiæ, ut patet ad Rom. 1. Templarij ergo quantum ad bonum delectabile, & quantũ ad venerea non solùm erant mali, & pejores, sed etiam pessimi, quia bestiales: & quod pejus est, non solùm erant bestiales, sed reputabant bestialitatem esse licitam. Nam ille est omnino pessimus, qui non solùm peccat, sed credit esse licitum peccatum, quia cùm aliquis malè agit, & credit se malè agere, remanet in eo quædam scintilla boni, ut possit ex hoc pœnitere, & converti: sed qui malè agit, & non credit se malè agere, in eo non est aliqua scintilla boni, & quandiu est talis, non potest converti, nec esse pœnitens. Erant ergo Templarij quantum ad bonum delectabile irrationales, & pessimi. Sic etiam quantum ad bo-

bonum utile ; quod est concupiscentia oculorum, erant irrationales, & pessimi : credebant enim per fas, & nefas bona eorum utilia crescere, & augmentare : quod si negare velint, facto docebant contrarium, quia omnes eorum vicini asserebant, & asserunt sic esse.

Tertio quantum ad bonum honorabile, quod est superbia vitæ, erant irrationales, & pessimi, quia nolebant omnibus superferri. Vnde, ut ipsimet modò confitentur, sic erant invidi, quòd non superferrebantur alijs. Sic dolebant de honore aliorum, quòd propter eorum invidiam creditur civitatem Aconensem fuisse perditam. Nam publicè fertur, vexilla Saracenorum in domo eorum primitùs fuisse visa. Et si dicat aliquis eorum Scremiæ bellasse. Dicemus, quòd facit aliqua bona quispiam, quæ cùm facit, non dicitur facere benè, quia semper ea cum intentione fallendi facit, ut Aug. ait in lib. de Trinit. Sic & Templarij faciebant bona, non tamen benè : quia non faciebant ea intentione merendi apud D. N. Jesum-Christum, sed apparendi apud homines. Credibile est enim civitatem Aconensem per eos fuisse perditam, cùm publicè diceretur eos esse amicos Saracenorum, Nam multoties Saraceni, ut à fide dignis audivimus, rogati ab eis, deferebant aliquid Christianis. Dicebant etiã Saraceni, ut audivimus, quòd Templarij erant de lege cooperta. Loquebãtur enim de Templariis modo, quo loquebantur de Saracenis suis. Nam cùm Saraceni habeant apud se homines illustres, & subtiles, quia apud eos viguit, & viget magis scientia, ut patet ex libris, quos habemus translatos ex ipsis, ideò Templarij volentes eorum imitari legem, libros Saracenorum acceperant, & in proprium idioma transtulerant. Consideret ergo D. N. summus Pontifex : quanta mala fecerit exemptio in Templarijs, propter quod non debet esse facilis ad exẽptionẽ facere, sed potiùs factã tollere.

CAP. XXIII.

In quo agitur, quanta mala fecerit exemptio in Canonicis secularibus.

POstquã determinavimus, & ostendimus D. summum Pontificem non debere exemptionem facere, sed factam tollere per ea quæ videmus accidisse in Templarijs : hoc idem volumus ostendere in Canonicis per ea quæ videAmus in Canonicis secularibus, dicentibus se esse exemptos. Possunt autem hujusmodi Canonici operari ad tria : primo ad Prælatos, à quibus se dicunt esse exemptos : secundo ad suos concives, & socios : tertio ad personas conjunctas illis. In quibus omnibus forefaciunt. Quòd si non gauderent exemptionem, punirentur à suis Prælatis, & caverent sibi manifestè delinquere. Primo, si comparemus Canonicos, dicentes esse exemptos, ad Prælatos, erigentes cervicem propter exemptionem, volunt se æquiparare eis, & dedignantur suos Prælatos, superiores vocare, sed vocant eos suos pares ; cui verbo etiam jura contradicunt. Nec est mirum si simplices Canonici hoc dicunt, quia aliquos famosos in Iure peritos audivimus sic loquentes. Et non solùm vocant se pares Prælatis, sed aliqui ex eis reputant se superiores Prælatis, asserentes se posse excommunicare ipsos. Aliqui enim in tantam vesaniam sunt elapsi, ut dicant se habere jurisdictionem in domibus Prælatorum ; dum existunt in domibus. Et dum existunt, quod pejus est, armati insurgunt contra Prælatos : & non verentur injuriari Prælatis. Quæ omnia mala ex exemptione vim sumere nullus debet dubitare. Familiares etiam Canonicorum propter exemptionem forefaciunt in familiares Prælatorum, & in ipsos Prælatos, atque hujusmodi defensionibus manutenent, & defendunt eos : & ex hoc ipsi Canonici verè forefactores esse dicuntur. Sed dices, quòd Capitulum rationabiliter, & de jure debet esse supra Prælatum : nam cùm Capitulum eligat, & faciat Prælatum ; & semper agens sit præstantius patiente, & causa sit semper excellentior suo effectu : ideo videtur Capitulum habere quamdam excellentiam super Prælatum. Ad hoc dici potest, quòd videtur Capitulum comparari ad Prælatum, sicut calor comparatur ad ignẽ, vel ad formam substantialem ignis. Nam agens calefaciendo generat ignem : priùs tamen introducitur calor in materia, quàm ibi introducatur forma ignis, vel sequatur. Dicemus etiam quòd calor imperfectus præcedit, sed perfectus sequitur, ut potest patere ex Commentatore, & communiter ex alijs Philosophis loquentibus de hoc. Agens ergo generans ignem primò introducit calorem in materia, quàm ibi introducat formam ignis. Materia ergo de qua debet fieri ignis semper calefit, & augmentatur in calore : non tamen potest esse perfecta in calore nisi per introductionem formæ ignis. Cùm ergo calor sit accidens, & semper accidens sumat originem à substantia, juxta illud quod habetur 1. Phys. Materia subje-

cta

ra cum forma eſt cauſa omnium accidentium quæ fiunt in ea. Non ergo poteſt intelligi quòd in materia ſit perfectus calor niſi in ea ſit priùs forma ſubſtantialis ignis, à qua oritur hujusmodi perfectus calor. Sic & in propoſito, capitulum ſine Prælato, & ſine capite intelligitur eſſe imperfectum, quia imperfectum eſt corpus ſine capite, & imperfectum facit ad generationem Prælati, ſicut calor imperfectus facit ad generationem ignis: & ſicut calor perfectus ſequitur generationem ignis, ſic Capitulum perfectum ſequitur perfectam generationem Prælati. Et ut iſta melius patefiant, dicemus quòd calor non generat ignem, niſi ut organum formæ ſubſtantialis ignis, ſicut cera non inducit formam artis niſi B in virtute artis, & ut eſt forma artis. Sicut ergo cera eſt quid imperfectum reſpectu formæ artis, & non introducit formam artis niſi in virtute perfecti, ideſt virtute artis: & ſicut calor eſt quid imperfectum reſpectu formæ ſubſtantialis ignis, & non facit ad generationem ignis niſi ut organum ejus, propter quod ſi calor imperfectus præcedat formam ſubſtantialem ignis, perfectus tamen ſequitur: ſic capitulum eſt imperfectum ſine opere Prælati, & generat Prælatum perfectum, ſed hoc agit in virtute Prælati ſuperioris, ad quem ſpectat confirmatio Electi. Per capitulum electus Prælatus, ſed non confirmatus, eſt adhuc imperfectus, & præceditur à capitulo imperfecto: quia C quandiu capitulum non habet Prælatum confirmatum, non habet propriè caput, & eſt imperfectum. Sed Poſtquam Prælatus eſt confirmatus de eſſe eorum caput, tunc dicitur eſſe capitulum perfectum, habens ſuum caput confirmatum, & perfectum. Et quia Prælatus priùs intelligitur eſſe confirmatus, & perfectus quàm ſit Prælatus capituli, & quàm capitulum habeat ſuum caput, & ſit perfectum, benè dictum eſt, quòd ſic capitulum imperfectum præcedit Prelatum imperfectum, Prælatus tamen perfectus præcedit capitulum perfectum, ſicut calor imperfectus præcedit ignem imperfectum. Et quantum ad hoc videtur ſe habere capitulum ut accidens, Prælatus verò ut ſubſtantia. Et ſicut accidens non poteſt agere niſi in virtute ſubſtantię, ſic videtur contra naturam quòd Capitulum agat niſi in virtute Prælati electi, & non confirmati, vel electi confirmati, & perfecti, vel Prælati ſuperioris, cujus eſt confirmare, & perficere Prælatum electum. Semper enim iſta artificialia, ut circa principium hujus libri diximus, quantum poſsibile eſt, ſunt in naturalia reducenda, cùm naturale ſit (ut jam diximus) quòd ars imitetur naturam. Capitulum ergo dicens ſe eſſe exemptum, & habere virtutem agendi à Prælato, dicit ſe eſſe imperfectum, cùm imperfectum non agat niſi in virtute perfecti: negando ergo ſe agere in virtute Prælati, fatetur ſe agere in virtute Prælati. Qui modus arguendi quòd negãdo aliquid concedamus, in notiſsimis habet locum; ſicut dicimus de loquela, quòd qui negat loquelam concedit loquelam, cùm non poſsit negare loquelam, niſi loquendo per loquelam. Cùm ergo notiſsimum ſit quòd capitulum debet agere in virtute Prælati, decet ſummum Pontificem non ſolùm capitulum non exemptum facere, & ipſum ſubtrahere à ſuo Prælato, à quo debet habere perfectionem, & B virtutem agendi: ſed factam exemptionem à capitulo tollere, niſi hoc faciat pro magna, & evidenti cauſa, ideſt pro ſtudio per quod fiunt homines ſcientes, & fides ſaluberrima defenditur ac roboratur. Sed ſi hoc volumus adaptare ad Capitula: dicemus ea non ſtudere (ut ſenſibiliter cernimus) ad fidei defenſionẽ, ſed magis ad rixas, & litigia ad Prælatorum inculcationem.

Viſo, quomodo tollenda eſt exemptio capitulorum prout comparantur ad ſuos Prelatos, volumus hoc idem oſtendere prout Canonici conſtituentes capitula comparantur ad ſuos conſocios tam clericos quàm laicos. Videmus enim eos, qui ſunt exempti à C Prælatis, quòd non timent injuriari alijs tam clericis quàm laicis. Incedunt enim armati, commovent, vadunt vagabundi de nocte, invadunt perſonas alias, ſive clericos, ſive laicos injuriantes eis, & vulnerantes ipſos, & cum armis invadentes ipſos: & quia Prælatum eorum dicunt eſſe ſummum Pontificem, ſicut animalia non timent Leonem longinquum, ſic ſummus Pontifex, quia non poteſt ſemper eſſe proximus, ab eis non timetur: & ipſi nõ timent ſententias Prælatorum niſi ſint ſubjecti eis: quia quantum ad ea quæ recipiunt à Prælatis, putà ſi fiant per Prælatos Archidiaconi, D vel recipiant ab eis aliquam dignitatem ſecundùm quam faciunt Prælatis Homagia, & permittunt eis ſe eſſe ſubjectos: hoc tamen non obſtante Prælatis non obediunt, nec eorum ſententias metuunt: & quod pejus eſt, non timent ſententias Canonum, quibus ſe eſſe ſubjectos poſſunt nullatenus dubitare. Immò cùm viſitant, quia viſitatio diſcurrendo per agrum in tranſitus non debet magna celeritate peragi, quia diuturnam notitiam res ipſæ poſtulant: ipſi tamen non verentur ſic tranſeundo de quibuſcumque maximis cauſis celeriter cognoſcere. Nam, & matrimonia ſeparant, dicente

Domi-

Domino, *Quod Deus conjunxit, homo non separet.* Debet enim judex in talibus non in transitu, & sine evidenti causæ cognitione, sed in diuturno tempore judicare. Potest enim contingere quòd matrimonium sit legitimum, & non sit ratum, cujusmodi erat matrimonium in primitiva Ecclesia inter infideles. Nam si unus cõjugum convertebatur, & alius non, si volebant habitare simul sine contumelia Creatoris: sustinebatur tale matrimonium in spe, quòd vir infidelis converteretur per mulierem fidelem, vel è converso. Sed quando alter conjugum non conversus volebat habitare cum alia, permittebatur sine contumelia Creatoris (ut dicit Apostolus 1. Corinth. 7. Si infidelis discedit, discedat) dissolvebatur matrimonium, quia & si poterat esse legitimum, non tamen erat ratum. Sed nunc inter fideles si matrimonium est legitimum, est omninò ratum, nec debet quis separare quòd Deus conjunxit: & si separantur conjuges, hoc est solùm quantum ad torũ, non quantum ad vinculũ. Propter quod dicitur prima ad Cor. 7. Qui matrimonio juncti sunt, præcipio non ego, sed Dominus, vxorem à viro non discedere: quòd si discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari. Hoc ergo solùm est videndum in matrimonio fidelium, utrùm sit legitimum: & si est legitimum, nullo modo debet nec potest dissolvi, & maximè quantum ad vinculum: propter quod magnum periculum, quod inde potest accidere, non est hujusmodi cognitio facienda in transitu, sed cum magna maturitate in diuturno tempore. Cùm ergo Archidiaconi propter exemptionem hoc faciant in transitu, & sine sufficienti deliberatione, cùm hæc tanto tempore duraverunt, & non potest latere D.N.Summum Põtificem maximè cùm ipse fuerit Prælatus in tẽpore solicitudinis assumptus, & diversa Prælationum genera expertus, nunc autem prælationis apicem adeptus, deberet exemptionem nullatenus sustinere.

Addemus autem ad aures D.N. summi Pontificis, propter talem exemptionem tollendam, & amovendam ab Archidiaconis, quòd non solùm Archidiaconi non verẽtur sententiam Canonis incurrere, nam una & eadem die visitant plures Ecclesias, sed etiam à qualibet Ecclesia visitata totam, & integram procurationem recipiunt in pecunia numerata. Quod neque ipsis Episcopis licet facere, nisi super hoc habeant licentiam specialem à Domino Papa. Diximus autem de Canonicis dicentibus se esse exemptos, quomodo se habeant ad Prælatos, & quomodo ad suos consocios sive clericos sive laicos; restat nunc ultimò declarare, quomodo se habeant ad personãs conjunctas tam clericos quàm laicos, & ad mulieres, sorores, filias, & nepotes, & alias personas eis conjunctas affinitate vel consanguinitate, vel alio modo. Nam, ut diximus, propter exemptionem non timentes Prelatum sunt noctivagi, discurrentes de nocte per villam, portantes arma, vulnerantes homines, volentes suis pravis voluptatibus obviare: frangentes ostia de nocte, & mulieres ibi existentes vi opprimentes, vel violenter inde educentes, & alia enormia facientes: quibus omnibus ad agendum exemptio tribuit incentivum. Non tamen dicimus quin multi canonicorum exemptorum sint boni, loquendo tam de canonicis simplicibus quàm de alijs in Ecclesia habentibus dignitates, quibus displicent ista mala, & fortè in cordibus suis optant, & eorum conscientia dictat, quòd non deberent esse exemptiones in Ecclesia eorum, ne canonici malefacientes, carentes capistro & freno correctionis, exinde sumerent materiam delinquendi.

CAP. XXIV.

In quo agitur quanta mala fecerit exemptio in exemptis Religiosis divitibus.

DEclaratis sceleribus, quæ provenerunt ex exemptione Tẽplariorum; & ostensis delictis, quæ ex ea provenerunt in canonicis, & capitulis exemptis: volumus declarare quot, & quanta mala religiosis exemptis divitibus ex exemptione contingunt. Primò enim vidimus Religiosos exemptos divites delinquere quantum ad respicientia religionem, & ordinem, quia non gerunt vestes suæ religioni congruas, immò etiam alij curiosiores existunt in suis vestibus quàm sæculares, alij etiam ut non cognoscantur se transferunt ad habitum penitus sæcularem. Et cùm religio à religando dicatur, quòd religiosi debent esse religati à mundanis, & solatijs, quæ consistunt in avibus, in venationibus, in mundanis strepitibus in armis: ipsi tamen non verentur ferre falcones, & alias aves venaticas, & alia animalia ad venandum: ferunt etiam gladios, & alia arma bellica, quibus (suæ religionis immemores) lædunt alios, & vulnerant: qui si inter proprios socios suæ propriæ religionis fuissent, hoc minimè attentassent. Nã in religiosis est detestabile non solùm alios lædere, sed etiam non refrenare linguam, & aliis detrahere, ac etiam diffamare, juxta illud Iaco-

bi 1. *Si quis autem putat se religiosum esse, non refrenans linguam suam, sed deducens cor suum, hujus vana est Religio.* Secundo delinquunt quantum ad Sacramenta Ecclesiastica, & quantum ad sanctas ordinationes Ecclesiæ. Delinquunt enim quantum ad matrimonium, quod est magnum Sacramentum in Ecclesia, juxta illud ad Eph. 5. Hoc Sacramentum magnum est, ego autem dico in Christo, & Ecclesia. Et dicitur aliquod sacramentũ magnum vel quãntum ad continentiam, & sic est magnum Sacramentum Eucharistia, quæ continet totum Christum unum Deum, & unum hominem. Vel dicitur magnum aliquod Sacramentum quantum ad efficaciam, & sic est magnum Sacramentum Baptismus, qui licèt directè ordinatus sit contra peccatum originale, tamen efficaciam habet contra alia peccata quæ invenit cum originali: ut si adultus baptizetur, & non accedat fictus ad baptismum, absolvitur non solùm à peccato originali, sed etiã ab omnibus peccatis, quæ commisit ante Baptismum. Potest etiam dici Sacramentum magnum quantũ ad ministerium, & sic cõfirmatio est magnũ Sacramentum, quia non potest conferri nisi per ministrum Episcopum. Et Ordo potest hoc modo dici magnum Sacramẽtum, quia non potest aliquis conferre ordines, & facere alios sacerdotes, nisi sacerdos magnus, & Episcopus. Et potest dici quarto Sacramentum magnum quantum ad significatum, & sic Matrimonium, vel Conjugium est Sacramentum magnum, quia significat, vel figurat conjunctionẽ Christi, & Ecclesiæ. Et ideò Apostolus loco præassignato ait loquens de Conjugio. Hoc est Sacramentum magnum, dico, idest expono, in Christo, & Ecclesia, & in eo quod significat, & figurat conjunctionem Christi, & Ecclesiæ. Contra hoc autem magnum Sacramentum Religiosi exempti divites non verentur delinquere, qui contra mandatum Ecclesiæ matrimonia clandestina celebrant, in quorum celebratione est magnum periculum. Et proinde semper debent fieri palàm, ne contrahentes habentes aliquod impedimentum, contrahant matrimonia illicita. Et non solùm faciunt contra matrimoniũ quod est Sacramentum Ecclesiæ, sed etiam contra statuta, & ordinationes Ecclesiæ, cujusmodi sunt, non recipere excommunicatos in cœmeterio benedicto, quia cum quibus non communicamus vivis, non debemus communicare mortuis. Ipsi autem contrarium facientes, cœmeterium pollunt, & tamquam conscientiam non habentes, nulla est in eis censura. Tertio non currant inferre tan Prælatis quàm alijs A injurias. Vidimus enim tempore nostro quẽdam religiosum exemptum invadere hospitium Prælati, & cum ense evaginato interfregisse portas hospitij Prælati: ex qua fractione, plures de familia Prælati erant mortaliter vulnerati, & unus morte extinctus: & viam universæ carnis ingressus, nec tamen fuit propter hoc sufficienter à suo Abbate correctus. Quod etiam faciunt in alijs divites religiosi exempti: quomodo usurpant jura aliorum? Quomodo per potentiam divitiarum opprimunt alios? Quomodo sunt vagabundi de nocte? Quomodo inhonestè vivunt? Quomodo quas non possunt ad inhonestatem notoriè declinare, vi opprimunt? Quæ omnia narrare longum esset: B sed hæc omnia breviter constringentes, dicamus in eis implerum esse vaticinium Iæremiæ 24. Video ficus bonas, bonas valdè) & sunt hi qui in religione manserunt, & profecerunt (& malas ficus, malas valdè) & sunt illi exempti, qui à religione defecerunt. Religiosi ergo divites exempti communiter non curant de studio, ut testatur Hieronymus. *Si enim litteris operam darent, carnis vitia non amarent.* Non laborantes ergo ad habendum victum & vestitum, quia sunt divites, non diligunt studium litterarum, credentes ex suis divitijs sufficientiam habere. Et quia animus hominis nescit otiosus esse, cogitant alias vanitates, & fiunt incontinentes, correctionem sui Episcopi non metuentes. Dictat ergo ratio, quòd C summus Pontifex exemptionem non faciat, sed factam tollat. Sed dices, quòd D. summus Pontifex potest omnia facere. Cui dicto non contradicimus. Habet enim summus Pontifex, quãtum ad ea quæ sunt de jure positivo, plenitudinem potestatis, non autem habet hanc potestatem in naturalibus, & in his quæ sunt de jure naturali: sed solus Deus, cujus summus Pontifex est Vicarius habet plenitudinem potestatis, & in naturalibus, & in his quæ sunt de jure naturali: potest enim calefacere sine igne, & quòd existens in igne non calefiat, non D obstante quòd ignis naturaliter calefaciat: potest etiam in his quæ sunt de jure naturali dispensare, & ea facienda percipere, ut si est contra jus naturale innocentem occidere, ipse tamen præcepit hoc fieri, cùm mandavit Abrahæ immolare filium: & si est contra jus naturale furari aliena, & ea invito domino pertractare, hoc tamen præcepit, cùm mandavit Hebræis, quòd acciperent ab Ægyptijs mutuò vasa aurea, & argentea, quæ securè detulerunt: & si est contra jus fornicari, ipse tamen hoc præcepit Oseæ, quòd acciperet sibi uxorem fornicariam, & faceret filios fornicationum. Po-

teſt enim hoc licitè imperare Deus, ut non peccet, hoc adimplens: nam ratio peccati in eo eſt, quòd quis deordinatur à Deo. Sicut ergo in naturalibus poteſt remanere ordo ad Deum, non remanente ordine ad creaturam, quod fieret, ſi Deus aliqué calefaceret ſine igne, ſi aliquo calefactibili exiſtente in igne non mitteret calefieri ab igne: ſic etiam in mobus exiſtentibus de jure naturali, poteſt remere ordo ad Deum, ſublato ordine ad proum: ſed quia Deus poteſt tollere ordinem roximi, remanente ordine ad ſeipſum, poſita ptæcipere fieri ſine peccato. Concluda, ergo, & dicamus quòd ſicut Deus poteſt mpeſarein his quæ ſunt de jure naturali, & poteſt facere contra curſum rerum naturalium, hoc tamen rarò facit, & proevidenti utilitate Eccleſiæ, & fidei facit: ſic ſummus Pontifex faciens contra ea quæ ſunt de jure poſitivo, cujusmodi eſt exemptio. Ideò communiter loquendo non debet exemptionem facere, ſed factã tollere, niſi eam faciat pro magna, & evidenti utilitate Eccleſiæ. Rurſus, ſi faciat talem exemptionem, quantum ad aliqua capita religionum divitum, vel quòd totam unam religioné non deditam ſtudio, vel deditam ſecundùm aliquam modicam partem faciat exemptam, ex qua exemptione videmus tot mala originem ſumere, credimus quòd non deceat, vel expediat facere, cùm ſecundùm ſententiam Apoſtoli, Omnia quæ licent, non expediunt.

A

B

CAP. XXV.

In quo oſtenditur quòd exemptio ſecundùm ſui ſignificatum non eſt facienda ſed tollenda.



Iam autè conſideramus quid ſignificat nomen exẽptionis, declarare poterimus exemptionem non eſſe faciendam, ſed tollendam. Hoc enim ſignificat exẽptio, quòd aliqui eximantur à ſuo Ordinario, ſed non poſſunt eximi à ſuo ordinario, niſi eximantur à ſuo ordine Eccleſiaſtico, quem debent habere in Dei Eccleſia. Cùm ergo dicat Apoſtolus 1. Cor. 14. *Omnia autem honeſtè, & cum ordine fiant in vobis*: exemptio autem non fit honeſtate: nam hoc eſt honeſtum, in quo ſervatur ordinarius ſtatus: ſed in exemptione non ſervatur ordinarius ſtatus Epiſcoporum, vel Pontificum, qui ſunt ſuper alios in his quæ ſunt ad Deum, ut habetur ad Hebræos: 5. Sunt ergo Pontifices, vel Epiſcopi medij inter ſummum Pontificem, & alios homines, in his quæ ſunt ad Deum, ideſt in ſpiritualibus. Quòd ergo aliqui eximantur à ſuis Ordinarijs, non ſervatur ibi honeſtas, ideſt ordinarius ſtatus quantum ad Prælatos: nec ſervatur ibi debitus ordo, ideſt debita Ordinatio quantum ad ſubditos. Nam cùm ſubditi ſint inferiores ſuis Pontificibus, & Pontifices ſint medij inter eos, & ſummum Pontificem, non ſervatur debitus ordo, ſi eximuntur à proprio Prelato, cùm ſecundùm Dionyſ. ſemper debitus ordo requirat, quòd inferiora ſint reducenda in ſuperiora per media, quia (ut ait 7. de Divin.) Ipſa Divina ſubſtantia eſt omnium effectiva, & ſemper omnia concordans, & indiſſolubilis omnium concordationis, & ordinis cauſa, & ſemper fines priorum conjungens principijs ſecundorum, & unam omnium conſpirationem, & armoniam pulchrè operans. In hoc ergo ſtat armonia, ordo, & conſonantia totius Vniverſi, quòd fines priorum debent conjungi principijs ſecundorum. Priora ergo ſunt ſumma, ſecunda ſunt media, tertia ſunt inferiora, & infima. Summus ergo Pontifex eſt omnino prior, ipſi Pontifices ſunt ſecundi, alij autem tertij ſunt inferiores, & infimi. Ergo infima priorum, ideſt infima ſummi Pontificis debent attingere principia ſecundorum, ideſt ſuprema aliorum Prælatorum, (ut verificetur de Vicarijs Chriſti, ſpiritualiter loquendo, quod verificatur de Chriſto ſimpliciter, & totaliter. *Omnia ſubjeciſti ſub pedibus ejus*:) & ſicut ſuprema Prælatorũ attingunt infima ſummi Pontificis, ſic ſuprema aliorum debent attingere infima Prælatorum, ideſt Epiſcoporum. Qui univerſalis ordo quia per exemptionem tollitur, & confunditur tantum quantum ſe extendit exemptio, ideo benè dictum eſt quod in rubrica capituli dicebatur, quòd ex ipſo ſignificato nominis exemptionis ſufficienter declarari poteſt exemptionem non eſſe faciendam, ſed tollendam, cùm tollat honeſtum, ideſt honeſtum ſtatum à Prælatis, & debitum ordinem à ſubditis, dicente Apoſtolo, Omnia in nobis honeſtate, & ſecundùm ordinem facienda. Sed dices: Hoc contrariari ſuperioribus dictis. Dicebatur enim ſuprà, poſſe contingere, & etiam ſic eſſe, quòd capitulum imperfectum præcedit Prælatum imperfectum, cùm electio Prælati per capitulum communiter fiat: ſed Prælatus perfectus per ſuperiorem confirmatus præcedit capitulum perfectum, quia non eſt capitulum perfectum ſi non habet caput, & non habe

Pſal. 8.

1. Cor. 14.

capu

caput antèquam ſit ſuus Prælatus confirmatus: propter quod priùs intelligitur Prælatus eſſe confirmatus, & perfectus, quàm capitulum habeat caput, & ſit perfectum. Quæ omnia ſi volumus adaptare ad ſummum Pontificem, cùm ipſe non confirmetur per aliquem alium, videtur quòd ſemper remaneat ut electus, & ut imperfectus, cùm in qualibet Prælatura videatur perfectio ſummi. Ad quod dici poteſt, quòd ſemper univerſalia ut univerſalia ſuperioribus carent. Nam ignis elementum continentia, quantum ad alia elementa, eſt quid univerſale, quia univerſaliter continet alia elementa: ſed non quid univerſale ſecundùm continentiam quantum ad alia corpora, quia non continet omnia alia corpora: igitur ſicut habet univerſalitatem, ſic habet ſuperioritatem: eſt ignis ſupremus inter omnia elementa, non autem inter omnia corpora: ſed cœlum, quod eſt ſupremum inter alia corpora ſecundū quod hujuſmodi non habet aliud ſuperius corpus: ideo ait Philoſoph. quòd Terra eſt in aqua, aqua in aere, aer autem in igne, ignis in cœlo, cœlum autem non amplius in alio. Eo ergo ipſo quòd aliquis eligitur ſummus Pontifex, quia non habet aliquem hominem purum ſuperiorem, non indiget alia confirmatione, cùm ſit ſupremus inter homines hìc viventes, ſed ipſa electio, eſt ipſa confirmatio: ſicut videmus in agentibus materialibus quòd agens, vel generans quantum dat paſſo, vel generato de forma, tantum dat ſibi de loco, tantum dat ſibi de præſidentia, & influctia: quia ſæpe ſuperiora ſitu, & loco præſident inferioribus, & influūt in inferiora, vel per ea fit influentia in inferiora. Cùm ergo ſummus Pontifex quantum ad regimen Eccleſiæ accipiat in ſe omnem formalitatem, & omnem dignitatem, & ſit adeptus omnem apicem Eccleſiæ, inferiora indigent confirmatione, & ſtabilitate, ſummus verò Pontifex non indiget confirmatione, ſed ipſa electio eſt ipſa confirmatio, & ſtabilitas. Propter quod ſummus Pontifex, eo modo, quo eſt omnino ſupremus, non indiget confirmatione, & ſtabilitate ab alio; ſed eo modo quo non eſt omnino ſupremus, poteſt his indigere. Patefactū enim fuit ſuprà, quòd quantum ad ea quæ ſunt jurisdictionis, Papa eſt omninò ſupremus: propter quod poſt electionem ejus, nullus poteſt aliquam jurisdictionem influere, vel jurisdictione eum confirmare, vel ſtabilem facere; ſed quantum ad jurisdictionem ipſa electio eſt confirmatio: in ipſa enim electione datur ſibi tantum de formaliter, & de dignitate, & de jurisdictione, quantum poteſt habere, ut quantum ad hoc non indigeant homines hìc viventes ſuperiori agente, vel confirmante. Habet ergo Papa ex ſola electione omnem apicem Eccleſiæ quantum ad ea quæ ſunt jurisdictionis, non quantum ad ea quæ ſunt ordinis. Propter quod ſi eligeretur Papa non Presbyter oporteret quòd fieret ſacerdos ad hoc, quòd poſſet conficere corpus Chriſti: & ſi eligeretur Papa non Epiſcopus, oporteret quòd fieret Epiſcopus ad hoc quod poſſet ordinare, & facere alios ſacerdotes, Si enim eligatur in Papam aliquis non Epiſcopus, non erit ſacerdos magnus quantum ad ea quæ ſunt ordinis, quia non habebit in ſe perfectionem characteris ſacerdotalis: erit tamen magnus, & maximus quantum ad ea que ſunt jurisdictionis. Sicut etiam propoſitum confitendi, & contritio facit nos impares, ſecundùm ſanctos Doctores, in remiſsione peccatorum, licèt abſolvi ab alio ſacerdote omnes teneantur: oportet tamé quòd ſe ſubjiciat alij ſacerdoti, ut abſolutionis beneficium conſequatur, cùm nullus ſit ab illa ſententia exemptus. *Ite, oſtendite vos ſacerdotibus: Et dixi, Confitebor, & tu remiſiſti.* In ſolo enim propoſito confitendi, ſi ſit tantum propoſitum quod ſufficiat, remittuntur peccata: aliter non eſſet verum, vt dum irent, ideſt antequam oſtenderent ſe ſacerdotibus, mundati ſunt. Tamen ex hoc non poteſt argui, quòd ſimpliciter ſufficiat propoſitum confitendi, vel contritio ſine confeſsione: quia ſi adſit locus, & opportunitas confitendi, & præſentia debiti ſacerdotis, ſi non confitentur, reputatur fictus, vel contritio, vel propoſitum confitendi apud Deum reputatur fictum.

His itaque peractis, dicamus, ut dictum eſt quòd quantum ad puros homines, Papæ electio eſt confirmatio: nec tamen propter hoc excludimus Divinam operationem, vel Chriſti, qui eſt unus Deus, & verus homo hujuſmodi electionem confirmans. Nam coadjutores ſumus Dei, & omnia opera noſtra operatus eſt Dominus Chriſtus: qui ea conſummat, & perficit, ipſo dicente, *Sine me nihil poteſtis facere.* Ipſam ergo electionem ſummi Pontificis operatus eſt Dominus, & dictam electionem conſummat, & perficit Chriſtus: & fortè ad hoc inſinuandum dixit Chriſtus Petro Lucæ: 22. *Ego autem oravi pro te ut non deficiat fides tua: & tu aliquando converſus confirma fratres tuos.* Ex quibus verbis manifeſtè colligitur, quòd ex oratione Chriſti, non defecit fides Petri, ſed fuit confirmatus in fide Petrus per Chriſtum. Quæ confirmatio poteſt referri ad omnes ſucceſſores Petri, ut intelliguntur confirmari deficientes in fide, quæ eſt fundamentum: & in jurisdictione, quæ eſt ædificium ſuperædificatum

tum ſuper fundamentum fidei. Igitur Petrus, & quilibet ſucceſſor Petri non eſt per aliquem purum hominem, ſed per Chriſtum confirmatus. Quod verò ſequitur, *Et tu aliquando converſus confirma fratres tuos*) vox Chriſti eſt ad Petrum, & ad ſuos ſucceſſores dicentis: Tu Petre, & quilibet ſucceſſor tuus per me confirmatus es; ſed tu, & quilibet ſucceſſor tuus confirma fratres, Prælatos per te, vel ſub te electos. Et ſignanter hìc loquitur Chriſtus de fide, quia quantum ad alias quæſtiones, & executiones aliquando committi poſſunt ſine revocatione, & fortè cum quæſtione: quia ſi eſſet Archidiaconus in Eccleſia Dei, ad eum ſpectaret cuſtodia, & executio temporalium: & ſi eſſet Cancellarius in Eccleſia Dei, ad eum B ſpectaret beneficiorum determinatio, vel diffinitio placitorum, vel quæſtionum, ita quòd Papa non intromitteret ſe niſi de fide. Et ideò quia hujuſmodi quæſtio (ideſt de fide per antonomaſiam) ſpectat ad ſummum Pontificem. Chriſtus igitur loquendo Principi Apoſtolorum ſpecialiter facit mentionem de fide, dicens, *Ne deficiat fides tua.* Cõfirmatio ergo ſummi Põtificis non refertur ad purum hominem, ſed in Chriſtum: confirmatio autem aliorũ Prælatorũ, & etiam omnium fidelium, referenda eſt in Petrum, vel in ſucceſſores Petri mediatè, vel immediatè: quia ſummus Pontifex aliquos ut ſuperiores Prælatos confirmat immediatè, inferiores non confirmat immediatè, ſed per ſuperiores: aliquos etiam non ſuperiores confirmat immediatè. Et quamvis non poſſet ſine aliqua moderatione, quia ſemper exemptio aliquam inordinationem facit, ſi tamen quia in his quæ ſunt de jure poſitivo poteſt remanere ordo ad ſummum Pontificem, ſublato ordine alio, ſicut in naturalibus, & in his quæ ſunt de jure naturali poteſt remanere ordo ad Deum, ſublato ordine alio: ſed ut ſæpe ſępius diximus, Deus qui poteſt in naturalibus omnia facere immediatè, & æquè benè, tamen non vult, ſed ſuã vult communicare creaturis dignitatem: & ſic adminiſtrat res, ut eas proprios curſus agere ſinat, ut in capite hujus libri per Auguſtinum oſtenſum eſt. Summus tamen pontifex habens plenitudinem poteſtatis in poſitivis, ſic debet adminiſtrare res, ideſt perſonas Eccleſiaſticas, ut eas proprias cauſas adminiſtrare ſinat. Et cùm non æquè benè, nec æquè diligenter poſſit fieri executio horum quæ ſpectant ad Eccleſiam (quam turbat exemptio) per unum ſingularem hominem quantumcumque bonum, ſicut fit per plures bonos: ideò exemptio, niſi pro magna cauſa, non eſt permittenda.

Ad hanc veritatem probandam, quòd A electio ſummi Pontificis reducitur in Deum, vel in Chriſtum, poſſumus adducere verba quæ habentur Matth. 16. *Ego dico tibi, quòd tu es Petrus, & ſuper hanc &c.* & ſequitur. *Tibi dabo claves regni cœlorum. Et quodcũque ligaveris ſuper terrã &c.* Petro ergo, & ſuis ſucceſſoribus dictũ eſt ſignãter, & ſpecialiter, Tu es Petrus: & tibi dabo claves: quia electio ſummi Pontificis eſt exemptæ actionis, & non habet alium confirmatorem niſi Deum. Sed ad alios Apoſtolos in ligatione, & abſolutione peccatorum locutus eſt generaliter, ut habetur Ioan. 20. quando poſt reſurrectionẽ inſuflavit in diſcipulos ſuos, & dixit eis: *Accipite Spiritum ſanctum: & quorum remiſeritis peccata &c.* Vt det nobis intelligere, quòd confirmatio aliorũ Prælatorum currit communiter, & fit confirmatio eorum ab homine puro; ſed confirmatio ſummi Pontificis habet ſingulare medium, & non fit ab alio qui ſit purus homo, ſed fit à Deo, vel Chriſto, qui eſt Deus, & homo: immò ſi conſideramus verba Evangelij, & maximè poſt reſurrectionem Chriſti, quia ex tunc Chriſtus per modicum tempus converſatus eſt cum eis, ideſt cum Petro, & diſcipulis, videlicet uſque ad aſcenſionem: & ex tunc remanſit Eccleſia ſub Petro, ideſt ſub Vicario Chriſti, ideò Evangelium loquitur de Petro ſignanter per comparationem ad alios Apoſtolos, juxta illud Marci ultimo. Ite, dicite C diſcipulis ejus, & Petro, quia præcedet vos &c. Sic etiam Lucæ ultimo, illis duobus diſcipulis euntibus apparuit Jeſus in via, à quibus cognitus eſt per fractionem panis: ipſi verò redeuntes in Jeruſalem, invenerunt congregatos undecim diſcipulos dicentes: Surrexit Dominus verè, & apparuit Simoni. Quòd ergo Evangelium ſingulariter loquitur de Petro, Gregorius, & Hieronymus dicunt hoc factum eſſe, ne deſperaret, quia negaverat ipſum. Poſſumus tamen dicere quòd Angelus apparens mulieribus locutus eſt ſpecialiter de Petro propter duo, videlicet ne deſperaret, ut dicunt Gregorius, D & Hieronymus: & etiam quia ſpecialiter confeſſus eſt Chriſtum eſſe Filium Dei vivi: & Chriſtus ſpecialiter reſpondit, Tu es Petrus, & dabo tibi claves &c. Nam ex hoc factus eſt Petrus Princeps Apoſtolorum, & ex hoc traditæ ſunt ei claves regni cœlorum, ut ex hoc intelligeremus, quòd principatus Petri, & ſucceſſorum ejus non currit communiter cum alijs, ſed eſt exemptæ actionis, immò ſicut Petrus primò confeſſus eſt Chriſtum eſſe Filium Dei, ita primus inter omnes alios viros poſt reſurrectionem meruit videre Chriſtum. Propter quod ſuper illo verbo jam allegato, Surre-

xit

xit Dominus verè, & apparuit Simoni, ait: Beda. *Omnium virorum primò Dominus intelligitur apparuisse Petro, quia omnino credendum est primò apparuisse Matri, non ut dubitantem certificaret, quia universas hæreses interemit in universo mundo, quoniam, Christo moriente, in ipsa sola remansit fides, non credentibus immò dubitantibus ceteris. Deus ergo apparuit ei ut tristem lætificaret, ut apparuit fortè mulieribus alijs. Seu inter viros primò Petro.* Quæ omnia indicant principatum Petri, & successorum ejus esse actionis exemptę.

CAP. XXVI. ET VLTIMVM.

In quo ostenditur quòd exempti sunt quædam turpis pars Ecclesiæ, & adducuntur dicta Decreti contra exemptos.



Voniam pulchritudo partis magis est in ordine ad totum, quàm sit in se ipsa, non immeritò Aug. in Enchir. c. 10. ait, quòd Singula creata bona sunt. Simul autem ut universa valdè bona: quia ex omnibus consistit vniversitas, admirabilis pulchritudo. Et quia pars ex toto, & ex ordine ad totum habet quandam pulchritudinem, ideò benè dictum est quòd ait August. 3. Confess. *Turpis est omnis pars universo suo non congruens.* Quòd si volumus ad hanc materiam verba Philosophi adducere, dicemus, quòd cùm homo sit medius inter Angelos, & bestias, non potest nisi triplici modo vivere, quia vel vivit ut Angelus, vel vivit ut homo, vel vivit ut bestia; si vivit ut Angelus, vivit vita contemplativa; si ut homo, vivit vita politica; si ut bestia, vita voluptuosa. De qua triplici vita, contemplativa, politica, & voluptuosa, agitur primo Ethic. Cap. 7.

Vita politica, idest socialis, vel civilis competit homini in eo quod homo, ut planè habetur ex 1. Politic. Cap. 2. Est enim homo naturaliter animal civile, vel sociale, propter quod ei secundùm quod homo competit vita socialis & civilis. Qui ergo nolunt alijs communicare, & volunt esse exempti, nolunt vivere vita civili, & nolunt annumerari cum alijs; & si sunt pars Ecclesiæ, non sunt pars conveniens suo toti, vel suo universo. Et quia turpis est pars, quæ suo non congruit universo, si tales exempti dicantur pars Ecclesiæ, hoc non erit propriè, & absolutè, sed cum hac additione, A quòd sunt pars turpis, quia propter exemptionem talis pars suo non convenit universo, quia non tenent modum, & ordinem competentem suæ universali Ecclesiæ secundùm quę inferiora semper reducuntur in superiora per media, & semper alij à Pontificibus reducuntur in summum Pontificem per Pontifices medios. Quilibet ergo talis homo exemptus non vivit ut homo, quia non vivit vita sociali, ut socialis est; nec reducitur in summum Pontificem per pontificem medium. Et quia non vivit ut homo, & non reducitur ut civis istius civitatis, quæ est Ecclesia, consequens est, quòd vel vivat ut Angelus, si vivit contemplativa vita; vel vivat ut bestia, quia vivit vita B voluptuosa. De talibus enim loquens Philosophus in 1. Politicorum ait: Quòd non indigens alio, sed per se sufficiens non est pars civitatis, quare aut bestia, aut Deus. Quia vel est pejor homine, & est bestia; vel est Angelus qui est melior homine, & tunc Deus, idest divinus, vel Angelicus. Omnis ergo exemptus, vel est exemptus, & augetur, si det se contemplationi, & studio; vel est bestialis, si det se voluptatibus: quod satis experimento cognoscitur, si dicta in præcedentibus capitulis diligentiùs intueantur. Facere ergo exemptos non deditos studio, est facere quamdam turpem partem in Ecclesia.

His itaque peractis, quia vidimus Apo- C stolum ad suum propositum assumere similia verba Poetarum, cùm ait: *Corrumpunt bonos mores colloquia mala*, & Augustinus, *Trahit unumquemque concupiscentia sua*: Adducemus etiam nos in hoc capitulo, quæ accepimus à Iuristis. Nam in prima parte 3. dist. ca. Nulla ratione, dicitur: *Nulla ratione clerici aut sacerdotes habendi sunt, qui sub nullius Episcopi disciplina, & providentia gubernantur: tales enim acephalos, idest sine capite prisca consuetudo nuncupavit.* Item: *Qui suis Episcopis non obediunt, indubitanter reprobi, & rei existunt. Porrò ipsi à Deo donum summi muneris consequuntur, qui* D *suis doctoribus libenter obediunt.* Item: *Ille pro culdubio scandalizatur in Deum, qui rectè non docet, & qui ejus scandalizat sacerdotem, vel Episcopum.* Ex prima ergo clausula horum dictorũ, quòd non sunt habendi clerici, nec sacerdotes, qui non sunt sub Episcopis, arguitur, exemptos delinquere quantum ad statum viæ. Ex secunda clausula habetur, quòd exempti delinquendo quantum ad ea quæ sunt viæ, non consequuntur à Deo donum summi muneris, idest ea quæ sunt patriæ. Ex tertia verò clausula quòd ille scandalizat Episcopum, vel sacerdotem, latenter datur intelligi, qualiter de-

1. *Corinth.* 15. d. & *sunt verba Menandri.*

Cavè nè existimes Æg. tenere illos esse acephalos quos Papa ob urgentissimas causas suæ immediate suddit potestati.

beat

beat fieri exemptio: quia ſi quantum ad eos qui rectè docentur, & qui dantur ſe ſtudio, tolleratur exemptio, quantum verò ad eos qui non dant ſe ſtudio, quia neſciens animus hominis eſſe ocioſus dat ſe voluptatibus, & ex hoc ſcandalizat ejus Epiſcopum, vel ſacerdotem, nullatenus tolleranda. His itaque excurſis, dicemus, quòd ſicut jura Decretorū redarguunt volentes eſſe exemptos; ſic eadem jura docent Epiſcopos, quomodo ſe habere debeant ad exemptos. Nam cau. 18. q. 2. cap. Abbatibus, dicitur: *Abbatibus, qui neque ſub Epiſcopo, neque ſub Metropolitano, neque ſub Primate, neque ſub Patriarcha ſunt, nullus prorſus Epiſcoporum Epiſcopalia quælibet adminiſtret*: Cùm enim ſe nulli Epiſcopo omnino ſubeſſe profiteantur, conſequens eſt ut nullus Epiſcoporum quæ ſua ſunt eis tamquam extraneis largiatur. Signanter autem narrantur gradus exiſtentes infra ſummum Pontificem, quia à ſummo Pontifice nullus ſpecialiter eximi poteſt. Nam nec ipſe ſummus Pontifex hoc facere poſſet, ſicut nec etiam Deus poſſet aliquam naturam creatam à ſe eximere. Et in hoc terminatur hoc opus, vel hic liber, quem intitulari voluimus contra exemptionem; & exinde ſit laus Domino noſtro Jeſu-Chriſto, per quem omnia fiunt, & bona cuncta procedunt, qui cum Patre, & Spiritu ſancto vivit benedictus Deus in ſecula ſeculorum, Amen.



INDEX

RERUM AC VERBORUM INSIGNIUM QUÆ IN HIS A DE RENUNCIATIONE PAPÆ OPUSCULIS CONTINENTUR.

Primus numerus paginam, ſecundus columnam indicat.

Absolvi à peccato ſeu culpa quid ſit, de R.P.48.1.b.

Absolvimur à debito habendi originalem juſtitiam in Baptiſmo. 69. 2. a. & 70. 1. a.

Adam non fuit conditus in Paradiſo, ſed poſitus, & cur. 41. 2. d.

Adã habuit donũ gratiæ gratis datæ. 39. 2. b.

Adam per originalem juſtitiam habuit quòd poſſet ſtare, non proficere. 70. 1. b.

Adam & Eva ſi non peccaſſent, formaliter, & materialiter incorruptibiles permanſiſſent. 38. 1. d.

Adam ut perſona infecit naturam: in nobis natura infecta infecit perſonam. 4. 2. b.

Adam ante & poſt peccatum fuit agricola. 38. 2. c.

Advocatus Chriſtus. 57. 1. a.

Ægid. compoſuit quæſtiones de Reſurrectione mortuorum ante tract. de Peccato originali 67. 2. a.

Ægidius ſcripſerat ſup. ſecundũ Sent. antequã ederet librum contra Exemptos. 95. 1. d.

Ægidius edidit libellum contra Exemptos, ante tract. de Divina influentia in Beatos. 6. 2. d.

Agentia alia à Deo non durant nec conſervãtur in eſſe ſine operatione Dei. 28. 2. b.

Agens, & patiens ſemper communicant in materia, ſi realis eſt actio. 50. 2. a.

Alimentum non tranſit in veritatem humanæ naturæ juxta opinionem Magiſtri ſententi. 67. 1. d.

Amor Divinus, quæ & quot bona in nobis facit. 23. 2. a.

Amor quicumque unitiva virtus eſt. 57. 2. d.

Angelorũ ſpecies tot ſunt quot Angeli. 107. 2. a.

In Angelis triplex diſtinctio, Hierarchiarum, Ordinum, & Perſonarum. 106. 2. c.

Angelorum Hierarchiæ quomodo diſtinguãtur, 108. 1. b. c. & inde.

Angelorum inferiorum utrùm quilibet recipiat aliquam influentiam ſpecialem à Deo, preter influentiam, quam recipit mediantibus ſuperioribus Angelis. 6. 1. b.

Angeli magis cognoſcuntur à Deo, quàm cognoſcant ſe. 24. 2. a.

Angeli dicuntur proprias ignorare virtutes, & cur. 24. 2. a.

Angelus nullus de ſuperiori Hierarchia mittitur ad hæc exteriora. 5. 2. b.

Angelorum duplex miſsio, ad exteriora, & interiora. 5. 2. a.

Angeli quomodo moventur per loca. 51. 1. c.

Angeli fuerunt beati, quamvis Chriſti humanitatem non viderint. 5. 1. b.

Angeli ante Chriſti incarnationem ſe adorari ab hominibus permittebant, poſt verò incarnationem numquam eſt permiſſum, & cur. 71. 1. b.

Angelo vel animę ſolus Deus illabitur. 2. 1 b.

Angelorum Hierarchiæ ordinatæ ſunt in ſalutem electorum. 95. 2. a.

Angeli dicuntur noſtri proximi & cur. 22. 1. c.

Angeli inter ſe quandoque habent pugnam, & unus reſiſtit alteri propter bonũ electorum, 112. 1. c. d.

Angelorum prælationes, dæmonum, & hominum quæ nunc ſunt ordinatæ ad regimen electorum, omnes in fine mundi ceſſabunt. 109. 2. a. & 112. 1. b.

Angelorum ordines remanebunt poſt finem mundi; ſed non ad uſum quem nunc habent. 109. 2. a. & 113. 2. b.

Angelorum Hierarchiæ quomodo poſt judicium remanebunt. 113. 2. a.

Anima poſt reſurrectionem cur non poterit ſeparari à corpore. de Ren. Pap. 19. 2. c.

In anima ſeparata remanet Character quantum ad decorem, & gloriam. R.P. 38. 1. a.

Anima naſcitur ſecundùm ſapientes Philoſophos in horizonte æternitatis. 93. 2. d.

Anima utrum debeat infundi corpori maculato? 70. 2. b. & 71. 2. d.

Anima quomodo inficiatur à carne infecta, 66. 1. c. & 2. c.

Animarum decedentium quadruplex locus, & cur. 53. 1. d. & inde

Anima ſancta non fertur ad corporalia, nec ad ſimilitudinem corporum, ſed ad aliquod excellentius. 52. 2. a.

Animæ deſcedentes in gratia, ſi non habent aliquid ad purgandum, ſtatim evolant ad cœlum. 53.2.c.
Animæ ſeparatæ & dæmones poſſunt verè pati ab igne inferni. 48.2.b.c,& inde
Anima damnata, aut dæmon non eſt neceſsè ut ſemper ſit conjuncta igni. 51.2.d.
In animabus damnatis, & dæmonibus intellectus ſungitur vice ſenſus, & cur. 49. 2. d. & inde.
Anima in inferno dupliciter dolet. 52. 1. a.
Anima plus dolebit, & cruciabitur ab igne ſine comparatione, quàm doleat nunc caro ab igne afflicta. 49.2.a.& 50.2.b.
Animatarum rerum diviſio. 91.1.b.
Arca Noe multis modis Eccleſiam repreſentat. 95.1.c.& 97. 2. a.
Arcæ Noe deſcripſio. 98.1.a.b.
Archiepiſcopi poteſtas, & officium. de Ren. Pap. 32.2.b.
Archidiaconi officium in Eccleſia Dei. 124. 1. a.
Ariſtotelis error in Ethicis. 61.1.a.
Articuli fidei quatuordecim. 12.2.c.
Auguſt. authoritas (*viſio eſt tota merees*) exponitur. 3. 2. c.

B

Baptizare convenit ſacerdotibus ex officio, ſed non ſolemniter ſine opere Epiſcopali. de R. P. 36. 1. c.d.
Baptiſmus ex opere operato confert gratiam, & imprimit characterem. de Ren. P. 76.2.c.
Baptiſmus abſolvit nos ab originali juſtitia, ut non teneamur eam amplius habere ad ſalutem conſequendam. de Ren. Pap. 69.2.a.&70.1.a.
Baptiſmus tollit concupiſcentiam, non ut ſit, ſed ut non imputetur in culpã. 70.1.d.
Baptiſmo dimittitur noxa originalis peccati. & quomodo. 69. 1.c. & inde.
Captizatus cùm ſit ſpiritualiter regeneratus. cur & ipſum filium ſpiritualiter renatum non generat? 68. 1. b.
Beatitudinem noſtram eſſe Deum quinque vijs oſtenditur. 1. 2. c.& 13.1.d.
Beatitudo eſt primum quod redditur nobis per opera virtuoſa facta id charitate, quãtum ad adultos, vel in gratia, quantum ad parbulos. 42. 1. c.
Beatitudo noſtra dupliciter poteſt accipi. 42. 1. a.
Beatitudo noſtra principaliùs conſiſtit in amore, & delectatione, quæ eſt actus voluntatis, quàm in cognitione, & viſione quæ eſt actus intellectus. 3. 2. d.
Beatitudo principaliter habet eſſe in intellectu, & voluntate & ab illis redundabit in totam animam & corpus. 42.2.a.b.
Beatitudo conſiſtit in viſione unitatis eſſentiæ, trinitatis perſonarum, & humanitatis Chriſti. 3. 1. d.& inde.& 4.2.d.
Beatitudo conſiſtit in videre claiè & apertè Deum unũ eſſentialiter,& trinum perſonaliter. 4. 1. a.
Beatitudo nulli contingit ante Chriſti mortem. 4. 2. d.
Beati in patria memores ſunt malorum ſuorum. 41.2.d.
Bona ſunt in duplici differentia. de R.P. 3.2. a.
Bonifacius VIII. non ocupavit Pontificatum tot dolis, & artibus, ut nonnulli commemorant, de Ren. Pap. 70. 1.a.
Boni, & ſalvandi cur dicuntur prædeſtinati, mali verò non, ſed præſciti tantum. 31. 1. c.
Boni in die judicij gaudebunt, quando videbunt malos puniri. 47. 1. b.
Bona exteriora & interiora propter finem, & beatitudinem debemus diligere. 23. 1.c.
Bona ex originali juſtitia. de Ren. P. 63.1.d.
Bona enumerantur quæ facit pœnitentia. 15. 1. a.

C

CAncellarij officium in Eccleſia Dei. 124. 1. b.
Cardinales, & Epiſcopi gerunt vices Apoſtolorum, ſed non eodem modo. 42.1.c.& 46. 2. b.
Caro infecta peccato originali quomodo inficiat animam. 66. 1. c.
Cauſæ à multis medijs poſſunt impediri in ſuis effectibus. 33.1.a.& inde
Character ſecundùm ſe quid importat de Ren. Pap. 27.1.c.& 13. 1.d.
Character in tribus ſolùm Sacramentis imprimitur,& cur. de R.P. 27.2.a.b.& 13.b.
Character in quo puncto imprimatur in quolibet ordine. de R. P. 73.2.d.& 74. 1. a.
Character ſuperior poteſt imprimi ſine inferiori. de Ren. Pap. 28. 1. b.
Characteris ſacerdotalis perfectio imprimitur in ordine Epiſcopali. R. P. 29. 1. c.
Character remanet in anima ſeparata. 38.1.a. de R.P.
Character quid ſit&in quibus Sacramẽtis imprimatur. de R. P. 101. 1. c. 2.d.
Charitatis ordo. 21. 2. c.
Charitatis modus eſt non habere modum. 20. 2. b.
Ex charitate quinque diligenda. 21.2.d.

Christus sicut ab æterno nos prædestinavit, ita nunc ad dexteram Dei sedens est advocatus pro nobis apud Patrem ut peccata vitemus, & gratiam consequamur. 56. 2. d. 57. 1. a.
Christi corpus in Sacramento sumitur tripliciter. 47. 2. d.
Christi humanitas est objectum beatitudinis non principale sed annexũ. 41. 2. a. & inde
Christi mors etsi pro redemptione omnium fuerit sufficiens, non tamen est efficiens, & cur. 17. 2. b.
Confessio est de necessitate salutis. 19. 1. a. & inde.
Confessio debet fieri sacerdotibus & cur. 18. 2. c.
Contritio in corde de peccatis quomodo esse debeat. 18. 2. b.
Contingentię non repugnat necessitas præscientiæ, sed contingentia contingenter evenire permittuntur à Deo. 32. 1. c. & 33. 2. b.
Conversio panis in corpus Christi quomodo differt ab alijs conversionibus. ~~16. 2. c.~~ 116. 1. c.
Corpus Christi sumitur tripliciter. 47. 2. d.
Corporis humani in utero formatio. 92. 1. d.
corpora ex suo pondere quinque consequuntur. 23. 2. b.
Corpus terrenũ posse esse in cœlo, septem exemplis indicatur. 44. 2. a. & inde
Corporis pars illa, magis in inferno cruciatur, qua majora mala fuerunt perpetrata. 50. 2. c.
Corporalia in virtute alterius agentis possunt agere in spiritualia. 49. 1. b. & 2. d.
Corporalibus solùm nec meremur nec demeremur. ~~de Ren. Pap.~~ 73. 1. c.
Corpus Christi in Sacramento, ex vi Sacramenti est separatum à sanguine, & è converso. R. P. 65. 2. d
Creaturarum opere multa tolli possunt, quæ Divina operatione fuerũt constituta. R.P. 42. 2. c.
Creaturæ omnes sunt vita per ipsum Deum. 60. 1. b.
Creatura quomodo procedit à personis Divinis. 85. 2. b. & inde.
Creaturas debemus diligere, tamquam ea quibus bonum volumus. 22. 1. d.
Credendorum summa. 12. 2. b.
Credere quomodo debemus. 11. 2. b.
Credere Deum, Deo, & in Deum. 12. 1. a.
Credere Deo, formalius est, quàm credere Deum & in Deum. 12. 2. a.
Credere gentilium, fidelis peccatoris, & justi. 12. 1. c. d.
Culpa ob peccatum originale, in nobis propter debitum habendi justitiam originalé formaliter inest. 70. 1. a.
Culpa aliena, causa est quòd aliqui non sint participes redemptionis Christi. 71. 1. c.
Culpa & peccatum non remittitur, nisi adsit, in voto saltim, confessio. 19. 1. a.

D.

DOEMONVM, ac malorum hominum rabies. de Pen. Pap. 54. 1. a.
Dœmones salvabuntur juxta Origenis sententiam. 45. 2. a.
Dœmones, & animæ separatæ verè patiuntur ab igne inferni. 48. 2. a.
Damnati patiuntur minus, quàm sunt digni. 46. 2. c.
Damnati non possunt de aliquo cogitare, & cur. 50. 2. b.
Damnati in inferno dupliciter dolét. 52. 1. a
Damnati habent pœnam infinitã quantum ad durationem, non quantum ad acerbitatem, & cur. 54. 2. c.
Damnati non est necesse, ut semper sint cõjuncti igni, ut doleant, & cruciétur. 51. 2. d
Damnati secundùm illam partem magis cruciantur, secundùm quam magis peccarunt. 50. 2. c.
Deffectus ex peccato. 15. & 16. cap. 8. & 9.
Delectatio oritur ex cõjunctione convenientis cùm convenienti. 24. 2. b.
Dei permissione aliquando res fiunt, aliquando Divina operatione. de Renunt. Pap. 16. 2. c. 54. 2. c. & 55. 2. b.
Dei nomine intelligitur aliquod perfectum omni perfectione. 58. 2. c.
Deus dicitur esse ubique quinque modis. 25. 1. c. & 26. 1. d.
Deus quia habet omne esse, habet omne posse. 89. 2. c. & inde.
A Deo est quòd volumus bonum. de R. P. 18. 2. d. & 49. 1. b
Deus in omnibus est generaliter per essentiam, præsentiam, & potentiam: sed in his quæ spectant ad salutem nostram est Deus specialiter. de R.P. 9. 2. b.
Deus non dat gratiam, nisi te ad ipsum convertas per voluntatem. de R.P. 14. 2. a. & 15. 2. a.
Deus statuit quòd Papa renunciare potest. de Ren. Pap. 19. 2. d.
Deus quidquid potest mediantibus secundis substantiis, benè potest sine illis. 50. 2. d.
Deus quidquid facit, vita est in ipso. 60. 1. b.
Deus est præscius omnium futurorum, & rebus necessitatem non imponit, sed evenire permittit contingentia contingenter. 32. 1. c. & inde.
Dei præscientia si aliquam necessitatem imponit

ponit rebus, illa neceſsitas contingentiæ non repugnat. 34. 1. c.
Dei ſapientia eſt cauſa rerum producens, & conſervans. 25. à 1. d. uſque ad finé cap.
Deus per ſuam ſapientiam omnibus rebus dat ſubſtantiam, virtutem, & operationem. 27. 1. b.
Deus incompatibiliter pleniorem cognitionem habet de Angelis, quàm Angeli de ſe ipſis. 24. 1. d.
Deus Angelos, & totum univerſum ordinavit ad bonum, & regimen electoris. 109. 1. c. & 162. 1. a.
Deus ſit adminiſtrat res, ut eas proprios curſus agere ſinat. 33. 2. a.
Deus cur poſuerit hominem in Paradyſo. 39. 2. d. & 42. 2. d.
Deus quomodo videat te ſaluandum, & damnandum. 37. 1. d.
Deo in omnibus quomodo ſervire debemus. 29. 1. a.
Deum timere, & ei obedire qualiter debemus. 25. 1. b.
Deus qualiter ſit diligendus. 20. 1. d. & inde
Deum diligimus primò, quia ei volumus bonum Divinum, ſecundò quia volumus hujuſmodi bonum uniri nobis, & proximis. 23. 1. b.
Deum debemus quærere tamquam principalem mercedem noſtram alia tamquam adjecta. 1. 2. b.
Deum poſſumus diligere ut det nobis bona, tum interiora, tum exteriora, tamquam adminiculantia ad beatitudinem. 23. 1. c. & inde.
Deo credere formaliùs eſt, quàm credere Deum, & in Deum. 12. 2. a.
Deum decet infundere animam corporibus maculatis, & quomodo. 70. 2. b.
Deus ſolus potuit pro infectione naturæ, & perſonæ ſatisfacere, & cur. 4. 2. c.
Deo gratias agere pro beneficiis ſuſceptis qualiter debeamus. 26. 2. d.
Deus non ſimpliciter deſtruit ſua opera. 85. 1. c. & inde.
Deus dicitur indurare non impartiendo malitiam, ſed ceſſando ab actu, & non dando gratiam. 31. 2. d.
Deus operatur mala pœnæ, & cur. 56. 2. b.
Deus cùm pro peccato damnat homines, & Angelos creaturas ſuas, an dicendus ſit quòd damnat eas pro nihilo? 59. 2. a.
Deus damnat ſolùm quod ipſe non facit. 59. 2. b.
Deum quomodo deceat pro peccato téporali infligere pœnam æternam. 54. 1. a.
Deus cum damnatis miſericorditer agit. 46. 2. c.
Deus non per alium, ſed per ſe ipſum beatificat nos, & Angelos. 1. 2. a.
Dignitatum ordo in Eccleſia ſumpſit originem a gentilibus, & cur. de R. P. 31. 2. c. d.
Diſpoſitio ad gratiam ſit gratia. R. P. 18. 2. d.
Dilectionis ratio ſumitur à fine 22. 2. c.
Dilectio charitatis, quæ & quot bona in nobis faciat. 23. 2. a.
Dilectio ipſa, eſt ex charitate diligenda 22. 1. a.
Diligenda quæ & quot ſunt. 21. 2. c.
Diligenda ex charitate ſunt quinque. 21. 2. d.
In Divinis perſonis principatus propriè reperiri non poteſt, ſed ordo. 104. 2. c.
Dolor quid ſit. 48. 2. d. & inde-
Dolor animæ exiſtentis in inferno cur numquam ceſſabit. 50. 2. b.
Dona Spiritus Sancti quomodo diſtinguantur inter ſe. 9. 1. b. per totum c p.
Donorum Spiritus Sancti ſufficientia, & ordo. 10. 1. d. per totum cap.

E

Eccleſia formata ex latere Chriſti dormientis in cruce. de R. P. 65. 1. a.
Eccleſia aſsimilatur tunicæ Chriſti inconſutili. de Renunc. Pap. 80. 1. b.
Eccleſia non poteſt exercere judicium ſanguinis. 79. 1. c.
Eccleſia præſens dicitur paradiſus, & cur. 41. 1. a.
Eccleſia dicitur facere, quidquid facit Papa in ea. 22. 1. b.
In Eccleſia tres gradus præſidentiæ. 99. 2. d.
Eccleſia repræſentatur per arcam Noe. 96. 1. c. & 97. 2. a.
Effectus originalis juſtitiæ. 63. 1. c. & 71. 2. a.
Electio Papæ eſt ſua confirmatio, & eſt à Chriſto. 123. 1. b.
Elementorum proprietas & natura. 86. 2. b. c.
Elementa ſunt in mixto non ſecundùm eſſentiam, ſed ſecundùm virtutem. 92. 1. a.
Elementorum ordo ſatis innuit, quomodo in Eccleſia fieri debet exemptio. 87. 2. b.
Elementa ceſſabunt poſt diem judicij ab officio quod nunc habent, & cur. 110. 1. b.
Ad Epiſcoporum creationem quatuor concurrunt. de R. P. 16. 1. b. & 51. 2. d. 53. 1. a.
Epiſcopus non poteſt pro libito renunciare, ſed ſolus Papa & cur. de R. P. 16. 1. a. & 38. 2. c.
In Epiſcopatu non imprimitur character, ſed perfectio characteris. de R. P. 27. 1. a.

Episcopus; & sacerdos quomodo differant. de Renunc. Pap. 28. 1. a.
Episcoporũ ordines seu gradus. de R.P. 40. 2. b
Episcopus quilibet potest appellari summus sacerdos. de R.P. 40. 1. a.
Episcopus quis potest esse nullam habens jurisdictionem. de Ren. P. 46. 1. c. & 53. 1. a.
Episcopis, & Prælatis utilis exortatio. de Ren. Pap. 23. 2. d. & 24. 1. a.
Episcopi, & Cardinales gerunt vicem Apostolorum. 95. 2. c.
Episcopatus an sit ordo. 102. 2. b. & 104. 1. b
Episcopi sunt opera sapientiæ summi Pontificis. 83. 2. b.
Episcopi cur appellantur fratres à Papa. 95. 2. c.
Episcoporum munus, & officium. 84. 1. b.
Episcopi seu Prælati conditiones. 86. 1. b.
Episcopus assimilatur navi. 83. 1. a.
Errores Ciceronis, & Stoicorum de Dei præscientia confutantur. 33. 2. c. d.
Errores de peccato originali. 66. 2. d. & 67. 2. c.
Errores eorum reprobantur qui dicunt Dei misericordiam se extendere ad salvandos damnatos. 46. 1. d.
Error circa confessionem refellitur. 18. 2. d.
Errores Templariorum. 116. 2. b.
Essentia Divinarum Personarum prædicatur de qualibet Persona singulariter, & de omnibus non pluraliter. 56. 1. a.
Eucharistiæ Sacramenti excellẽtia. 116. 1. a. & ab aliis cibis differentia. ibi. b.
Exemplum accõmodatissimum de milite, qui accepit castrum à Rege suis posteris relinquendum, quo sanè intelligitur, quomodo Adam acceperit justitiam originalem à Deo suis posteris relinquendam. 64. 2. b. & 65. 1. d.
Exemplum de navi, & ponte, satis accõmodatũ cõsecutioni salutis, quæ primum fuit per justitiam originalem, nunc autem per Baptismum. 69. 2. b. & 70. 1. d.
Exemptio contradicit cursui naturæ secundùm naturales motus. 81. 1. b.
Exemptio est contra naturã, quia per quoddam simile à rebus naturalibus, tollit substantias, & virtutes. 83. 2. c.
Exemptio facit idolum de pastore. 83. 2. d.
Exemptio repugnat ordini elementorum, cui se debet Ecclesiastica Hierarchia conformari. 86. 2. a.
Exemptio contradicit ordini universi, & suarum partium. 89. 1. c
Exemptio contradicit corporibus inferioribus, ut in eis reperiuntur diversi gradus. 91. 1. a.
Exemptionem esse contra naturam specialiter concluditur per ea quæ in homine cõtemplantur, 92. 1. b.
Exemptionem esse contra naturam ostenditur per ea quæ videmus in anima humana. 93. 2. d.
Exemptio contradicit formæ, & dispositioni Arcæ Noë quæ figurat Ecclesiam. 95. 2. b.
Exemptio est tollenda per ea quæ habentur Act. 10. 12. & 13.) 99. 2. a.
Exemptionem non esse faciendam ostenditur ex triplici gradu sacerdotij. 101. 1. b.
Exemptionem esse tollendam ostenditur ex diffinitione ordinis ab Augustino data. 103. 1. d.
Exemptionem non esse faciendam probatur ex ordine Divinarum Personarum. 104. 2. a.
Exemptionem non esse faciendam probatur ex Hierarchiis, & ordinibus Angelorum. 106. 2. c. per tres sequentes capitulos.
Exemptio magis evitanda est in personis Ecclesiasticis, quàm cœlestibus. 114. 1. c.
Exemptionem non esse faciendam exemplo Templariorum. 115. 1. d.
Exempto non est facienda exemplo canonicorum secularium. 118. 1. d.
Exemptio non est facienda exemplo Religiosorum divitum. 120. 2. b.
Exemptio quoad sui nominis significatum, ostendit neminem à jurisdictione proprij Prælati subtrahendũ. 122. 1. c.
Exempti sunt quædam pars turpis Ecclesiæ. 125. 1. b.
Exemptio duplex, naturalis, & contra naturam. 85. 2. c.
Exemptio facit subditos supra Prælatos. 91. 2. a.
Exemptio facit de jure Prælatorum non jus. 6. 2. d.
Exemptiones, & gratias debet Summus Pontifex ordinibus paupertatis omninò studio deditis concedere, & cur. 81. 2. d. & 88. 2. c.
Exemptio majorem habet decentiam cum paupertate, quàm cùm divitiis. 88. 1. b.

F.

FATVM quid sit. 32. 2. b. & inde.
Felicitas nostra extat in visione altitudinis Divinæ sapientiæ, & in dilectione illius excellẽtis bonitatis. 1. 2. b. & 13. 1. c

Fidei articulum, inde venturus est judicare vivos, & mortuos exponit Æg. de R.P. 58.2.c.d.
Fides antiquorum, & nostra una est, & eadem. de Ren. Pap. 56. 1. c. & 59. 1.b.
Fidei articuli quatuordecim. 12. 1. c.
Fidei quæstiones decidere est Papæ proprium munus. 114. 1.b.
Fides, & spes post peccatum remanent informes. 15. 2.c.
Filius, qui est secunda persona in Divinis proprietas est, ut ei approprietur virtus, & sapientia, & cur. 56. 1.d.
Flagelantur aliqui in vita ista, non ut pœniteat, sed ut hìc incipiat esse eorum damnatio. 53. 1. c.
Formæ quomodo sunt sicut numeri, cùm videatur esse similitudo contraria. 107. 1. c.
Francorum Rex Philipus IIII. figuratus fuit per Angelum, de quo dicitur Apocalip. 9. *Data est ei clavis putei abissi, &c.* 116. 2. c.
Fruitio unius Personæ Divinæ non sufficit ad Beatitudinem. 4.1.d.

G.

GRADVS præsidentiæ in Ecclesia. 99. 2.d.
Gradus septem per quos ascenditur ad Divinam sapientiam. 9. 1.b.
Gratiam non dat Deus, nisi nos ad ipsum per voluntatem convertamus. de R. P. 14.2.a. & 15. 2. a.
Gratia quatuor modis considerari potest, ratione quorum, quatuor prædestinationis possunt fieri descriptiones. 32.1.a.b
Gratia major est in anima nostra, quàm fuit in Adam. 59. 2. b.
Gratia Baptismalis effectus. 70. 1.b.
Gratia Baptismalis potior est ad salutem cõsequendam, quàm justitia originalis. 69. 2.a. & inde & 70. 1. a. b.
Gregorius composuit præfationem in Missa de Trinitate. 55. 2. b.

H.

HABITVVM duo genera in nobis sit ponenda, & cur. 7. 2.b.
Hierarchiæ, ordines, & Angeli post diem judicij quomodo remanebunt. 113. 1.d.
Humanum corpus cùm adhuc est embryo, habet triplicem modum vivendi. 92.1.c.
Humani corporis in utero formatio. 92. 1. d.& inde.
Humanorum corporum quatuor sunt formationes dissimiles. 92. 1.d.
Homo unus potest aliquid operari in alio ad gratiæ infusionem. de Ren. Pap. 19. 1.b.
Homo dicitur totus mundus, & cur. 96. 1.d.
Homo fuit positus in Paradiso, non creatus, & cur. 38. 1.b.c. & 40. 1.d.
Homines triplex status. 69. 1.c.
Homo nullus fuit beatus ante Christi incarnationem, passionem, & mortem. 5. 1.a.
Homo potest esse Deus constitutione. 57. 2.a.
Hominum beatitudo non fuit sine humanitate Christi. 4. 2. a. b.
Homo propter quinque inducitur timere Deum, & ei in omnibus obedire. 26. 1.d.
Homo ut natura quædam à Deo producta non est causa malæ operationis, sed ut est causa deficiens, & ex nihilo. 59. 1. d.
Homo certitudinaliter se esse in charitate scire non potest. 24. 2.c.
Homo duo genera custodum habere debet, & cur. 95. 2. b.
Horizon quid sit. 93. 2.d. & inde.
Humanitas Christi objectum est beatitudinis. 4. 2. a.

I

IGnis inferni habet lumen, & cur. 52.2.d. & 53. 1. a.
Ignorantia excusat peccatum, & quomodo. 81. 2.c.
Imago Dei tollitur à nobis per peccatum, & quomodo. 17. 1. b.
Infectio animæ quomodo contrahatur. 66. 1. b. c.
Inferni nomen numquã in Scriptura sacra in bonum inuenies 52.2.d.
Inferni & Paradisi nomine quid intelligi debeat. 52. 2. c.
Infernus est locus decedentium cum actuali culpa. 53. 2.d.
In inferno dantur gradus, sicut in Paradiso. 46. 1. d.
In inferno nulla est redemptio. 46. 1.a.
Intellectus per imperium voluntatis fit practicus. 33. 2.a.b.
Intellectus speculativus non est causa rerum, nisi sine qua non. 33. 2.a.
Intellectus damnatorum non potest de aliquo cogitare, & cur. 51. 2. b.
Intellectus fungitur vice sensus in damnatis. 49. 2. d.
Juramentum & votum quomodo differant. de Ren. Pap. 50. 1. c.

Jurisdictio non innititur characteri, aut perfectioni Characteris. de Ren. Pap. 33. 2. c. & 51. 2. b.

L

LAudes Sacræ Scripturæ. 8. 2. b.
Lex quid sit. de Ren. Pap. 53. 2. d.
In Lege scripta poterat quis salvari in gentilitate. de Ren. Pap. 31. 2. b.
Per Legem Divinam multa sunt, quæ opere creaturarum tolli possunt. de Ren. Pap. 43. 1. à. b.
Liberum arb. virtuti syderum directè non subest. 53. 1. a.
Lignum vitæ. 38. 2. d. & 40. 1. d.
Lignum scientiæ boni & mali. 38. 2. a.
Limbi puerorum necessitas. 53. 2. a. b.
Limbus puerorum in originali decedentium. 53. 2. d.
Limbus sanctorum Patrum, modò amplius non datur, vel ad eum nullus accedit, & cur. 53. 2. b. c.

M

MAgistri Sent. error de peccato originali. 67. 1. d. & 2. a.
Mala culpæ & peccata non sunt factiones, sed defectiones. 58. 1. d.
Mala culpæ an dicenda sint nihil, ut concludamus quod Deus damnat creaturas suas pro nihilo? 58. 2. d. & inde.
Mala ex peccato. 15. per cap. 8. & 9.
Mala ex peccato Adæ. 63. 2. a.
Mala pœnæ Deus operatur, & cur. 56. 2. b.
Malum respicit res temporales. 57. 2. b.
Mariæ primò post resurrectionem apparuit Christus. 125. 1. a.
Malum non habet causam efficientem, sed deficientem. de Ren. Pap. 9. 1. a. b.
Matrimonium quomodo est magnum Sacramentum. 121. 1. a.
Matrimonium in primitiva Ecclesia inter infideles erat legitimum, non ratum: sed inter fideles non solum legitimum, sed omnino ratum. 120. 1. a.
Media multa possunt impedire causas in suis effectibus. 33. 1. a.
Matrimonium legitimum, & perfectum, auctoritate Papali dissolvi non potest. de Ren. Pap. 23. 2. c.
Melchisedec cur sine patre & matre dicitur. de Ren. Pap. 56. 1. b.
In mixto quomodo sint elementa. 91. 2. d.
Modus charitatis, non habere modum. 20. 2. b.
Mors Christi fuit sufficiens pro redemptione omnium, sed non efficiens. 17. 2. b.
Motus primus est vita in Entibus, & cur. 28. 1. a. b.
Motu primi mobilis cessante, cessaret omnis alius motus. 28. 1. a.

N

NEcessitas duplex, consequentiæ & consequentis. Ren. Pap. 47. 1. b.
Necessarij variæ distinctiones. 34. 1. d.
Necessitas Purgatorij, & Limbi puerorum. 53. 1. b. & 53. 2. a. b.

O

OBedire Deo quomodo debeamus. 3. 1. a.
Objectum beatitudinis, Christi humanitas. 4. 2. a.
Obligatio quinque modis fit. de R. P. 43. 2. d.
Ordo sacer quid sit. de Ren. Pap. 30. 1. a.
Omnia debemus propter ipsum Deum diligere, & cur. 22. 2. a.
Omnia nostra, hoc est, animam, corpus, & res exteriores, qualiter debemus ordinare in Dei obsequium. 29. 1. c. & inde.
Operibus factis in gratia vel in charitate redditur beatitudo. 42. 2. c.
Opera misericordiæ facta in peccato mortali, alleviant peccantes in inferno & possunt disponere hominem ad gratiam habendam. 46. 2. a. & 48. 1. d.
Opiniones falsæ de peccato originali. 66. 2. d.
Opiniones tres commemorantur de Paradiso. 37. 2. c. & inde.
Ordines facti in primitiva Ecclesia dabantur per saltum. 75. 2. b.
Ordines minores cum suis actionibus. 74. 1. b & inde. Ordines sacri cum suis officijs. 74. 2. b. & inde.
Ordinati ab Episcopis schismaticis an suscipiant characterem. de Ren. Pap. 37. 2. b.
Ordo dignitatum in Ecclesia sumpsit originem à Gentilibus, & cur. de Ren. Pap. 31. 2. b.
Ordo quid sit. 103. 1. d. & 104. 1. à.
Ordo propriè in personis divinis reperitur. 104. 2. d.
Ordo quidam in personis divinis reperitur respectu productionis creaturarum. 105. 2. b. c.
Ordinum usus & officium. 102. 1. c.
Ordinare omnia debemus in obsequium Dei 29. 1. c.

Ordo charitatis. 21.2.d.
Origenis opinio de animarum reditu. 45.2.a.
Origenes ab Ecclesia reprobatus, & cur. 45.2.a.
Originalis justitia. 67.2.d. & 69.1.a. & pag. 63.1.d. & 64. col. 2.c.
Originalis justitiæ carentia non est culpa sed quædam habilitas ad culpam. 70.1.a.
Originale peccatum habet rationem culpæ, & quomodo. 65.1.c.
Originale peccatum ut dicit carentiam originalis justitiæ non est formaliter culpa, sed ut dicit debitum habenbi eam. 70.1.a.
In Originali peccato tria sunt consideranda. 67.2.c.
Originale peccatum remittitur in Baptismo in quantum habet rationem culpę. 70.1.a.

P

PAllium confertur Archiepiscopo, & cur. de Ren. P. 32.2.b.
Panis conversio in corpus Christi quomodo differat ab alijs conversionibus. 116.1.c.
Papæ solius est jura concedere. de Ren. Pap. 21.1.c. & inde.
Papa non judicatur à quoquam, nisi in hæresim esse lapsus. de R.P. 25.2.c. & inde.
Papa hæreticus non est Papa. de R.P. 70.2.a
Papatu acquiritur solùm plena jurisdictio potestatis. de Ren. Pap. 33.1.d.
Papa vivente, possunt ea quę sunt Papæ committi alijs qui non sunt Papa. de Ren. Pap. 34.1.c.
Papalis potestas perpetua est. de R.P. 33.2.b
Papa potest renuntiare non Episcopus. de Ren. Pap. 16.1.b.c. 19.2.d. 26.1.c.
Papa cur dicitur summus Pontifex. 99.2.d. & 102.2.d.
Papa ex sola electione habet omnem apicem Ecclesiæ quantum ad ea quæ sunt jurisdictionis, non ordinis. 123.2.a.
Papa figuratur per illam aquilam de qua legitur Ezech. 17. Aquila grandis magnarum alarum, &c. 98.2.a.
Papæ electio est sua confirmatio, & cur. 123.1.b. & inde.
Papæ electionem Christus confirmat, & perficit. 123.2.d.
Papa quomodo potest omnia facere. 121.2.c.
Papa cur Episcopos fratres appellat. 95.2.c.
Papa si faciat aliquid in Ecclesia, dicitur id facere Ecclesia, & cur. 22.1.b.
Papæ proprium munus est quæstiones de fide ortas decidere. 124.1.b.
Papæ non expedit facere exemptionẽ jis qui non sunt dediti studio. 122.1.b.
Paradisi nomine, & inferni quid intelligatur. 52.2.c.
Paradisus locus est eorum qui decedunt cum gratia, & sine peccato. 53.2.c.
Paradisus dicitur Ecclesia præsens. 41.2.a.
Partium pulchritudo magis est in ordine ad totum quàm sit in seipsa. 125.1.b.
Parvulus in originali peccato conceptus potest tripliciter considerari. 66.2.a.
Pater salvatus non compatietur filio damnato, nec è contra, & cur. 47.1.a.b.
Patres nostri appellantur omnes illi qui intendunt saluti nostræ. de Ren. Pap. 7.1.c.
Paupertatis votum quantum sit Deo gratum. 30.1.b.
Peccati ratio in quo consistat. 122.1.a.
Peccatum materialiter aliquid est, sed formaliter est nihil. 59.2.a.
Peccatum seu culpa quid sit. de R.P. 48.1.b
Peccata non sunt factiones, sed defectiones. 58.1.d.
Peccata an dicenda sint nihil, ut dicamus Deum damnare creaturas suas pro nihilo. 58.2.d.
Peccatum semper est cum defectu & ignorantia, 57.1.b.
In peccato quatuor sunt consideranda, quibus Deum decet pro peccato temporali infligere pœnam æternam. 54.1.a. & inde.
Peccatum tollit imaginem Dei, non quantú ad potentias, sed quantum ad perfectiones potentiarum. 17.2.b.
Peccatum & culpa non remittitur, nisi adsit, in voto saltem, confessio. 19.1.a.
Peccati mala enumerantur. 15.cap.8. & 9.
Peccato temporali cur infligatur pœna æterna. 54.1.a.
Peccatum originale quomodo contrahatur. 68.1.c.d. & 2.a.
Peccatum originale habet rationem culpæ, & quomodo. 65.1.c.d.
In peccato originali tria sunt consideranda. 67.2.c.
Pelagius dixit peccatum primę transgressionis in aliquos homines imitatione transisse. 67.1.b.
Persona in divinis est essentia cum proprietate. 56.1.c.d.
In personis divinis non est propriè principatus, sed ordo. 104.2.d.
Personæ Divinæ sibi insunt propter essentiæ unitatem. 55.2.d.
Personæ Divinæ prętер patrem dicuntur missæ visibiliter & invisibiliter, & quomodo. 5.2.d.
In Petro, cur dicitur, fuit sopita charitas,

non

non extincta, dum negavit Christum. de Ren. Pap. 58.2.c.
Petro omnium virorum primò apparuit Christus post resurrectionem. 124.2.d.
Petro dictum fuit specialiter, Tu es Petrus, Et tibi dabo claves, Et quodcumque ligaveris: quia electio summi Pont. non habet confirmatorem alium, nisi Deum: quòd non est in alijs Prælatis. 124. 2.a.
Petrus Lomb. 2. Sent. dist. 3. ut salvaret quòd caro infecta in Adam inficiat animam omnium posteriorum, posuit quod nihil est de veritate carnis in filijs, nisi quod à parentibus contraxerunt. 67.1.d.
Phantasmata quæ sunt corporalia, in virtute luminis intellectus agentis agunt in intellectum possibilem. 49. 1. b.
Philippus IIII. Francorum rex, cujus tempore fuerunt deleti Templarij, figuratur per Angelum, de quo dicitur Apoc. 9. Data est ei clavis abyssi, &c. & cur. 116. 2. c.
Platonis error de magno anno destruitur. 32. 2. d.
Plato asseruit animas habere corpus. 48.2.b.
Platonicorum & Origenis sententia, quòd nulla pœna sit æterna. 45. 1. d.
Pœna nulla potest esse infinita quantum ad acerbitatem, & cur. 54. 2.c.
Pœna damni respondet peccato originali, pœna autem sensus actuali. 63.2.d.
Pœna æterna infligitur pro peccato temporali, & cur. 54. 1.a.
Pœna animæ in inferno, est ex immutatione intentionali. 48. 2. d. & 51.2. b.
Pœna sensus à pœna damni minime separatur, sed non è contra, & cur. 64.1.a.
Pœnitentia quid sit. 18. 1. a.
Pœnitentia quot bona faciat. 15. 1.a.
Pœnitentiæ partes, contritio in corde, confessio in ore, satisfactio in opere. 18.1.a.
Polus arcticus, & antarcticus. 94. 1.a.
Potestas omnis præsertim Ecclesiastica à Domino Deo est. de Ren. P. 11. 1. c. & inde.
Potestas excellentiæ, quam Christus sibi reservavit, consistit in tribus. de Ren. Pap. 48. 2. a.
Prælatus nullus secùndùm antiqua jura potest deponi invitè. de Ren. Pap. 49.2.d.
Prælatus assimilatur navi, nautæ & anchoræ. 83. 1.c.
Præscientia Divina potest dicere simplicem Dei notitiam; & potest includere Divinum propositum. 33.1. d.
Præscientia salvandorum sic est præscientia in Deo quòd etiam est prædestinatio: non autem præscientia damnatorum, & cur. 31. 1. c.
Prædestinatio quid sit & præsciétia. 31.2.c.d.
Prædestinati communi nomine dicuntur præsciti, & cur. 31. 1. d.
Præsidentiæ gradus in Ecclesia tres. 99.2.a.
Principatus in divinis propriè reperiri non potest, & cur. 104.2.d.
Privilegia debét cõcedi Religionibus mendicantibus, & cur. 81. 2. d. & 87. 2. d.
In productione creaturarum est quidam ordo respectu divinarum personarũ. 105.2.b.c.
Pueri in originali decedentes non habent pœnam sensus, sed damni, & cur. 53. 2.a.
Pulchritudo partis magis est in ordine ad totum quàm in seipsa. 125.1.b
Purgatorij necessitas. 53. 1. b.
Purgatorium est locus decedentium cum gratia, non tamen sine peccato. 53.2.d.
Purgatorij ad locum ibant ante Christi adventum decedentes cum gratia, si habebant aliquid ad purgandum, postea ad Limbum sanctorum Patrũ, & cur. 53.2.b.

Q

QVanta mala fecerit exemptio in Canonicis seculatibus. 118. 2. d.
Quomodo Christi sacerdotium dicitur non habere initium, neque finem, cùm mundus habuit initium, & habebit finem. de Ren. Pap. 56. 2. a.
Si ordinati ab Episcopis schismaticis vel hæreticis recipiant characterem. de Ren. P. 37.1.d.
Si Papa cedens possit adhuc dici summus Pontifex. de Ren. Pap. 40. 2. c.
Quomodo Apostolus Heb. 7. volens constituere differentiam inter Leviticũ & Christi sacerdotium, inquit, in sacerdotio Levitico plures facti sunt sacerdotes: cùm & sub sacerdotio Christi plures fiant quotidie sacerdotes. de Ren. Pap. 65. 1. b.
Quomodo sacerdotium Christi dicitur immortale, si hoc faciendo ejus mors commemoratur. de Ren. Pap. 68. 2. b.
Quærere Deum quomodo debemus: quomodo alia à Deo. 1.1.b.
Quæstiones fidei decidere proprium est Papæ munus, & officium. 124. 1. b.

R

REges seu principes bona regni tripliciter habere dicuntur. 76. 2. c.

Rex nullo modo potest proprià auctoritate bona Ecclesiæ accipere, quamvis urgens esset necessitas. 77. 1. b. & 78. 2. b.

Reges non possunt à se elongare bona immobilia quæ sunt in regno quantum ad patrocinium & defensionem. 78. 1. b. & 79. 2. a. b.

Regni communitas cur excogitata. 77. 2. d.

Res sic administrantur à Deo, ut permittat eas suos cursus peragere. 33. 2. b.

Rebus omnibus tria insunt, substantia, virtus, & operatio. 27. 1. a.

Religionibus mendicantibus studio deditis debent concedi privilegia, & cur. 81. 2. d.

S

SAcerdos & Episcopus quomodo differunt. de Ren. Pap. 28. 1. a.

Sacerdotes omnes æquales quoad Ordinem, non jurisdictionem. de Ren. Pap. 39. 2. d. 63. 2. a. 30. 2. c.

Sacerdos simplex baptizat, conficit corpus Christi, sed non solemniter sine Episcopo. de Ren. Pap. 29. 2. a. & inde.

Sacerdos potest esse Episcopali dignitate præditus, nullius tamen Ecclesiæ Episcopus. de Ren. Pap. 46. 1. c.

Sacerdotes novi testamenti sunt immortales, & quomodo. de Ren. Pap. 68. 2. a.

In sacerdotio sunt gradus quantum ad ea quæ sunt ordinis. de Ren. Pap. 40. 1. c.

In Sacramento Eucharistiæ cur annuntiatur mors Christi. de Ren. Pap. 65. 2. c.

Sacramenta imprimentia characterem, quæ sint. 101. 1. c. & 2. c.

Sacramentum aliquod quatuor modis dicitur magnum. 121. 1. a. b.

Sacramentum matrimonij quando est legitimum & ratum. 120. 1. b.

Sacramenti Euchatistiæ excellentia. 116. 1. a.

Sancti non compatiuntur damnatis. 47. 1. a.

Sancti in patria memores sunt malorum suorum. 42. 1. a.

Sapientia Dei est causa rerum. 25. 1. c. d. 2. b. & inde.

Ad sapientiam Divinam septem gradibus pervenitur. 9. 1. b.

Satisfacere pro infectione naturæ & personæ solus Deus potuit. 4. 2. c.

Scientiæ & amoris proprietas. 24. 1. b. c.

Scientia utilis ad fidem defendendam, & ad peccatum vitandum. 82. 1. a.

Scripturæ sacræ laudes & auctoritas. 81. 2. b. c. d.

Scripturæ sacræ quatuor sensus. 39. 1. c. d.

Scripturæ sacræ consuetudo est sæpe ponere præteritum pro præsenti, vel etiam pro futuro. 3. 2. b.

Scriptura sacra in præsenti statu loquitur comminatoriè, post diem Judicij per assertionem. 47. 2. a.

Scriptura Canonis numquam alicubi inferni nomen in bonum accipit. 52. 2. d.

Sensus & ratio duo sunt in nobis motores contrarij. 7. 1. c.

Sensus prout sentit immutatur intentionaliter & similitudinariè. 50. 1. c. & 51. 2. c.

Sensitiva organa licèt sint materialia, participant tamen de conditionibus rerum immaterialium. 50. 1. c.

Signis valde probabilibus potest quis cognosci esse in charitate: & quæ sint ista signa. 24. 2. c.

Spes est de rebus magnis & arduis. 13. 1. b.

Spes & fides post peccatum remanent informes. 15. 2. c.

Spiritus sancti dona. 10. 1. d & 2. a.

Spiritus est in loco per virtutis applicationē. 52. 1. c.

Spiritualia possunt pati à corporalibus, & quomodo. 49. 1. b. & 2. d.

In statu gentilitatis poterat esse salus. de Ren. Pap. 31. 2. b.

Stella, cujus est causare humiditatem & pluviam, non semper causat, etsi in signo sit cujus est causare humiditatem, & pluviam & cur. 32. 2. b. c.

Stellarum virtuti non subest liberum arbit. 33. 1. a.

Stoici ponunt omnia sub Fato ex necessitate contingere. 32. 2. a.

Studentium e universitati debent concedi privilegia, & cur. 81. 2. b.

Substantia spiritualis quomodo possit pati ab igne. 49. 1. b. & 2. b.

Subcessivorum, & permanentium differentia. 28. 1. d. 2. a.

T.

TEmplariorum Religionis initium. 115. 1. d. & 2. a.

Templariorum Religio cur destructa. 115. per cap. 21. & 22.

Tempus, & æternitas quomodo differunt. de Ren. Pap. 60. 2. b.

Timere Deum qualiter debeamus. 25. 1. b.

Ver-

V.

VERBI vocabuli etymologia. 8. 2. a. sed diffusius de Ren. Pap. 80.
Vinculum spirituale fortius est quàm carnale, & quomodo. de Ren. Pap. 22. 2. c.
Virtutes remanent in anima separata. de de Ren. Pap. 59. 2. c.
Virtutibus nō formaliter, sed materialiter cōtingit aliquādo malè uti. de R. P. 8. 1. b. c.
Virtutibus non contingit malè uti, sed potentiis. 39. 2. c.
Visio est tota merces. 3. 2. c.
In Visione humanitatis est beatitudo tanquā in illo fine quo non contingit nostra beatitudo. 4. 2. d.
Vita æterna quæ sit. 4. 1. c.
Vita eorum qui non sunt conversi ad fidem tota immunda. 98. 1. d.
Vita in Entibus motus primus. 28. 1. a, b.
Vniversi duæ sunt partes, sensualia, & intellectualia. 94. 2. b.
Vniversum cum omnibus suis partibus est ordinatum ad bonum, & regimen electorum. 109. 1. c. & 110. 1. a.
Vniversitati studentium debent concedi privilegia. 81. 2. b.
Voluntas quòd sit causa malæ operationis, non habet ut est natura quædam, sed ut est ex nihilo. 59. 1. c.
Voluntas non potest esse causa artificiati nisi mediante intellectu, & cur. 25. 2. c. & 33. 2. a.
Voluntas ponitur in definitione artificiati, & cur. 33. 2. b.
Voluntatis nostræ libertas. de Ren. P. 19. 1. a.
Voluntas coacta est voluntas. de R. P. 70. 1. a. & 2. c. d.
Votum quid sit. de Ren. P. 47. 1. c. & 50. 1. c.
Voti paupertatis efficacia. 30. 1. b.

LAUS DEO.